RICHARDI MONTACUTII,

EPISCOPI

CISSACESTRIENSIS,

DE

ORIGINIBUS ECCLESIASTICIS

COMMENTATIONUM

TOMUS PRIMUS.




LONDINI,

Impress. per MILONEM FLESHER, & ROBERTUM YOUNG.

cIↃ. IↃ. c. xxxvi.

RICHARDI
MONTACUTII
EPISCOPI
CISSACESTRIENSIS,
DE
ORIGINIBUS
ECCLESIASTICIS
COMMENTATIONUM
TOMUS PRIMUS.



CASTISSIMI NOMINIS,
CELSISSIMÆ POTESTATIS,
SERENISSIMÆ MAJESTATIS,

CAROLO,

SEMPER AUGUSTO,
Pio, Constanti, Fœlici, Pacifico, Patri Patriæ:
MAGNÆ BRITANNIÆ, ET
CIRCUM-JACENTIUM INSULARUM
DOMINO MONARCHÆ, ΘΕΟΣΕΒΕΙ,
ΘΕΟΣΤΕΦΕΙ, ΘΕΟΣΕΠΤΩ.

MARIS CLAUSI, APERTI, LIBERI;
LIBERATI, ET TOTIUS OCEANINÆ
NEGOTIATIONIS ARBITRO
MERITISSIMO

OB
RELIGIONEM PROCURATAM, PIETATEM
CULTAM, RITUS ANTIQUOS, CEREMONIAS
AVITAS, TRADITIONES APOSTOLICAS;
ECCLESIASTICASQUE, REVOCATAS,
RENOVATAS, RESTITUTAS;
SARTAS TECTAS
CONSERVATAS:

RICHARDUS MONTACUTIUS
NEXU ET MANCUPIO SERVUS;
CISSACESTRIENSIS ECCLESIÆ
HUMILIS MINISTER,

DE ECCLESIASTICIS ORIGINIBUS
COMMENTATIONES SUAS JACOBI
TOY ΠΑΝΤ AUSPICIIS
INCEPTAS.
DEVOTIONIS ANATHEMA
LIBENS MERITO MORE MAJORUM
DONAT, DICAT, CONSECRATQUE,
Maii XIIL M.DC.XXX.VI.

CASTISSIMI NOMINIS,

SERENISSIMÆ POTESTATIS

SERENISSIMÆ MAIESTATIS

CAROLO,

SEMPER AUGUSTO,

Pio, Comiti, Pio, Fœlici, Pacis Patri:

MAGNÆ PIETATIS, ET

CIRCUMFERENTIÆ INSULARUM

Monarchæ, Orbis

MONARCHÆ CATHOLICI,

REGUM HISPANIARUM

REGI

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, MEDIOLANI,

COMITI HABSPURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, BARCINONÆ,

PRINCIPI SUEVIÆ,

DOMINO BISCAIÆ, MOLINÆ, &c.

THEANTHROPICON:
SEV
VITA IESV CHRISTI
DEI INCARNATI.

TOMI PRIMI, PARS PRIOR.

ANNVS CHRISTI PRIMVS.

CHRISTI *autem generatio sic erat. Factum est in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus Orbis. Hæc Descriptio, prima facta est, Præside Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes ut profiterentur, singuli in civitatem suam. Ascendit autem & Ioseph, à Galilæâ, de civitate Nazareth, in Iudæam, in civitatem David, quæ vocatur Bethleem: eò quòd esset de domo, & familiâ David, ut profiteretur cum Mariâ, desponsatâ sibi uxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret: & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio, Quia non erat iis locus in diversorio.* Ita verbum Dei, carne apparuit vestitum: &, quod nunquam humanis oculis visibile fuerat, cæpit etiam manibus esse tractabile. *Quem Servatoris nostri, dum recolimus exortum, invenimur nos nostrum celebrare principium. Generatio enim Christi, est origo populi Christiani: & natalis capitis, natalis est corporis. Gaudeat autem peccator, quia invitatur ad veniam. Exultet sanctus, quia propinquat ad palmam. Animetur Gentilis, quia vocatur ad vitam.* Quod divini Consilii ab æternitate omni propositum, ut in temporis plenitudine mandaretur executioni, exiit Edictum, &c.

Mat. 1. Luc. 2.

Leo Hom. 6. de Nat.

Hæc beati Historici Lucæ verba, Baronius Illustrissimus,

mus, in Apparatu ſuo ſect. lxxx. affirmat, *Multis eſſe perplexa nodis, & involuta difficultatibus.* Sed profectò, Annaliſtis & Interpretibus, maximam partem, has debemus difficultates, qui ſatis aperta involvunt tenebris: nodum in ſcirpo plerunque quærunt: & miris modis, interdum perturbant, vel benè, vel non ſaltem malè, conſtituta. Imprimis autem illud palmarium eſt, quo Ioſephus, Hiſtoricus nobiliſſimus, & ſcriptor cenſendus cum paucis, cum B. Lucâ Euangeliſtâ, teſte ut ϑεοπιθ'ϛ-ῳ, ita apud Chriſtianos ἀυτοπι'ϛ-ῳ, & omni exceptione majori, ex adverſo committitur ab Annaliſtis, & aliis: parùm candidè, nec ſecundum veritatem, judicantibus. Scriptum eſt à Ioſepho, ait Illuſtriſſimus Baronius ἀπογραφὴν illam, cujus meminit Lucas factæ, Præſide Quirinio, *non accidiſſe, ſub principatu Herodis, quo tamen tempore ponitur ab Euangeliſtâ, imò nec ſub regno ejus filii Archelaï, ſed poſt Archelaum exactum & relegatum, novem ſaltem annos ab Herodis exitu.* Quæ ſi ita vera eſſent, quemadmodum allegat ea Cardinalis, ut illam ἀπογραφὴν intelligeret Ioſephus, quâ Chriſtus in parentibus deſcribebatur, (quod confidenter, ſed tamen falſiſſimè, pronunciat vir eruditus:) certe tum Ioſephus contraria Euangeliſtæ ſtatueret: nec illorum ſimul ſtare ſententiæ poſſent, vel conciliari. Sed lis in eo vertitur, an de unâ & eadem loquantur ἀπογραφῃ. Negant Annaliſtæ, Salianus, & Torniellus: illi æmuli induſtriæ Baronianæ. Et rectè negant, ut dicemus. *Quæ deſcriptio,* inquit Torniellus, *longè diverſa eſt ab eâ, cujus meminit Ioſephus, Lib. Antiq 18. cap. 13. Siquidem illa non fuit prima, facta à Quirinio, ſed ſecunda, vel tertia. Nec facta fuit in diebus Herodis Aſcalonitæ, ſed anno ab ejus obitu decimo, vel undecimo: nimirum, poſt Archelaum, ipſius filium, à Cæſare relegatum, ut ibidem dicitur.* Iniquus eſt igitur in Ioſephum Baronius, & nimis confidenter, & inconſideratè accuſat, dum non diſtinguit quæ planè diſtincta fuerant, & ſunt diſtinguenda omnimodo.

3 Fateor Euſebium in eodem errore verſari cum Baronio: Qui tantum tamen abeſt ut accuſet Ioſephum, Euangeliſtæ contradictoria narraſſe, ut illius teſtimonium attulerit, ad ſacram Hiſtoriam Euangelicam confirmandam. Illius in primo Hiſtoriarum, hæc ſunt verba: Τῆς δὲ χ'ϛ-ου Κυρήνιον

Κυρήνιον ἀπογραφῆς ἡγ ὁ τῆς παρ' Ἑβραίοις Ἰουδαίων Φλάβιος Ἰώσηπος μνημονεύει. *Deſcriptionis autem illius, ſub Quirinii præfecturâ peractæ, mentionem facit Iudæorum Hiſtoricus Flavius Ioſephus.* Lapſum agnoſcimus, & ἁμάρτημα non leve fortaſſe tamen μνημονικὸν doctiſſimi Euſebii. Loquitur certè Ioſephus de Deſcriptione, ſub Quirinio Syriæ præſide, peractâ: ſed erat illa plus quàm mera & nuda ἀπογραφὴ: erat *redactio* bonorum Archelaï in Fiſcum: & *exactio* tributi ſuper prouinciales: quorum neutrum in priore ἀπογραφῇ exercebatur. Prior illa fuit, Herode vivo: hæc ſecunda, relegato Archelao: Iudæâ redactâ in prouinciam: & Romanis præſidibus parere juſsâ. Quæ cum omnia πάντως exprimantur per Ioſephum, miror Euſebium & Baroniũ, in tantum hallucinatos, ut de unâ & eâdem loquutos putaverint Ioſephum & Beatum Lucam, atque ita conſtitutos ἐκ διαμέτρου ἀντιπωδήσας.

Sed non ſoli, hunc errorem, Baronius, & Euſebius erravêre: verſantur & alii in eodem: qui in re minime neceſſariâ, operam futilem poſuerunt: eam nempe ut Ioſephum cum Lucâ, quaſi oppoſitum reconcilient. Quod omninò cum fieri non poſſe, quidam doceant; alii, licèt difficultèr, tamen fieri poſſe contendunt, magno conatu magnas utrinque agunt nugas. Inter iſtos Conciliatores, funem ducunt, non familiam, Novatores, quos appellat Apparatus: in quos fulminat, & fulgurat Cardinalis, eò quòd Ioſephi teſtimonium, & authoritatem, ſcilicet, ſacratiſſimo Scriptori Lucæ anteponant. Ad hanc tantam, tam veſanam, tam blaſphemam audaciam, ita enim loquitur, *Diriguit, ſteteruntque comæ, Cardinalis: mirum* enim *in modum obſtupuiſſe* ſe ait, *ad audaciam Novatorum.* Quàm non oportuit factum à Cardinale! Indigna certè calumnia, viro docto & illuſtri: & parum candidè imputata. Inter cætera enim requirit accuſatio juſta, non tantum ut rem, & crimen nudè notet accuſator, ſed reum ut deſignet, teſtibus confirmet: aut ἐπ' αὐτοφώρῳ reum convictum teneat. Intendit crimen Baronius, & immane quidem ſcelus: profanum Scriptorem Ioſephum ſacratiſſimo Hiſtorico Lucæ, prælatum à Novatoribus. Sed reum de nomine non deſignat: indefinitè, & ἀπολελυμένως perſtringit indi-

4

duum quoddam vagum, *Novatores*. Hoc non eſt candoris tui erudite vir. Quantò rectiùs Alfonſus Salmeron? qui non gentem aliquam, *Novatores*; ſed hominem ſingularem, Theodorum Bezam nobis nominavit: ut illum intelligamus hoc in loco, ſub nomine Novatorum, deſignari. Profectò, gratiæ habendæ eſſent Salmeroni: per eum enim ſtat, quo minùs tanquam rei blaſphemiæ tenerentur univerſa Natio Novatorum: hoc eſt, proteſtantium cœtus Catholicorum. Certè nos, qui poſt-nati ſumus, & Bezæ priores editiones Annotationũ in novum Teſtamentum, non vidimus, utpotè ab ipſo retractatas, nec adhùc proſtantes in officinis, & tabernis librariorum, ſcire nullo modo poteramus Illum aliquid tale chartis alleviſſe, niſi edocti à Salmerone. Salmeron autem, è primâ Bezæ editione, quæ dudum cum authore ſuo *vixit*, duos commemorat errores: neutrum de Fide, vel Dogmaticum, ſed tantummodò Conjecturalem. Prior error eſt, quod ſcripſit Beza: *Fortè textum corruptum eſſe*. Secundus, *Illam periodum*, de deſcriptione Quirinii, *non fuiſſe ab initio ſcriptam per Euangeliſtam, ſed è Gloſſemate marginali, neſcio cujus, in textũ irrepſiſſe*. Hìc autem imprimis reſpondendum eſt, Errores non eſſe duos, ut vult Alfonſus, dum multiplicat errores, ſed unicum. Recidunt enim utrique in illam *blaſphemam impietatem*, ut Baronius vocat, Textum Euangeliſtæ eſſe corruptum, depravatum, adulteratum. Quæ cum ita confusìm, & confertìm, objiciat Novatoribus Cardinalis, probabile eſt, illum, locum Bezæ non conſuluiſſe, ſed ex auditu incerto retuliſſe: alioquin enim, ex odio capitali in Novatores, non unam, ſed plures blaſphemias objectaſſet. Sed reſpondeo.

5 Quid à Beza ſcriptum ſit, vel non ſcriptum, ſtatuere non poſſum: quippè qui, nullum adhuc viderim exemplar, priorum Bezæ annotationum. Salmeronem tamen habeo excuſatiorem, qui in rem præſentem involavit, & illas petiit annotationes, quæ ſolæ tunc forſan extabant, cum ipſe viveret: nec in retractationes aliquas, vel ſecundas curas, accuratiores, ut eſſe ſolent, incidit, conſtitutus in Italiâ. Cardinalem nullo modo virum bonum dixerim, qui poſt alias correctas editiones, agnitum, expunctum,

ctum, deletum errorem, & exulare juſſum ab authore ſuo, illum tamen retractum repoſuit, ut jam non tam Bezanus error, quam τὸ διόρθωμα fuerit Cardinalis. Errare potuiſſe Bezam quis negaverit? In multis, etiam per illas Annotationes, & poſtremas illarum editiones, graviter, & pueriliter erraſſe agnoſco. At nemo tamen vir probus, aut rerum æquus æſtimator, illum jure accuſabit, qui quod parum rectè aliquando dixerat, admonitus ab aliis vel à ſe animadverſum, correxit poſtea. Auguſtinum in hâc re ſuſpexit antiquitas. Bellarminũ laudant etiam Adverſarii. Et ſunt à Baronio in Annalibus, quod non ipſe diffitetur, in iteratis editionibus, correcta non pauca: quanquam pars non milleſima eorum quæ reſtant corrigenda. Quæ eſt ergo hæc iniquitas, Vir Illuſtris, illud alteri impingere, quod tibimet impactum gravatè feras. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, Edictum Dei eſt in Naturâ.*

Verum eſto, incorrectus adhuc eſſet iſte error, quid tandem illud eſt, in illo errore, hoc Theatro dignum, & tumultu? illis ἐμβροντησμοῖς, vel horrore? Ait *textum Euangelii corruptum.* Eia! Hæc ſunt irati hominis maledicta. Non dixit, corruptum de induſtriâ, ſenſum, & ſententiam Spiritus Sancti, per ſacratum illum Amanuenſem. Non ait ſcripſiſſe illum, quod ut falſum redargui: aut ut perperam narratum, corrigi debeat. Non ait addidiſſe aliquid humanitùs de ſuo: non detraxiſſe, vel reticuiſſe dicenda, & ſuggeſta, per Sanctum Spiritum: ἁδ' ὅναρ ἁδ' ὕπαρ, hoc in mentem venerat Novatori: ſed id quod fieri potuit, quod factum aliquando eſt: per incuriam, feſtinantiam, oſcitantiam Librariorum, Textum ſacrum fuiſſe depravatum. Hoc ſciunt omnes, etiam ſacratiſſimos ſcriptores, inter reſcribendum ipſorum libros, à ταχυγράφοις, etiam & χαλιγράφοις depravari. Solere Amanuenſibus, ſciunt omnes, inter deſcribendum, literas pro literis: verba pro verbis, calamo excidere, & in loca aliena ſe mittere, quæ deſcribentium animo obverſantur. Notum eſt etiam (quod alterum caput calumniæ attingit, de gloſſemate) ſolere ſtudioſos inter legendum, ad oras librorum, quædam interdum annotare, quæ & ipſa deinceps in contextum, ut appellant, irrepere ſolent, ſenſui, & ſententiæ adverſaria 6

nonnun-

nonnunquam: nonnunquam ſatis congruentia, prout ſe tulerat fors, aut occaſio, Cum codices illi iterum deſcriberentur, ab hominibus incurioſis, & maximam partem imperitis, & ineruditis: (qualia animalia erant plerunq; Librarii, ut noſtris temporibus ſunt Typographi, & Bibliopolæ, ad perdendam remp. literariam nati) Hoc in authoribus cum ſacris, tum profanis, tam frequens, ſi & hoc in loco Beza obtinuiſſe dixerat, non eſt ille reus impietatis: De ſcripturis nemo non agnoſcit Auguſtini dictum, ſcholaſticis quibuſdam uſurpatum, *Ibi non licet dicere, Author non tenuit veritatem: ſed aut codex mendoſus eſt: aut Interpres erravit: aut tu non intelligis.* Non aliud voluit Beza, quàm quod profitetur Auguſtinus, *mendoſum eſſe codicem.* Nam id fieri poſſe, nemo ſanus dubitat. Hiſtoriam, de muliere, in adulterio deprehensâ, Iohan. VIII. multi olim codices non habuere: Patres olim multi non agnovere. Et Euſebius in tertio Hiſtoriarum, teſtatur, adjectam ex Hiſtoriâ Nazarenorum. Quædam apud Marcum. Narratio apud Lucam, de grumoſo ſanguine, in multis codicibus non agnoſcebantur. De quibus videris, quæ collegit vir eruditus, & diligens, Franciſcus Nanſius ad Nonnum Annotationibus. In Hiſtoriâ tentationis Ieſu Chriſti in Deſerto, ſeries non eſt eadem, nec idem ordo, apud Euangeliſtas, Lucam, & Matthæum. Quæ non heri, vel hodie perturbata fuit. Nam meminit Auguſtinus diverſitatis. Vnde incertum fit, quid prius factum: utrum regna terræ priùs demonſtrata fuerint illi: & poſteà levatus ſit in pinnaculum Templi: an vice versâ, hoc prius, & tum illud factũ. Sed valdè probabile eſt, ordinem alteratum apud Beatum Lucam: nam Matthæi ordo eſt genuinus. Et aiunt vidiſſe Fabrum Stapulenſem codices, in quibus eadem erat tentationum ſeries apud Lucam, quæ fuerat in Matthæo. Sed & commoveri Baronium neceſſe fuit vehementius, ad audaciam Clementis VIII. Romani Pontificis, cui ſuũ debebat Cardinalatum: ad audaciam Sixti quinti, cui primitias Annalium conſecrabat: ad audaciam Concilii Tridentini: quòd juſſerit: Concilium, quòd curaverint illi textum ſacrarum literarum, in vulgari editione corrigi, ut depravatum, & adulteratum. Certè illa periodus, quam tamen

Tom. 4. lib. 2 de conſenſu Euang. ca. 16.

tamen agnoſco, & amplector, *Hæc prima deſcriptio facta eſt, à præſide Syriæ Cyrenio*, abeſſe poteſt ſine ſenſus aliquo detrimento, vel delumbatione.

Atq; ita fuit prima reconciliatio tentata, Iudæi Hiſtorici cum B. Lucâ. Secunda ſequitur: quam ineptam vocat, Authorem non nominat. Sed eſt ea Calvini: inepta certè, & rejecta ab ipſo Bezâ. Dixerat autem Calvinus, Edictũ promulgatum quidem ab Auguſto, ut omnes omninò, & ubiq; conſtituti, profiterentur, eo anno, quo ponitur ab Euangeliſtâ: nempè Chriſti natalitio: Sed ob ingruentia bella, quibus eſt vexata Palæſtina, dilatam fuiſſe Cenſus exactionem, uſq; in annos XIII. Sed imperitè, & ridiculè reſpondet & conciliat loca Calvinus. Prodit ea in Authore inſignem ἀπειροπολίαν, & veteris rerum memoriæ ignorantiam. Hiſtorici quippe illius temporis, qui extant: præcipuè autem Ioſephus, altum ſilentium habent de bellis per *Palæſtinam* graſſantibus: aut aliquibus aliis turbis, unde illa *Profeßio* impediretur. Ianum Geminum tum clauſum, alii veriùs cenſent: Paulus nempe Oroſius, æqualis, & familiaris Beato Auguſtino. Nec eſt tantùm inſulſa, ſed & impia per conſequentiam, hæc expoſitio. Pugnat apertiſſimè cum manifeſtis Prophetarum vaticiniis, quibus alta pax futura prædicebatur, cum Rex pacis, Regnum pacis Deo & hominibus pacificatis, Ipſe, *pax noſtra*, quæ in terris luxata erat pacem reſtauraret. Contradicit poſtremò clariſſimis verbis Euangelii, *Ibant enim*, inquit, *ut profiterentur*. Volentes, ſponte, ſine reluctatione ibant, nedum armis contrà edictum & ſeditionibus pertendentes. Erat actio pacifica in Rep: quietâ: *Edictum exiit*. Statim *ibant*, edicto obedientes: non contrà tumultuantes. Quocirca, meritiſſimè, ab erudito Bezâ hæc reſponſio Calvini rejecta eſt. 7

Miſſis tandem Novatoribus, qui volebant Ioſephum cum Euangeliſtâ concordare; Baronius, de conciliatione parùm ſollicitus, qui Ioſephum nullo in numero habet, ad illum progreditur exagitandum, quem opinatur, falsò tamen, diſſentire ab Euangelio: & invictis ſi credimus argumentorum demonſtrationibus probaturus eſt, pueriliter hallucinatum. Ad rem autem aggreditur mirabili 8

quodam

quodam argumento. Sect. LXXX. in Apparatu. *Quid tam novum, & inuſitatum in his, ut Ioſephum erraſſe dixerimus, cum & aliàs ſæpè eundem, in diverſos lapſum eſſe errores, nemo non dixerit.* Quaſi diceret, Errare potuit Ioſephus: reipsâ alibi erravit, quidnî ergo hîc? Probat autem, quod nemo negat, conatu magno, apparatu multo, ſed minimè neceſſario, in aliis erraviſſe Ioſephum. In quâ re, ludit operam, nemo de erroribus non fatetur. Sed num propterea, nuſquam, nunquam verum tenuit: ut neceſſe omnino fuerit hîc erraſſe eum. Licet exclamare ὦ ἐμβροντήτου! Veriſſimè autem cenſet B. Lucam innumeris Ioſephis anteponendum. Sciunt hoc, & fatentur Novatores: quicquid injuriâ, & per ſummam calumniam aliter ſentire clamat Cardinalis. Quomodo autem diſſentit à Lucâ? Eo, nimirum, quod illam ἀπογραφὴν actam per Quirinium, apud B. Lucam, poſt Archelaum ponit relegatum. Quocirca, non poteſt hæc ἀπογραφὴ incidere in tempus natalitium. Hanc appellat urgentem objectionem: quæ eſt plumâ quâvis levior, nec titivillitio empſitanda: Nimirum, dicendum, hallucinari Cardinalem: Nam Ioſephum, & Euangeliſtam, de diverſis deſcriptionibus intelligendos, per eundem Quirinium peractis: primâ, hâc, ſecundâ, illâ. Nam ſine *ſecundâ*, *prima* eſſe nequit aliqua *deſcriptio*.

9 *Vera ſolutio.* Quocirca veriſſimum eſt, quod in poſterioribus ſuis Annotationibus reſpondet doctiſſimus Beza, non locutos illos de unâ & eâdem ἀπογραφῇ: quanvis de uno, & eodē Deſcriptore Quirinio: de una, & eadem gente Iudaîca, loquantur. Eundem nimirum eſſe, utrobique, in eadem gente ἐξισώτην, ſed rem diverſam: tempus non idem: cauſam aliam: effectum conſequentem, planè diſcrepantem. Τιμητὴς & διχομοδότης, non ſunt idem, qui ἀπογραφεύς. Diſtincta obeunt munera; & in natura ſuâ, & apud Ioſephum. Ἐξ ὑπατάγματος mitti, non eſt idem, atque ex *Senatus-conſulto*. Quirinius prima vice ἐξ ὑπατάγματος mittebatur: Auguſti nimirum ſpeciali mandato. Scilicet, non erat τιμητὴς, neq; διχομοδότης ἔθνους, ſed ἀπογραφεύς. In ſecunda ſua miſſione, fuit διχομοδότης, & τιμητὴς. Tacuit illam priorem miſſionem Ioſephus. Neque enim ῥήτως, attingebat res Iudaicas

Iudaicas: ſed tantummodo ſecundum quid; altera propriè ſpectabat ad Iudæos. Eſſe autem duplicem Quirinii ἀπογραφὴν: in unâ eâdemque provinciâ diverſis temporibus procuratam. Harum *unius*, id eſt *prioris*, mentionem feciſſe Euangeliſtam. Poſterioris tantùm, Ioſephum cenſent Beza, Chemnitius, & communitèr Novatores. Quã poſt ambages, & diverticula, Salmeron tandem amplectitur ſententiam, & poſt illum Torniellus, Salianus, alii doctiſſimi Romano-Catholici. Neque certè poſſunt hæ ἀπογραφαὶ, niſi admodum ridiculè, & abſurdè, confundi, ſi & Euangeliſtæ, & Ioſephi, narratio confundatur. Prior erat Oecumenica: ut *totus mundus deſcriberetur*: Ioſephiana particularis. Ἐπὶ Συρίας πᾶσιν: in Syriam miſſus venit: ἡγεμονεύσων τῶν ἔθνους ἀποσταλμένος. *Miſſus eſt ad jus dicendum, & præſidendum illi genti.* καὶ πρώτης ἐξουσίας γενόμενος. *Et ut eſſet facultatum exactor.* Atque iterum in iiſdem terminis, τὰ ἐν τῇ Συρίᾳ ἀποτιμησόμενος. Ita loquitur de negotio particulari, per Syriam provinciam, tranſigendo. Sub Syriâ autem, tanquam pars, ſemper ordinariè Iudæa cenſebatur. Secundò, de illâ apud Euangeliſtam deſcriptione, dicitur, *Ibant ut profiterentur.* Id eſt, audientes dicto, & edicto erant Auguſtali: ſe omninò præbebant morigeros quaquaverſum: nuſquam tunc temporis ad arma itum: nuſquam vel minimum tumultuatum. At in illâ, cujus mentio apud Ioſephum, Iudas quidam Gaulonites è Galilæâ: populum dicitur concitaſſe, & ſeditiones commoviſſe, Antiq. 18. 1. *Cenſum nihil aliud eſſe dictitans, quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem*: adjuncto ſibi Sadoco Phariſæo. De hoc Cenſu: & iſto rebellium promacho & incentore, Gamaliel loquitur, Act. V. *Poſt hæc ſurrexit Iudas Galilæus, in diebus Cenſus, & populum multum poſt ſe adduxit.* Ioſephus Gaulonitem: Lucas appellat Galilæum. Sed nulla eſt diſcrepantia. Nam Gaulonitis regio, pars erat Galilææ: & Gamata oppidum erat in tractu Gaulonitide, unde Iudas oriundus fuit: is qui propter tributum, in illâ ἀπογραφῇ ſecundâ exactum, movebat illas turbas. Ideo Ioſephus ipſe alibi ita loquitur: Ἀνὴρ Γαλιλαῖος, Ἰούδας ὄνομα, εἰς ἀποστα-σίαν ἐνῆγε τοὺς Ἑβραίους κακίζων, εἰ φόρους Ρωμαίοις τελεῖν ὑπομένουσι, καὶ μετὰ τοὺς Θεοὺς ὀισυσι θνητοὺς δεσπότας. *Vir quidam Galilæus, Iudas* 2 *de bello cap.* 12.

de nomine dictus, populum ad defectionem induxit, ignavos dictitans, atq; impios, ſi Romanis penſitare tributum ſuſtinerent, & dominum aliquem agnoſcere præter Deum. De quo rebellionis Flabello, ut & altero illo Theuda, multa deinceps magnopere Baronius turbat, quæ ſunt aliena à præſenti loco.

10 Tertiò, quod imprimis obſervandum eſt, non erat una, atque eadem ἡ ἀπογραφὴ in utraq; deſcriptione, cauſa. Nam in illa Ioſephiana, certiſſimum eſt Tributum fuiſſe exactum: & miſſum ideò Quirinium, ut exigeret. Τιμητὴς nimirum erat, non ſolùm Ἀπογραφεύς, & ἀποδασόμενος peculiariter, τὰ τῦ Αρχελάυ κτήματα. Erat ergo δασμὸς inſtitutus, & ἀποτίμησις. Cum verò, ob hanc cauſam Hieroſolymis res ſpectaret ad tumultus, & ſeditionem, Ioazarus Pontifex, perſuaſo populo, rem compoſuit. Qui πιθέντες τῷ Ιωαζάρῳ τῷ λόγῳ, ἀποτίμων τὰ κτήματα, μηδὲν διαιρέοντες. *Victi à Ioazari perſuaſionibus, facultates ſine ſcrupulo, ſub cenſum redigi patiebantur.* In illa priore ἀπογραφῇ, cujus ſolius meminit B. Lucas, nec Tributi exactio fuit, nec ſolutio ulla. Neque enim venerat φορολογησόμενος, vel δασμολογησόμενος Quirinius, tantummodo autem ἀπογραψόμενος. Erat etenim & alia mens Imperatori Auguſto, conſilium aliud: nempe ut imperii vires recognoſceret. Quot civium Romanorum capita reſtarent. Quæ populorum per ſingulas provincias, vires, facultates, opes: ut, ſi res exigeret, exhauſto per bella civilia ærario, & orbe terratum attrito, delectus exigi, commeatus ſuppeditari, Tributa ſolvi non incommodè poſſent. Erat etiam è rep. ut cognoſceret, quæ affinitates, cognationeſq; ubiq; eſſent: unde genus, & proſapiam derivabant: ut ſi vellent rebellare, quibus auxiliis freti id facere poſſent, intelligeretur. Et hinc eſt, quod dicitur, *Ibant ſinguli, ut profiterentur in ſuis civitatibus.* Iſta, & iſtis ſimilima ſcire, & rei Romanæ intererat, & vigilantiſſimo Principi. Iſta omnino ſcire debebat, qui Imperii *ratiocinarium*, & quaſi *Inventarium*, meditabatur, quod poſtea pertexuit. Hinc Lucas, qui eleganter, propriè, & Atticiſſimè ſcribit, utitur voce ἀπογραφῆς: non ἀποτιμήσεως, aut ἀποδάσμε. Eſt enim ἀπογραφὴ, quod notavit Suidas, ἀπαρίθμησις. Budæus vertit *Inventarium*: Latini vocant,

Deſcriptio-

Deſcriptionem, Profeſsionemque. Deſcriptio erat hæc actio, ex parte miniſtrorum, quorum operâ utebantur Præſides, dum *nomina, cognomina, ætatem, genus, patriam, facultates, ſtatum, conditionem,* cætera referrent in Tabulas Cenſuales. *Profeſsio* erat ex parte Deſcribendorum, qui ſingula de ſeipſis interrogati, reſpondebant, & profitebantur. Iuxta hanc *profeſsionem, deſcriptionemque*: hanc *rationem* relatam in Tabulas Cenſuales Tributum, quoties erat opus, vel Principi videbatur, exactum fuit. Non enim omnis profeſſio, Tributi ſolutionem inferebat. Itaq; B. Ambroſius, qui vertit *Profiteri Cenſum,* nimis rem coactam, & vocem anguſtam cepit. Neq; enim *Cenſum* tantummodo, vel *facultates,* ſed *genus, patriam, ætatem,* alia profitebantur. Rectiùs ergo *Deſcriptio* vocatur, vel *Profeſsio* ἀπολύτως, quam *Profeſsio Cenſus* cum illo Patre.

Huc deniq; accedat, quod relatum à Suidâ, in dictione ἀπογραφὴ, ex aliquo antiquo Authore, ſine dubio, qui nunc non extat, Auguſtum Cæſarem, cupientẽ ſtatum, & vires Romani Imperii cognoſcere, viginti viros, dignitate & honoribus cõſpicuos, ad orbẽ univerſum deſcribendũ, veluti Legatos quoſdam à latere, ad provincias, hoc eſt, orbem univerſum, deſcribendum, cum imperio extraordinario miſiſſe. Inter iſtos erat P. Sulpitius Quirinius, miſſus ad Syriam, & Iudæam deſcribendas. Quanquam falli Suidam certum eſt de ſoluto Cenſu: quod ab illo adjectum eſt de ſuâ ſententiâ, ad Authorem ſuum, quem alias ſequebatur. Ὁ δὲ Καῖσαρ Αὔγυστος, ὁ μοναρχήσας εἴκοσι ἄνδρας τοὺς ἀρίστους ⟨W⟩ βίου, καὶ ⟨W⟩ ἔθνους, ἐπιλεξάμενος, ὅτε πᾶσ᾽ ἡ γῆ τῆς ὑπηκόων ἐξέπεμψε, δι᾽ ὧν ἀπογραφὰς ἐποιήσατο τῆς ἀνθρώπων, καὶ τῆς οὐσιῶν, αὐτάρκη τινὰ προσταξαι τῷ δημοσίῳ μοῖραν ἐκ τούτων προσφέρειν. Sequitur autem Suidæ ipſius explicatio, cur dicatur *prima deſcriptio* πρώτη ἐγένετο ἀπογραφὴ, τῆς περὶ αὐτοῦ τοὺς κεκτημένους τὶ μὴ ἀφαιρημένων. Quod eſt falſiſſimum. 11

Erat igitur extraordinarium illud imperium, cum quo Quirinius in Syriam mittebatur. Ita olim in liberâ adhuc Rep: ad res ſociorum inſpiciendas: ſtatum provinciarum cognoſcendum: cauſas provincialium expediendas: fœdera ferienda, & amicitias: Acta Imperatorum vel reſcindenda, vel confirmanda, Legati à Senatu mittebantur, eò, 12

ubi Conſul, aut Proconſul Provinciam ordinariè adminiſtrabat. Atq; ideo Iuſtinus Martyr, ab iſtis temporibus, non remotiſſimus, Quirinium vocat tantùm Ἐπίτροπον: quod eruditè, & acutè obſervabat Beza. Κώμη δέ τις ἐστὶν ἐν τῇ χώρᾳ Ἰουδαίων σταδίους λε Ἱεροσολύμων, ἐν ᾗ ἐγεννήθη Ἰησοῦς Χριστός. ὡς δὲ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ἐπιτρόπου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου. Appellat hic Tabulas Quirinii Cenſuales, Imperatores Romanorum alloquens in Apologia: *Vicus eſt*, inquiens, *Bethleem, in terrâ Judæorum* XXXV. *ſtadiis Hieroſolymis diſtans, in quo Ieſus Chriſtus natus eſt, quemadmodum dicere poteſtis, è Deſcriptionum tabulis, per Cyrenium confectis, qui veſter erat in Iudeâ olim Procurator.* Vocat Ἐπίτροπον Procuratorem, eò quòd erat ab Auguſto in Syriam, cum mandatis ſpecialibus miſſus, ad ipſius quædam negotia procuranda, & non cum imperio ordinario ad provinciam regendam. Procurator enim ille dicebatur, qui alterius privata negotia ſuſcipit ordinanda. *Principis* Procuratores erant, qui res & negotia *Principis*, ſive in ſuis provinciis: ſive in populi adminiſtrabant. Τοὺς Ἐπιτρόπους, ait Dio, lib. 53. (οὗτος δὲ τοὺς τε κοινοὺς πρεσβεύοντας ἐκλέγοντας καὶ πρεσταγμένα σφίσιν ἀναλέγοντας ὀνομάζομεν) εἰς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη, ἔστε ἑαυτοῦ, καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς ἐκ τῶν ἐξελευθέρων πέμπει. Erat ergo propriè Procuratoris officium, in bona, & facultates. Tacitus in Agricolâ. *Britanni conqueſti, duos ſibi imponi: ex quibus Legatus in corpus: Procurator in bona ſæviret.* In Imperatoris autem provinciis, quò Procuratores mittebantur, Procurator etiam in corpus ſæviebat: vitæ & necis habens poteſtatem. Illâ poteſtate præditus erat Iudææ Procurator: quod de Pontio Pilato conſtat. Et falſum eſt, quod de Iudææ Procuratore ſcribit alicubi Bulengerus, Procuratorem Iudææ ſemper fuiſſe ſub diſpoſitione Præſidis Syriæ, ante Veſpatianum. Falſum eſt enim de Cuſpio Fado: & T. Volumnio, Procuratoribus, cum Saturnino, & Qu. Marſo, Præſidibus. Vocat autem Quirinium Lucas ἡγεμονεύοντα. Sed nihil obſtat illa vox, quin fuerit *Procurator*, miſſus cum imperio extraordinario. Vox enim illa πολυσημος; & in latâ ſignificatione accipienda. Præeſſe, præcedere, primas obtinere, ſignificat, & Principem locum

quocunq;

quocunque modo. Apud Ioſephum uſurpatur de T. Volumnio, qui non erat Syriæ Præſes, ſed tantùm Iudææ Procurator; atque ita Iuſtini ſuffragium in noſtram ſententiam aperuimus.

Poſt Iuſtinum vocandus eſt ad partes Tertullianus, antiquiſſimus Latinorum Patrum: curioſiſſimus omnis doctrinæ indagator: & uſque ad miraculum eruditus. Is lib. 4. contra Marcionem cap. 19. ita refert. *Sed & Cenſus conſtat, nunc actos in Iudæâ per Sentium Saturninum: apud quos genus ejus inquirere potuiſſent. Scabroſus planè locus,* Baronius ait, *nec facilè nobis ſuperandus.* Agnoſco Tertullianum, hoc ſuo effato, crucem fixiſſe Annaliſtis. Et miror, cur non obſtupuerit, ad veſanam blaſphemiam, Tertulliani, qui γυμῇ τῇ κεφαλῇ B. Euangeliſtæ, obloquatur. Anne inciderit in Codicem aliquem, ubi illa periodus de Quirinio deſcriptore non extabat? Quod ſi ita eſſet ſatisfactũ Annaliſtæ petitioni, quâ, vult oſtendi, codicem aliquando extitiſſe, in quo nomen Cyrenii non habebatur. Vidit proculdubio Tertullianus, aut nunquam commentus eſſet, Saturnini nomen tabulis aſcriptum. In causâ fidei contra Hæreticum, de veritate Incarnationis Ieſu Chriſti, provocat ad acta publica Tertullianus. Non decuit hominem accuratum, & vehementem in hoc genere ἐλεγχικὸν, tam negligenter in eo negotio verſari, in quo & expectare poterat reprehenſionem, & habebat adverſarios ſatis audaces. Extabant tunc illa *Acta*, quæ nunc interiêre: unde poterat redargui falſitatis, qui Sentium iis adſcriberet Saturninum. Quod cum vehementèr perturbet Interpretes, & Annaliſtas omnes, variè reſponſum eſt de Quirinio, & Saturnino Syriæ præſidibus. 13

Iacobus Pamelius, Tertulliani ſcholiaſtes, exiſtimat Quirinium egiſſe cenſum per Sentium Saturninum. Improbat Baronius hanc ſententiam. Et rectè improbat: ſed quibus? an rectis rationibus inductus, videndum eſt. *Saturnini*, inquit Cardinalis, *præfectura, in Iudæâ, nullo modo poterat pertingere ad Chriſti tempora. Quia, poſt illum uſque ad Quirinii adventum, præfuiſſe dicitur Quintilius Varus ad multos annos.* De Præſidibus Syriæ, jam ante diximus, in Apparatu. Hîc autem denuò, quædam neceſſariò dicenda ſunt. 14

ſunt. Primũ igitur quæro, à quo dicatur Quintilius Varus tã multos annos præfuiſſe? à quo præfuiſſe uſq; ad Quirinii adventũ? tum, quẽ intelligat Quirinii adventũ? Bis enim fuit in Syria cum imperio. Baronio, ter ad minus: ſed certè ſaltẽ bis Nam ſect. 86. in Apparatu legimus, *Caio Cæſare, ut è Dione diximus, in provincia defuncto, cum nullus alius ſubſtitutus legatur, Quirinium remanſiſſe in Syriâ præſidẽ, nulla debet eſſe dubitatio.* Mihi autem eſt dubitatio. Quin & manifeſtè ſcio falſum eſſe. Sed κείσθω. Hoc non urgeo. Fuit Quirinius Præſes, poſt C. Cæſaris exceſſum. Fuit, & cum Chriſtus naſceretur. Fuit poſt Archelaum relegatum. Ita ter ad minus Syriæ cum imperio præfuit. Addit autem Baronius, *Hic* (nempe Quirinius, ſic relictus poſt exceſſum Cæſaris) *ſucceſſorem habuit Quintilium Varum.* Itane vero ſucceſſorem, qui fuit anteceſſor? Sect. LXXX. *Nam poſt illum,* hoc eſt Saturninum, *ad Quirinii adventum, præfuiſſe dicitur Quintilius Varus, ad multos annos.* Ita Præſidum Syriæ ſeries eſt, Saturninus, Quintilius, Quirinius. Alibi refixa. Quirinius, Saturninus, Quirinius, Quintilius, Quirinius. Et tamen iterum ſect. 86. legimus, *Cui,* Varo, *non Quirinius, ut Ioſephus habet* Antiq. 18. 3. *ſed Marcus Ambivius eſt ſuffectus.* Quod Ioſephus habet, habebat nuper & Baronius. Quæ eſt hæc levitas deſultoria & inconſtantia? Quicquid autem dicit Baronius, Ioſephus illud, non habet. Illud ait: Cyrenium, redactis in fiſcum Archelai rebus, Ioazarum moviſſe pontificatu: & Ananum ſubſtituiſſe, Sethi filiũ: ad annum Actiacum 37. hoc eſt, Nerva Silano, & Metello Cretico Conſulibus, biennio priuſquam interierat Varus in Germania, ab Arminio cæſus cum exercitu. M. Ambivium non facit Ioſephus Syriæ Præſidem, ſed ſucceſſorem Coponio, qui Procurator in Iudæam venerat cum Quirinio Syriæ Præſide. Κοπώνιος μετ' ὀλίγον, εἰς Ῥώμην ἐπανάχωρεῖ. Ἐπὶδὲ αὐτῷ ὁ ἀρχῆς ἐπέμπετο Μάρκος Ἀμβίβιος. Sed non pertendit de Ambivio • eit enim, *niſi velimus affirmare, iterum adhuc Quirinium, in provinciam veniſſe Præſidem.* Hoc eſt, quarta vice, & cur non; nam uſque ad Quirinium, Quintilius præfuit. Hæc mirifica ſunt, & omnem exceedunt ſtuporem: & quicquid fiat Pamelianæ ſententiæ, Cardinalis ejuſdem refutatio, nullo

nullo modo conſtare poteſt, in hac prima parte.

Reſpondet ſecundò, Non fuiſſe Quirinium uſum 15
Quintilio Varo, ad Cenſum peragendum. Luctatur autem cum ſua umbra. Non ſomniavit credo: ſcio, non ſcripſit, Pamelius, Quirinium uſum Quintilio Collectore: ſed ait, *Quirinium Cenſum egiſſe per Saturninum.* Etiam nec hoc dixit. Sed, *Fortè dici potuiſſe, fuiſſe illos collegas in hoc munere.* Pamelium ergo malè cepit Cardinalis. Falsò quidem Pamelius: ſed non ut retur Cardinalis. At cur non egerit per Quintilium? Nam de Saturnino tranſacta res eſt. Rationem attendite; rationem non minus frigidam, quàm & infirmam. *Conſtat enim Varum ampliſsimâ Conſulatus dignitate, non ut Quirinius, ſemel tantùm, ſed ſecundò auctum. Primùm, cum Collega Veſpillone. Secundò, unà cum Ælio Cato.* Sed mira ſunt & iſta. Argumentatur ad hunc modum, Dignitate priorem, vel ſuperiorem, nullo pacto ſubjiciendum poſteriori. At hoc miſerum eſt: & refellitur cum experientiâ, tum etiam ex Hiſtoriâ. Q. Fabius Maximus Rullanus, Conſul quinquies, Dictator aliquoties, Princeps Senatus, quintùm lectus, clariſſimus Dux per ſuam ætatem Romanorum, filio ſuo Gurgiti legatus datus eſt, in bellum Samniticum proficiſcenti. P. Scipio Affricanus, Senatus & Reip. Princeps, P. Scipioni, germano fratri, ad bellum ituro Syriacum, contra Antiochum, & Annibalem, legatus profectus eſt. Parum erat hoc è dignitate virorum, ſuo ſæculo principum: ſed tamen ab illis, & ab aliis factum. Quidnî igitur Quintilius Varus, nullo numero, ſi cum iis componatur, oppreſsâ jam rep. imminutâ dignitate Conſulatus, ex Auguſti Principis voluntate, P. Quirinio ſubjici potuit, in Cenſu, & Deſcriptione peragendâ? Ita nulla eſt prior *exceptio* contra Pamelium. Secundò, dicendum, Faſtos vel prodigiosè ignorare, vel ſaltem diſſimulare, Cardinalem. Non enim Quintilius bis, ſed ſemel tantummodò, Conſul fuit ordinarius, ad annum urbis conditæ 741. cum Tiberio, qui poſteà imperavit. Tertiò, planè obſtupui, cum *Collegas* legerim, Veſpillonem & Ælium Catum. Cum Veſpillone conſul fuit Sentius Saturninus, non Quintilius Varus. Et poſt 22. annos, idem, vel filius ejus potiùs, cum Ælio

Cato.

Cato. Sed obdormiſcebat vir doctiſſimus, cum iſta ſcriberet. Nam pro Quintilio, Saturninum debuit apponere. Quod & ipſum tamen falſiſſimum eſt. Quartò, videri poteſt, (& ita viſum Pamelio) quod Quirinius bis Conſul fuit, cum Varus eſſet ſemel. Nam ad annum 718. cum Munatio Planco, P. Sulpitius Conſul Faſtis aſcribitur. Atque ita, Quintilio, omni modo, prior erat. Et quidnî poterat Quirinius per illum, Cenſum ſuum peragere? ſed erravit, fateor, Pamelius, in hac ipſa re. Illum P. Sulpitium Quirinium, Panvinius harum rerum callentiſſimus, iſtius Quirinii patrem fuiſſe retur. Et certè, extant nummi apud Hubertum Goltzium, in quibus memoratur, P. Sulpitius, P.F.P.N. Quirinius. Sed an hæc ad iſtum Quirinium pertineant, ſalvo judicio accuratiſſimi & Hiſtoriarum ſcientiſſimi Panvinii, Tacitus facit, ut addubitem, qui illum ait, *nihil pertinuiſſe ad veterem familiam Sulpitiorum, ſed ortum Lanuvino municipio*: licèt domi, foriſque ita celebrem, ut publicis exequiis mors illius frequentaretur à Senatu, etiam principe Tiberio id petente. Quod ipſius teſtimonium vim Baroniani argumenti enervat, de Quintilio dignitate priore: Qui parum fælici ſucceſſu verſatus eſt, in Pamelianâ ſententiâ refellendâ, utcunque illa ipſa nihil habeat cum veritate conjunctum.

16 Poſtquam Pamelianam ſententiam, in Tertulliano explicando refutavit Baronius, ſuam ipſius explicat, mirificè λεπτολογῶν, & tantum non agens Alchymiſtam. Totum quæſtionis ordinem verſari retur, in duabus illis vocibus, *Nunc*, & *Tunc*. Nam poſtquam lib. 4. cap. 19. dixerat Tertullianus, *Nunc actos Cenſus ſub Saturnino*: *cap. 33. ita ſcribit, Nemo facilè ignorare de genere potuiſſet, vel recentibus Auguſtanis Cenſibus, adhuc Tunc fortaſſe pendentibus.* Quos locos dum exponit, recidit ferè in ſententiam Calvini, de *dilato Cenſu* per annos aliquot. Opinatur enim Tertullianum hoc velle, Cenſus pendentes ſub Quirinio præſide, actos ſub præfecturâ Saturnini: aut potiùs ſub ejus Conſulatu: per quinquennium ergo, ad minimum pendebant. Scriptura tamen ait, *Ibant omnes, ut profiterentur*: hoc eſt, Deſcriptio peragebatur. Agit, peragit, exagit is, qui citatis civium, vel provincialium nominibus, patriam, nomi-

na,

na, genus, ætatem, ἀπογραφὴν, &c. inquirit: inquiſita, in tabulas refert: hoc eſt, ἀπογράφει. ἀπογραφὴ porrò peracta eſt, ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου: dum adhuc Quirinius erat in magiſtratu. Ita frivolum eſt, & plus etiam, quod de *Cenſu pendente*, comminiſcitur. *Pendebant* autem phraſi Tertullianeâ, hoc eſt, Deſcriptio non peragebatur, ſtatim ac natus erat Chriſtus. Pergit Cardinalis: *At incertus fuit Tertullianus, utrum Chriſtus naſcebatur, ante finitam* ἀπογραφὴν. Eſto: nec inficior. Non tamen ſequitur dubitaſſe Tertullianum, de illâ re: ut tamen incertus eſſet, natum ante luſtrum conditum, hoc eſt, ſub Conſulatu Saturnini. At hoc abſurdum eſt. Certus enim erat Tertullianus, Chriſtum natum ſub Conſulatu Auguſti, & Plautii: hoc erat eo anno, quo deſcripſit provinciam Quirinius. Non potuit ergo vacillare, de anno, qui Conſules certos nominat. Deinde cum Cenſorum nomina, tabulis relatis in ærariũ, ſoleant apponi, cur nos ad Conſules, & non ad Cenſores rejiciat Tertullianus? nec ad Conſules, ſed ad Conſulem? Et cur ad Saturninum, potiùs quàm ad Catum? Qui priorum ſuffragiorum Conſul erat, maximè cum hoc invectũ eſſet contra veterem morem, cujus & ſcientiſſimus, & tenaciſſimus, erat Tertullianus. Præterea, Tertullianus à Cardinali ſect. CV. in Apparatu, inter eos Authores numeratur, qui Chriſtum natum ſtatuunt ſub Conſulatu Lentuli, & Meſſallini: à quibus ad Conſulatum Saturnini, pluſquam luſtrum intercedit. Atque ita, non ſub Saturnino Conſule, ſed ſub Alpheno Varo, & P. Vinutio tabulæ condebantur. Vbi & illud inconvenientèr poſitum eſt, quod loquatur Cardinalis, ac ſi Cenſus iſte fuiſſet ordinarius: ac ſi anno luſtrico peractus. Quæ omnia ſunt luxatiſſima, & perquam inconſideratè poſita: in quibus veritatem ne quidem per tranſennam, Cardinalis vidit.

Verum eſt autem, quod ait Tertullianus, de Sentio Saturnino: nec ille diſſentit ab Euangeliſtâ. Fuit Sentius Saturninus tum Syriæ Præſes. In, & per ipſius præfecturam *Cenſus* hîc agebatur extraordinarius, per P. Quirinium ἐξ ἐπιτάγματος Auguſti Cæſaris. Tertullianus, qui viderat Romana Archiva, ad quæ provocat, Præſidum: Populi: Conſulum acta: Magiſtratus illius *acta* citat: utpote ſub

17

quo, in cujus præfecturâ, res agebatur, & cujus nomen tabulis apponebatur. B. Lucas, qui promiſcuæ hominum multitudini ſcribebat, & non tantùm exactè eruditis, illum nominat Præſidem, qui venerat in rem præſentem. Nec tantum de more priſco locutus Tertullianus, ſed quia Saturninus dignitate Quirinium antecedebat: cujus hoc Elogium extat apud Paterculum: *Virum multiplicem in virtutibus: gravem, agilem, providum, militarium officiorum patientem, ac peritum pariter. Sed eundem, ubi negotia feciſſent, locum dare otio, liberaliter, lauteque eo utentem: ita tamen, ut eum ſplendidum, ac hilarem potiùs, quam deſidioſum, aut luxurioſum diceres. De cujus viri claro, celebriq, Conſulatu prædiximus.* Quod quidem verum eſt. Nam retulerat in prioribus egregium, & illuſtre ejus facinus, cuilibet veterum *Conſulum gloriæ* (ut ait) *comparandum.* Quod ſi eſſet verum, quod retur Cardinalis, bis fuiſſe illum Conſulem; tum magis adhuc fuiſſet majoris dignitatis, quàm Quirinius. Sed neque fuit bis Conſul: neque eſt opus, ut dicamus ſubjectum Quirinio, vel Quirinium ipſi, Cenſitorem.

18 At objiciunt: Facta eſt hæc Deſcriptio, à Syriæ Præſide. Præſes autem erat ordinarius Magiſtratus. Certè verſio Latina Præſidem habet: ut Græcus textus, ἡγεμονεύοντος. Sed & Præſes nomen generale eſt: ad extraordinarium officium quoque pertendens: ἡγεμονεύων, quod diximus, in laxiore ſignificatione ponitur. Atque hanc ſententiam commendant illa, quæ in Apparatu ſect. 93. è variis Caſſiodori allegantur. *Cum propter bella civilia immenſis orbis univerſus conflictatus eſſet cladibus, ipſaq; rerum dominia haberentur incerta, atque confuſa, biſce proſpicere Auguſtus cupiens, Romanum orbem agris diviſit, Cenſuque deſcribi voluit, ut poſſeſſio ſua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum ceperat ratione ſolvendâ.* Hanc opinionem confirmant etiam illa quæ dicta ſunt, de quietâ tranſactione. Non enim Deſcriptio, ſed Tributi ſolutio, malè habebat Iudæos. Quam ſolutionem, magiſtratus ordinarii curabant. Erant enim illæ λειτουργίαι in rep. ordinariæ. At ἀπογραφὴν ad rationem totius imperii ineundam, rem prorſus inuſitatam, obibant extraordinarii.

19 Verum & illud in hâc causâ objici poteſt: mirum eſſe, quod

quod rei tam illuſtris, & per orbem univerſum propagatæ, nullibi aliqua extat memoria, apud rerum Romanarum Authores. Sed rectè reſpondet Baronius, quoſdam ſine dubio meminiſſe, quorum nunc ſcripta deperiêre, vetuſtate, incuriâ, incendio, barbararum nationum inundationibus, in Europam, atque adeo in ipſam Imperii arcem, Italiam, abolita. Et certum eſt, feciſſe quoſdam hujus negotii mentionem. Nam unde illa deduxit Suidas, quæ de XX. Deſcriptoribus totius Imperii retulit, in ἀπογραφῇ? Secundò, Verum eſt, quod prudenter animadvertit Salmeron, è tertio Annali Corneliano, *E dignitate fuiſſe Romani populi, res illuſtres Annalibus, cætera, diurnis actis mandari.* Tertiò, non eſt frivolum, quod advertit idem Vir eruditus; optima ratione Deum voluiſſe, ut res ſacræ, fide apprehenderentur, non humanis conſtarent teſtimoniis.

Inſtat adhuc Cardinalis de Saturnino: *Ejus præfectura nullo modo potuit ad Chriſti Natales pertinere.* Quocirca nec erat ille Præſes ordinarius Syriæ, & Iudeæ, cum deſcriberet provincias Quirinius extra ordinem. Nam *poſt Saturninum, uſque ad Quirinium, per multos annos, dicitur Quintilius Varus Syriæ præfuiſſe.* Succeſſit certè Saturnino Varus: at per quot annos ſucceſſit, non dicitur. In Apparatu, aſſurgunt penè ad XV. Quod ut verum eſſet, quod eſt falſiſſimum, tamen Saturninus poſſet Præſes pertingere ad Natales. Varus enim periit in Germania, ait Cardinalis, falsò quidem, ſed tamen ait, Conſulibus Dolabella, & Silano, ad annum 763: Chriſtus deſcriptus eſt, ad annum 751: ſub Conſulatu Lentuli, & Meſſallini. Quibus ſic conſtitutis, potuit in Iudea fuiſſe cum imperio, annos X: & tamen ſic ut Chriſtus deſcriberetur, ſub Saturnino. Illud enim ſtatuitur apud Baronium eodem anno periiſſe Varum, quo de Syriâ venerat in Germaniam. Quod & falſum eſt omninò, & impoſſibile. Sed miſſis Baronii ἀνηλογίαις, ſic ſe habet veritas de Saturnino. Anno, quo Herodes moriebatur, erat Syriæ Præſes, Varus. Teſtatur hoc planiſſimè Ioſephus. Hiſt. 17. 7. Vbi in causâ Antipatri, ait adfuiſſe Quintilium Varum, miſſum Saturnino ſucceſſorem. In fine autem cap. IIII, ejuſdem libri, conjurationis Antipatrianæ ſocios Romam vinctos mittit, Syriæ

tum Præſes Saturninus. Succeſſum eſt ergo per Quintilium, poſt motam quæſtionem de Antipatro. Potuit ergo Saturninus præfuiſſe Syriæ uſque ad σύνταξιν, ſi Deſcriptio hæc Herodis obitum antevertit, vel per unũ annum, quam antevertiſſe, Cardinalis ſtatuit, totos VIII annos. Saturninus autem Præſes cum filiis ſuis legatis, & Volumnio Procuratore, interfuerant quæſtioni de Antipatro. Antiq. pa. 513. Quem donis, & muneribus in ſuas partes pertrahere, ſed fruſtrà, tentavit, Antipater, Antiq. 17. 3. Atque ita omninò ad Chriſti tempora, vel ſecundum rationes Baronianas, Saturnini præfectura pertingebat. Conſtat autem è Ioſepho pa. 711. poſt convictum Antipatrum, ad Herodis obitum, annum non integrum interceſſiſſe: quâ lite pendente, venerat recens in Syriam Varus, & apud Herodem hoſpitabatur Hieroſolymis.

21 Ad locum Tertulliani quod attinet, quem carnificinæ in Nunc, & Tunc tradit Cardinalis, dicendum eſt, illas voces, eſſe apud ſcriptorem φιλαρχαῖον, ut in omnibus ferè linguis, *pleonaſtica*, aut ſaltem uſurpata, indefinitè, pro *aliquando*. Cicero in 1. de Divinat. *Nunc onuſti vino, & cibo, confuſa omnia & perturbatè cernimus.* Hoc eſt, Certè, vel ἀληθῶς. Et alibi. *Nunc verò ea vis eſt in homine, ut ei multò quis citiùs Rhetoricam ademerit, quàm Philoſophiam conceſſerit.* Arnobius, & ipſe Afer, qui proximè ad phraſin Tertulliani accedit, Lib. 1. *At verò Iupiter, ut vos fertis, & patrem habuit, & matrem: Avos, avias, fratres. Nunc nuper in utero matris ſuæ formatus abſolutus menſibus, & conſummatus decem.* Ita voces illæ Tertullianeæ, *Nunc*, & *Tunc*. *Cenſus acti Nunc in Iudæâ* (neq; enim audiendi, qui reſcribunt Tunc) idem ſonant, quod, *Cenſus acti*: vel, *Cenſus aliquando acti.* Neq; illud *Tunc*, quod ſequitur, negotium nobis faceſſere debet. Non eſt enim referendum ad τὸ *Nunc*, quod præceſſerat. Επὶ μάλα πολλὰ μεταξύ. Sed ut Nunc pleonaſticè, vel indefinitè, ita quoq; & Tunc uſurpatur. Atq; ita nimium λεπτολογεῖ, in Tertulliano, Cardinalis, cujus multa, & mirabilia in hoc negotio Quiriniano παρεγράματα, prætermitto.

22 De Quirinii Deſcriptione ita ſtatuo. Bis fuit in Syriâ, cum imperio, P. Sulpitius Quirinius, bis ἀπεγράψατο provinciam. Primò, delegatus ab Auguſto, cum *imperio extraordinario*,

traordinario, ſine ullâ Tributi exactione, cum Syriæ præeſſet ordinariè Sentius Saturninus. Secundò, cum *imperio ordinario*, miſſus ab eodem Auguſto, ſucceſſor Quintilio Varo, poſt relegatum Archelaum: in quâ ἀπογραφῇ, exactus Cenſus, & inde turbæ concitatæ. In prima ἀπογραφῇ naſcebatur Chriſtus. *Primam* ergo vocat reſpectu ſecundæ Beatus Lucas: non ob alias rationes, quas ſatis futiles excogitarunt. Petrus Comeſtor, quemadmodum citatur à Barradio, ſuavis homo fuit, dum *primam* dictam autumat, quod ille cæteros deſcriptores anteverterat: & primus peregerat ſuum Cenſum: ſatis ridiculè. Sed magis adhuc illud, ubi rationem reddit tantæ feſtinationis. Quod Syria ſit in medio habitabilis orbis. Quaſi Romani Cenſores, in urbe deſcribendâ ab urbis *meditullio* inciperent. Quaſi Deſcriptores illi, neſcio quod, myſterium ſecuti, à centro moverent in extremitates. Comeſtori litem movebunt illi, qui non Syriam, ſed Delphos ſtatuunt in orbis meditullio. Inde eſt illud Ovidii,

——— Orbis
In medio poſiti caruêrunt Præſide Delphi.

Sed valeat Comeſtor cum ſomnio ſuo. Alii *primam* dictam arbitrantur, quòd Iudæi tunc primùm cenſiti fuerint. De quâ, cenſurâ Cardinalis habemus ſect. 87 in Apparatu. *Quod primam dixit, nemo prudens ſic intelligat, tunc primùm cenſos fuiſſe Judæos, atque redactos ſub Tributo, factoſq; populo Romano vectigales.* Et tamen Barradius poſt Baronii cenſuram, in hanc propendet opinionem. Alii *primam* quod nunquam antea cenſitus erat Romanus orbis. Sed *prima* revera referri debet ad Quirinium: non ad cenſum. Bis deſcripſit Syriam provinciam Quirinius. Hæc *prima* fuit: & ita Baronius tandem in Apparatu, *Primam dixit reſpectu ſecundæ, ſub eodem Præſide.* Qua durante deſcriptione, Chriſtus naſcitur: de qua re, ſic Gregorius meditatur. *Quid eſt, quod naſcituro Domino, mundus deſcribitur, niſi hoc quod apertè monſtratur, quod ille tunc apparebat in carne, qui Electos deſcriberet in æternitate.* Enthymius quoq; eodem modo. *Præfigurabat univerſi orbis ſubjectio, & Deſcriptio totius mundi, ad Chriſtum converſionem.* Perſequitur autem Hiſtoriam ſuam

23

Homil. 8. in Euang.

ſuam Euangeliſta. *Factum eſt autem, dum eſſent ibi, impleti ſunt dies ejus, ut pareret: & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat iis locus in Diverſorio.* In qua, de loco Nativitatis primùm inſtituenda diſquiſitio.

24 Quod imprimis ad locum ipſum attinet, ubi Chriſtus in lucem edebatur, Bethleem fuiſſe dicitur, in tribu Iuda, quæ civitas David vocabatur: Bethleem appellatur διλωπιχῶς. Nam ita prædictum erat per Prophetam: *Et tu Bethleem, Terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exibit Dux, qui regat populum meum Iſrael.* Et ὡς ἀφ' ὑγιοσν appellat eam *civitatem David*: non ἁπλῶς civitatem David: Sed Bethleem civitatem, civitatem David. Ita fuit neceſſe, ne ſcrupulus oriretur ex amphibologia Duplex enim dicitur, & quidem in Iudæa, civitas David. Illa prior, ubi naſcebatur, Bethleem nimirum: altera illa, ubi Rex jam habitabat. Iſta erat in monte Sion, vel potius ipſe mons Sion, urbis Hieroſolymitanæ tandem pars: de qua 2 Reg. 5. *Ceperat David arcem Sion, & in illâ arce habitavit, & vocavit eam civitatem David.* Illa, ipſa, urbecula Iudæ, in qua natus David: à Davide, non tam Domino quam Domeſtico, dicebatur Civitas David: ubi domus paterna conſtituebatur; & hæreditas erat aſſignata inter contribules. Dicitur etiam Bethleem Iudæ, ad diſtinguendum à Bethleem in tribu Zabulon: de qua Ioſue 19. 15. Minuta erat civitas inter millia Iudæ: clariſſima tamen propter alumnum David: ſed multo magis illuſtrata Nativitate filii, at *Domini* quoque *Davidis*: *Domini potentis in prœliis*: *Domini Exercituum*. Vt non immerito de illa cecinerit Prudentius. *O ſola magnarum urbium major Bethleem: Cui contigit Ducem ſalutis cœlitus incorporatum gignere.* Hanc, quam *terræ foramen* dixit Hieronymus, Hieronymi præceptor Nazianzenus, eleganter vocat *orbis Metropolin*: Alius, cælorum πανδοχεῖον: & ipſe Heronymus ad Paulinianum fratrem, (Anguſtiorem multò locum exiſtimans, qui Salvatorem mundi, quàm qui fratris genuit parricidam) Romæ prætulit. Bethleem, ait Beda Venerabilis lib. de Locis Sanctis cap. VIII. *Sita eſt in dorſo anguſto, ex omni parte vallibus circundato: ab Occidente in Orientem mille paſſibus longa, humili,*

ſine

ſine turribus muro, in cujus Orientali angulo quaſi quoddam naturale ſemicentrum eſt, cujus exterior pars, Nativitatis Dominicæ fuiſſe dicitur locus: interior Domini præſepe nominatur. Burchard in deſcriptione terræ ſanctæ, 1. par. ca. VII. ſect. 56. *A Ieruſalem duabus leucis, contra Auſtrum, ſita eſt Bethleem in monte, non tamen excelſo.* Mons eſt quidem arctus, extendens ſe in longitudine, ab Oriente ad Occidentem. Ab Occidente patet ingreſſus: in fine Orientali ſub rupe quâdam, exiſtente tunc temporis juxta parietem urbis, videtur ſecundum illarum regionum morem, fuiſſe locus pro ſtabulo, habens præſepe exciſum in rupe, ut moris eſt, illic diſponere præſepia. Hîc natus de Virgine Chriſtus. In hoc antro, ſub hâc rupe, *Agnovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui*, quemadmodum Prophetæ verba huc applicavit Hieronymus. Qui, Epiſt. XVII. ad Marcellam, invitans eam ut commigret Bethleem, ait, *Verum ut ad villulam, Chriſti, & Mariæ diverſorium veniamus, (plus enim laudat unuſquiſque quod poſſidet) quo ſermone, quâ voce ſpeluncam tibi poſſumus Salvatoris exponere? Et illud præſepe, in quo infantulus vagiit, ſilentio magis, quam infirmo ſermone honorandũ eſt. Vbi ſunt latæ porticus? Vbi aurata laquearia? Vbi domus miſerorum pœnis, & damnatorum labore veſtitæ? Ecce in hoc parvo terræ foramine, Cælorum Conditor natus eſt: hîc pannis involutus: hîc viſus à paſtoribus: hîc demonſtratus à ſtellâ: hîc adoratus à Magis. Et hic, puto, locus, ſanctior eſt Tarpeiâ rupe, quæ de cælo ſæpiùs fulminata, oſtendit quod Domino diſpliceret.* Quæ totidem verbis repetit, Epiſtola XVIII. ad eandem.

De quo loco Natalitio particulariùs adhuc agendum. 25
Patres Græci, Latinique conſentiunt, apud illam urbem, & civitatem David, σπηλαῖον, ſpeluncam fuiſſe, in quâ editus fuerat in lucem Servator. Doctiſſimus Caſaubonus ex Arabe Geographo nobis obſervavit, eſſe multas, in illo tractu domus, è ſaxis exciſas: cum tota regio circa Ieruſalem, ad ſexageſimum uſque lapidem, eſſet, quemadmodũ Strabo notat, πετρώδης. An σπηλαῖον illud fuerit αὐτοφυὲς, & αὐτορυφὲς nec dixerim, nec diſquiro. Putarem potiùs arte locum, & induſtriâ fuiſſe in humanos uſus antrum excavatum: qualia etiamnum, in locis petroſis apud nos viſuntur.

tur. *Quoniam Ioſephus non habebat in vico illo, ubi diverſaretur, in ſpeluncâ quádam, quæ vico propinqua erat, diverſatus eſt. Ibi Maria, Chriſtum recens natum, in præſepi depoſuit*: ut Iuſtinus Martyr contra Tryphonem. Stultiſſimum ſimul eorum commentum refutans, qui Ioſephum Bethleemi habitaſſe dicebant, cum Maria, per Sacerdotes ſcilicet, ei deſponſaretur in Templo. Pari modo de ſpeluncâ & Origines, lib. 1. in Celſum. *Quod autem in Bethleem ſit genitus Ieſus, ſi velit aliquis, poſt Michææ vaticinium, & poſt Euangelii per Ieſu diſcipulos conſcriptam hiſtoriam fieri alias certior, intelliget, ut ſubſequenter in Euangelio. Cum ejus Nativitas enarratur: & in Bethleem ſpeluncam oſtendi, ubi ille ſit natus, quod utique & in illis locis percelebre eſt, vel apud eos quidem, qui à fide ſunt alieni, fama & nomine circumfertur eâdem in ſpeluncâ Ieſum quendam Chriſtum adorant, & demirantur genitum eſſe.* Similia leguntur apud Euſeb. in VII. ἐπιδείξ: ca. 5. Athanaſium, de Nativitate Chriſti: Gregorium Nyſſenum de eâdem: Epiphan. Hær. XX. Hieron. multis in locis: Epiſt. 17. 18. Epiſt. 48. in Epitaphio Paulæ. Vt ſummæ ſit temeritatis, arrogantiæ, imò & dementiæ, tam illuſtri traditioni non ſubſcribere; unanimum conſenſum Patrum repudiare. Neque enim repugnat Euangeliſta, qui *ſtabulum* nominat, & non *ſpeluncam*, cum in ſpeluncâ ſtabulum eſſe poſſit. Quocircà, recte doctiſſimus Exer-
Pag. 161. citator, *Porro ſtabulum, in quo natus eſt Dominus, paſsim Græci, Latinique Patres appellant* καταλύσιον, *ſpeluncam.* Nec mirum: cum eſſet Bethlehem in ſaxeo colle ſitum, videntur pleræque domus, in ſaxis fuiſſe exciſæ. A quo cur diſſentiamus, cauſa non eſt.

26 Illam porrò ſpeluncam extra muros Civitatis nonnulli, & quidē antiquiſſimi, ſcriptores, ponunt: alii juxta muros ſtatuunt: alii alicubi in agro Bethleemitico, non quidem intra, ſed nec juxta urbem. Author operis, De Chriſti *operibus Cardinalibus*, non ille quidem, quod titulus præ ſe fert, Cyprianus: ſed neque tam recens, quàm nuper quidam ſomniavit: Natum opinatur Servatorem in ruſtici cujuſdam caſula vel mapali. Cui iratior Cardinalis, pronunciat, *Eum loca illa ignoraſſe.* Fortaſſis quoad αὐτοψίαν: quomodo ignoravit ipſemet, qui Italiam non exceſſit,

Cardinalis.

Cardinalis. Non tamen omnino ignoravit, ſi aſſereret, quod imputatur. Illud autem, quod objicitur, non ait Cyprianus. Caſulam vocat, fateor: ſed non ruſticam: non alicujus, in agro, Agricolæ domum: ſed propter anguſtias & humilitatem illarum ædium, caſulam appellat. Ita loquebatur M. Cicero, Princeps illæ Romanæ eloquentiæ. *Ptolomæo Ægyptum peragranti, comitibus non ſecutis, cibarius in casâ panis datus eſt*: hoc eſt, in diverſorio, vel πανδοχείῳ. Et ad eundem modum loquitur ille Cyprianus. *Nullum domus arta diverſorium occultabat. Nec ſecreti conſeſſus erant illius caſulæ.* Vocat diverſorium, & caſulam. Ita de ruſtici tuguriolo non cogitabat. Importunus ergo Cenſor Cypriani Cardinalis, injuriam facit ſanctiſſimo viro, qui nequaquam ignorabat, rem ab Euangeliſtâ narratam, dum καταλυμα illud, vel diverſorium, in quo naſcebatur Dominus Ieſus, *caſulam* vocat. Comparativè voce illâ utitur: eò quòd à cultu, ornatu, ſplendore, capacitate, magnarum ædium, atque etiam diverſorii paulò lautioris, ampliorisque longiùs recedebat. Interim, fatetur Cyprianus, Bethleemi natum Ieſum: quod & ipſum fatentur ſinguli, qui in ſpeluncâ, extra, intra, ad muros: qui in agro, vel in ſuburbiis diverſorium illud ſtatuunt. Neq; enim is tantùm dicitur Londini natus, qui intra muros in lucem editur: ſed & ille, qui in ſuburbiis, pomeriis, etiam villulis adjacentibus, naſcitur. *De Nativ. Chriſti, Sect. 2.*

Quocircà, minus rectè Maldonatus in 2. Lucæ: Caſaubonus in Exercitationibus: & aliorum ſcriniorum ſuppilator Bulengerus, Iuſtinum, Eccleſiæ antiquiſſimum ſcriptorem, reprehendunt, quaſi non *apud*, vel *in* Bethleem, ſed *juxta*, vel non longè à Bethleem, editum in lucem diceret Ieſum Chriſtum: Εν σπηλαίῳ συνεγγὺς τῆς κώμης κατάλυσει, *In ſpeluncam quandam juxta vicum, hoſpitaturus, divertit.* Erat Iuſtinus (omnium, qui hodiè extant, patrum antiquiſſimus) Samaritanus ortu; ideò non longè diſſitus à Bethleemo: locorum proculdubio oculatus teſtis, qui primus ſpeluncam nominavit. In quo & audiendus, & auditus fuit. Eſt Author Nyſſeno, etiam genuino, non inferior, vel minus fide dignus: at Pſeudo-Nyſſenis, qualis ille eſt, quem opponunt, ſexcentis anteponendus, qui contra Iu- 27

dærorum mores, expressam scripturam, communem sensum, & pietatem, B. Virginem commentus est, intra Sanctuarium educatam. Iustinum illi, vel non intelligunt, vel scientes depravant. In secundâ Apologiâ, Micheæ testimonio advocato, docet natum Bethleemi: & Imperatores Romanos, apud quos ἀπογράφεσθαι, ut se verum dicere intelligant, certiores reddendos remittit ad tabulas Cyrenii Censuales. Et eo in loco, etiam quo illud συνοῦσις usurpat, disertissimè Bethleemi natum profitetur. Γεννᾶται, inquiens, πότε τῷ παιδίῳ ἐν Βηθλεέμ. Ita magno conatu magnas nugas agunt, qui Iustinum calumniantur, quasi negaret ille Christum natum Bethleem. Non unâ vicè, id disertis verbis profitetur, nec dissentit ab Euangelistâ.

28 Omninò illud, ἐν Βηθλεέμ, ambiguum est. Nam vel urbem, vel suburbia: vel pomeria notat. Et συνοῦσις ἡ πόλεως, est in Bethleem, In: Ad: Iuxta. In territorio Bethleemitico: quo satisfit Micheæ Vaticinio. Atque ita videtur intellexisse ipsemet Herodes, cum sanguinarius homicida, missis satellitibus, occidit omnes pueros infra bimatum, qui erant in Bethleem, & territorio, vel agro Bethleemitico. Neque profectò videtur intra muros natus Servator, cum nocte intempestâ clausis jam januis, eò pastores missi venirent, & puerum fasciis involutum, jacentem in præsepi, intuerentur. Vidit hoc, vir acutus Maldonatus, & sibi, suæque sententiæ objecit ad ver. 8. Lucæ 1. cui dixit se satisfacturum ver. 16. Sed deseruit vadimonium, nec promissis suis stetit Maldonatus: prudenter comperendinans, & tandem dissimulans id, cui respondere non poterat. Temerè idcirco, Iustinum reprehendunt: prælertim cum nemo è veteribus sit repertus, qui illud, *in Bethleem*, nobis exposuerit enucleatiùs. Spiritus plerunq; Sanctus in πλάτει loqui solitus est: nec est compingendus in angustum. Ideo Origenes Lib 1. contra Celsum, existimat, non esse adeo mordicus adhærendum, τῷ ἐν Βηθλεέμ. ἐκ Βηθλεὲμ: vel ἀπὸ Βηθλεέμ γεγεννῆσθαι. Hoc est, posse nos *In Bethleem*, intelligere de urbe, suburbiis, agro, pomerio, intra, extra, juxta muros, nec dissentire à Scriptura tamen.

29 Illud non est omittendum: Non modo Bethleem Iudæ: vel civitatem David, sed & ipsam quoque speluncam ibi,

ibi, Prophetarum oraculis fuiſſe deſignatam. Nam Eſaiæ 33. 16. inter alia dicitur, οὗτος οἰκήσει ἐν ὑψηλῷ πετρᾳ ἰσχυρᾷ. ἄρτος δοθήσεται αὐτῷ. *Iſte habitabit in excelsâ ſpeluncâ petræ validiſſimæ: & panis dabitur illi.* Sed non habentur, inquient, apud Hebræos. Agnoſco. Neque apud Symmachum, vel alios Interpretes Hæreticos. Satis eſt, quod LXX. Interpretes ita legant: antiquiſſimi omnium Interpretum: fide optimâ interpretati ſcripturas, quas nondum corruperat malitia recentior Iudæorum. Symmachus, Aquila, Theodotion, Hæretici erant: Proſelyti: ideo ſubinducti ad interpretandum, ut fidem τῶν LXX. elevarent, quos ſummo odio Iudæi proſequebantur, qui malâ fide in eo munere verſati ſunt: illos codices tranſtulerunt, quos impii Rabbini, Iudæorum magiſtri, in fraudem religionis Chriſtianæ, variis modis depravarunt. Hoc in ſuo Dialogo cum Tryphone Iudæo, luculentiſſimè demonſtrat Iuſtinus, eorum temporum ſcriptor, cum per hanc ſuam impietatem, Iudæi in ſcripturas graſſarentur. Meminit hujus verſionis in ſuis Commentariis Hieronymus. Nec multùm ab eâ recedit Hæbraica verſio. *Iſte in excelſis habitabit: munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* Sed iſta ſunt allegorica, nec demonſtrant. Fateor: Nec Prophetam in eum finem allegabat Iuſtinus: ut tanquam ſolitarium illum Cenſum indè conſtrueret. Verùm cum Bethleem ſignificet *domum panis*: quidnî *panis dabitur*, eò alludat? Cum petræ fiat mentio: ſi vox ſpeluncæ abeſſet, non erat tamen incommoda alluſio. At cum illam vocem agnoverint LXX. Interpretes, recentiores expunxerint, omnino credibile malam illâ fidem Rabbinorum hîc graſſatam. Ita parùm diſtat à calumniâ, annotatio viri eruditiſſimi, Iuſtini obſervationē de *ſpeluncâ*, in quâ Dominus naſcebatur, non habere aliquid ſoliditatis. Hæc eſt ſcilicet curioſitas Criticorum.

Sed quemadmodum minus, quàm oportuit, tribuunt Iuſtino τῷ παλαιῷ, ita plus quam vellet, aut divinus credo Spiritus intendebat, Divino Vati Habacuc affingit Bulengerus, cum aliis: Neque enim ille cecinit, quod ad marginem adſcripſit Cardinalis, Bovem, & Aſinum alligatos ad præſepe. Non meminit, *aſini*, vel *bovis*, ille Vates: niſi velimus dicere præter *bovem*, & *aſinum*, nulla eſſe alia animalia, 30

lia. Nam ita habet Interpretatio LXX. ſeniorum, quam ſequuntur ii, qui Bovem hîc & Aſinum ſtabulantes introducunt, *In medio duorum animalium cognoſceris.* Hos ſequitur Tertullianus, lib. V. contra Marcionem. Hieronymus ex Hebræo vertit, *Domine, opus Tuum in medio annorum vivifica: illud in medio annorum, notum facies.* Hoc eſt, Domine vitam redde operi Tuo: quomodo Barradius, è ſocietate interpretatur: id eſt, homini in ſceleribus jacenti, ac vitâ deſtituto ſpirituali. *In medio annorum*: hoc eſt, In medio duorum temporum, vel duarum ætatum: quarum altera adventum Meſſiæ priorem anteceſſit: altera ad ſecundum uſque adventum ſubſequetur. Sed obtineat per me Septuaginta Seniorum interpretatio, *In medio duorum animalium cognoſceris*: ad quem locum elucidandum advocatur Eſaias, c. 1. Qui de bove *cognoſcente Dominum ſuum*: & aſino *agnoſcente præſepe poſſeſſoris ſui*, contra ingratiſſimam Iudæorum gentem agit. Hîc Hieronymus totus eſt in ſenſu *anagogico*, de populo Iudæorum, & Gentium. Bovem ille refert ad Iſraelem: mundum animal: portans jugum: nimirum *Legis jugum*: & Deo ſeparatum in ſacrificia. Aſinus, animal ferendis oneribus natum, Gentes deſignat, peccatorum onere prægravatas. At ſenſum perſequens literalem, ait, *Illi autem ne hoc quidem fecerunt, quod bruta faciunt animalia, ut beneficiis vincantur, ac intelligant paſtorem ſuum. Nec comparavit eos canibus, quod eſt animal ſagaciſſimum, & pro exiguo cibo Dominum ſuum defendit, ſed ſtolidioris ſenſus animalibus, Bovi, & Aſino: quorum alterum carpenta trahens, duriſſimas terræ glebas vertit vomere: alterum portat onera, & hominum in gradiendo laborem temperat: unde & jumenta appellantur, ab eo quod juvent homines.* Neque aliquid impedit, quo minus, aliter Hieronymum interpretemur, in Epiſt. 27. ad Euſtochium de Paula: non de Bove, & Aſino κτ' γράμμα, vel σκόπον θρόνον, hinc, & inde Ieſum Chriſtum Infantem in cunis ambientibus, ſed de populo Iudaico, & Gentili, primitias ſuas Chriſto, in *Paſtoribus*, & *Magis* offerente. *Hîc enim*, verba ſunt Hieronymi, *viſus à Paſtoribus: hîc demonſtratus à Stellâ: hîc adoratus à Magis.* Nec ulteriùs progreditur: ubi tamen juſtiſſima ſe offerebat occaſio, de Bove, & Aſino commentandi: in Epiſt. 17. & 18. Neque aliter

aliter didicerat Hieronymus à ſuo Præceptore, Nazianzeno. Non enim refert ille, ut vulgò arbitrantur, Chriſtum ex ſententiâ Eſaiæ, vel Habacuc, reclinatum inter duo animalia, Bovem, & Aſinum: ſed per Anagogen ita habet, ex verſione Billii: *Cognoſce, ut bos, poſſeſſorem tuum: Eſaias te admonet: & ut Aſinus præſepe Domini Tui: ſive mundus quiſpiam ſis, & legi ſubjectus, rectamque doctrinam ruminans: atque ad ſacrificium idoneus: ſive etiam adhuc immundus, ac cibo, & ſacrificiis inutilis, Ethnicæque partis.* Neq; aliter accipiunt Nazianzeni Commentatores. Neque aliquid huc pertinens habetur apud Baſilium, Commentar: in locum Eſaiæ, qui tamen longiori quidem ῥήσει illum interpretatur.

Illud alterum teſtimonium ex Habacuc deſumptum, ut 31
legunt diverſimodè, ita & interpretantur, variè veteſtiores. Ne communibus ſuffragiis iviſſe illos, vel ituros eſſe arbitremur, in ſententiam Cardinalis, Tertullianus, qui ſequitur verſionem LXX. Seniorum, de Moyſe, & Heliâ interpretatur. *In medio,* inquiens, *duorum animalium cognoſcere Moyſi, & Eliæ.* Cont. Marc. Lib. 4. Cap. 22. *Simplex interpretatio,* ait Hieronymus, *& opinio vulgi, de Servatore interpretatur, quod inter duos latrones crucifixus, cognitus fuerit. Qui autem melius, hoc dicunt, quod in primâ Eccleſiâ, quæ de Circumciſione fuit, & de præputio congregata, duobus populis, ſe hinc indè cingentibus, intellectus ſit Salvator, & creditus. Sunt, qui duo animalia, duo intelligunt Teſtamenta, Novum, & Vetus: quæ verè animantia ſunt, atq; utilia ſpirant: in quorum medio Dominus cognoſcitur.* Ita habemus duplicem apud Hieronymum illius Vaticinii expoſitionem: tertiæ quoq; præterea mentionem: Nullam tamen illius, vel leviſſimam memoriam, de nato Chriſto, inter Bovem, & Aſinum, utcunque adeò pervagata fuerit, ut pictorum patrocinio, vel audaciâ parietes omnes, & feneſtras occupaverit. Certè nuſquam, quod animo recolere poſſum, illius meminit Hieronymus. Qui tamen & quartam ſuggeſſit ἕκτου πλάσεως, de Patre inter Filium, & Spiritum Sanctum agnito. Hujus extat, & quidem cum reprehenſione, memoria apud Cyrillum Commentariis in illum locum. τὴν διαφόρως ἑρμηνεύεσθαι. Nempe inter duo animalia cognoſcere. ὁ μὲν ἐν δύο κτηνῶν ζῶα, ὅ τε βοῦς καὶ ὁ ὄνος, καὶ ἐν μέσῳ γινώσκε-

σθαι

ὄντως τὸν θεὸν, & πατέρα. Addit reprehenſionem: Ἀμαθὲς δὲ, ἔιμοι, ὃ τῇδε νοεῖν. καὶ πολὺ τὸ ἀμαθὲς, καὶ θλιπτὲς ἔχον. Addit rationem, cur ſtultum appellet. Quis enim audebit ζῶον animal, eſſe ζωὴν, vitam? Tum in Confeſſione Trinitatis, Pater, non in medio eſt, ſed primus. Tertiò, facit mentionem quemadmodũ & Hieronymus, de novo, ac veteri Teſtamento. Hanc non reprehendit: *Sed viam ſuam ineat quiſque*, inquit, *quam vult*: & ipſe ſuam init, qui ita habet. *Olim, conſiſtente adhuc Politiâ Moſaicâ, in Tabernaculo viſebatur propitiatorium. Illud, alis adumbrabant duo Cherubim, qui vocantur animalia apud Ezechielem. Illa autem (eò quòd Iudæis erant omnia in figuris) quod Chriſtus verſabatur inter Deitatem, & humanitatem, declarant.* Hæc ille. Theodoretus illorum temporum ſcriptor eruditus, adhuc alia affert. Οἱ μὲν γὰρ δύο ζῶα νενοήκασιν ἀγγέλους καὶ ἀνθρώπους. & in Angelicâ naturâ diviſionem faciunt. Οἱ δὲ τῆς ἀπομάτων δυνάμεων, τὰ τῇ θείᾳ φύσει παλάζοντα, Χερουβὶμ, καὶ Σεραφὶμ. Alii Babylonios, & Iudæos voluêre intelligi. Ἐμοὶ δὲ δοκεῖ, ait ſuam ipſius ſententiam proponens, μὴ ζῶα, ἀλλὰ καὶ ζωὰς εἰρηκέναι τὴν θεοφάτην, τήν τε παροῦσαν καὶ τὴν μέλλουσαν, ὧν μέσος ὁ δίκαιος Ἰὼβ κρίτης ἀνεφαίνετο. Ita, vita præſens, & æterna, duo ſunt, non animalia, ſed (ζωαὶ, non autem ζῶα) quarum in æquilibrio ſtat juſtus. Hæc ille.

32 Quemadmodum autem interpretatio multiplex, ſic & multiplex verſio diſtraxit hunc locum. Aquila vertebat, ἐν τῷ ἐγγίσαι τὰ ἔτη, ζώωσον αὐτὸν. *Cum appropinquant anni, vel ætates, vivifica illum.* Theodotio tranſtulit, ἐν μέσῳ ἐτῶν, ζώωσον αὐτὸν. *In medio annorum vivifica ipſum.* Symmachus, Ἐντὸς ἐνιαυτῶν ἀναζώωσον αὐτὸν. Hebraice habetur prout vertit Theodotio. Quod alii exprimunt, *Intereà temporis vivifica ipſos*: hoc eſt, fove, refocilla, & vivifica, intereà eos, dum durabunt anni ſeptuaginta Captivitatis. Ita variant multiplicitèr Expoſitores. Non tamen eſt aliquis, quod ſciam, qui eodem modo in eum ſenſum explicuerit. Cyrillus Hieroſolymitanus, citatus è Catecheſi XII. non περὶ ζώων, de duobus animalibus, ſed περὶ ζωῶν, de duabus Chriſti vitis capiendus. Intellexit enim *Crucem*, & *Reſurrectionem*. Neque hoc negat Bulengerus. Gregorius Nyſſenus, quem citant Annales, non magis eſt ad propoſitum quam cæteri. *Quocircà in præſepi*, ait, *quod eſt brutorum animalium habitaculum*,

culum, is qui de cælo deſcendit, panis vitæ, proponitur, ut etiam bruta, rationali ſumpto cibo, rationem adipiſcantur. Medius igitur inter bovem, & aſinum in præſepi, utriuſque Dominus eſt, ut ſoluto ſepis interſtitio, ambos in ſe creet in unum hominem, & ab hoc grave jugum legis auferat, et illum ſimulachrorũ cultus onere levet. Ferri non debet, quod ineptus quidam Declamator, ſub illuſtri nomine Athanaſii ait, dum illudit Lectoribus in oratione quâdam in illud Euangelii, *Profecti in pagum, &c. Fortaſsis propter pullum iſtum, Ieſus in præſepi reclinatur: quaſi Ioſeph, vir generoſus, locum non haberet, cum è Davide ſtirpem traheret, & regii generis exiſtens, Filius David diceretur: nec ubi hoſpitaretur, niſi in diverſorio.* Fungus iſte, neſciebat, etiam mendicos, non rarò è regum ſanguine deductos: nec impius blatero credebat opinor, Euangelicæ narrationi, *de ſtabulo, & præſepi.* Non eſt certè, ut concludam, vel improbabile, vel inconveniens, ut Chriſtus Dominus natus in ſtabulo, inter duo animalia, Bovem, & Aſinum viſeretur. Poteſt fieri, ut eò καὶ σκέπτον δεύτερον alluſum fuerit per Prophetas. Non ullum Fidei creatur periculum, ſi negetur: vel acceſſio fit Fidei, ſi concedatur. Hoc eſt, quod affirmo, Patrum authoritates, per doctiſſimum Cardinalem allatas, parùm conducere ad rem, fortaſſis veram, ſed ἀδιάφορον. In ſenſu enim *Allegorico* loquuntur illi, non in ſenſu *Literali.*

Narrat porrò Beda, in libro de *Locis Sanctis* cap. VIII. 33
id quod auditum acceperat ab Epiſcopo quodam, homine minimè malo, ſed nimis tamen credulo, cui fucum fecerant alii naſutiores, Fontem perennem ex illâ ſpeluncâ, in quâ Chriſtus naſcebatur, ſcaturiiſſe: in quo fonte, recens natum infantulum ſuum Deipara mater, abluerat. *Hæc ſpelunca,* ſunt verba Bedæ, *tota interius ſpecioſo marmore tecta, ſupra ipſum locum, ubi Dominus natus ſpecialitèr, traditur, Sanctæ Mariæ grandem geſtat Eccleſiam: petram juxta murum cavatam, primum, Dominici corporis lavacrum, de muro miſſum ſuſcipiens hactenus ſervat: quæ ſi quâ forte occaſione, vel de induſtriâ fuerit exhauſta, nihilominùs, continuò, dum reſpicit, ſicut antè fuerat, plena redundat.* Mirum eſt autem hoc latuiſſe Hieronymum, oculatum Terræ ſanctæ luſtratorem: Bethleemitici receſſus inquilinum: locorum Sanctorum accuratum deſcriptorem. Nos autem, qui ſanctè credimus,

accuratèq;

accuratéq; defendimus, B. Virginem sine viri copulâ concepisse de Sp. Sancto: & qui libenter profitemur, in ipso partu miraculoso, virginitatem non violatam custodiisse: & præterea, prorsus exemptum, nisi quia volebat, & Deo sic visum, ut legem in omnibus adimpleret, qui venerat, ut legem abrogaret, atque ideò juxta legem, purificatam in Templo fuisse: nullum hîc de aquâ è rupe manante, miraculum advocamus: qui nullam caussam justam, vel probabilem illius miraculi advocandi possumus comminisci. Neque solet Deus, quasi ludens, aliud agens, alicui gratificans, sine causis justis, & cum divinâ suâ sapientiâ conjunctis, ad miracula edenda, in Brachio excelso, & potenti descendere. In illo admirando puerperio, nulla erat causa lavandi infantem: aquæ, salis, cæterorum usus nullus. Omnes Catholici credunt, & profitentur, purè, purum, de purificato matris utero prodiisse, sine dolore, offensâ, sanguinibus. *Totum hoc negotium erat plenum gaudio: nullus dolor: nulla naturæ contumelia in partu:* ait Cyprianus, rectè, Sermone de Nativit. Quid autem intelligat per *contumeliam*, addit, *Non erat ibi lavacris locus, quæ solent puerperis præparari. Quippè nec aliqua Naturæ injuria matrem Domini læserat.* Concordat Zeno Veronensis, antiquus etiam Author. *Non mater Domini, tanti partus pondere exhausta, totis pallens jacuit resoluta visceribus. Non filius, matris, vel suis, ullis sordibus delibutus. Neque enim reverà, aliquid habere poterat, circa se immundum, qui humani generis peccata, sordes, & maculas venerat mundaturus. Denique purgationes, quæ sunt tarditate periculosæ, nullo puerum maternorum viscerum damno prosecutæ sunt.* Nec quærimus hîc cum Nicodemo, Quomodo fuit istud factum? Nam ut inquit Chrysostomus, Τὸ, πῶς, οὐκ οἶδα. πίστει δέχομαι. καὶ θεουργάζομαι λογισμῷ. *Hoc, quomodo, non Ego novi. Fide amplector: rationem non satagens inquiro.* Et cum sancto Leone profiteor, *Non hîc cogitetur parientis conditio: sed nascentis arbitrium: qui sic homo natus est, ut volebat, ut poterat.* ὁ γὰρ δι' αὐτὸς μὲν ἐδέῖτο καθάρσεως, ὁ ἄρων τὴν κόσμου τὰ ἁμαρτίαν. Nazienzeno videtur, ut & mihi. Hisce per omnia assentiuntur cæteri Patres, si unum fortassis exceperis Tertullianum, qui Virginem, in partu, Virginem non fuisse ait: Quem tamen benignus interpretatur Pamelius. Videtur etiam Hieronymus

Hæc est falsum. Tertullianus veterrimus contradicit huic, Hilario sententia ista non fuit cui hymni virginitatis olim Hier. Synesio, Chrysostomus &c. Leoni &c. qui infra.

Serm. 3. de Natali.

Serm. 2. in Psal. 50.

nymus duriuſcule locutus, qui contra Helvidium ſic ſcribit, *Iunge, ſi licet, & alias naturæ contumelias: novem menſibus uterum inſoleſcentem: faſtidia, partum, ſanguinem, pannos, &c.* Is tamen rectiùs alibi ita loquitur, *Solus Chriſtus clauſas portas, vulvæ Virginalis aperuit, quæ tamen clauſæ jugitèr permanſerunt.* Ita non negat in partu virginitatem: & conſequentèr non credidit, quæ niſi violatâ virginitate, non contingunt in partu. Eſt hæc communiſſima ſententia recentiorum: quibus nos non poſſumus non ſubſcribere, qui doctrinam, & diſciplinam publicam Eccleſiæ Anglicanæ, non privatas aliquorum opiniones, amplectimur. Quocirca fabulam illam apud Bedam importunam, de lavacro rejicimus. Videtur illa fictio, è commentitiis Poetarum narrationibus profluxiſſe. Volunt illi Rheam Iovis Deorum Monarchæ genetricẽ, cum illa Tonantem Deũ, ſi Diabolo placet, enixa eſſet, aquæ penuriâ laborâſſe, quâ, nati infantis ſordes abluere poſſet, priuſquam faſciis involveretur. Ita enim narrat Callymachus:

Αὐτίκα δίζητο ῥόον ὕδατος, ὄφρα τόκοιο
Λύματα χηλώσαιτο, τέον δ' ἐνὶ χερσὶ λοέσσαι.

Quæ ſic vertit Interpres Callymachi optimus, Banaventura Vulcanius.

Mox laticem poſcebat aquæ, quâ corpore ſordes
Ablueret nati, & teneros perfunderet artus.

Cum vero nuſquam in propinquo aquæ comparerent, Sceptro ſuo tellurem percuſſit Rhea, & è veſtigio ſacri latices ebullierunt, quibus ablutum infantem nymphæ faſciis involverunt. Addit Callymachus:

Καὶ ῥὰ τότ' ἀμηχανίης ἀχομένη φάτο πότνια Ῥεία
Γαῖα φίλη, τέκε καὶ σύ, τέων δ' ὀλοὸν ἐλάφεαι
Εἶπε, καὶ ἀντανύσασα θεὰ μέγαν ὦθι πιχὴν
Πλῆξεν ὄρος σκήπτρῳ, τὸ δὲ οἱ διχα πᾶλλὸ διέστη
Ἐκ δ' ἔχεεν μέγα χεῦμα. τόθι χέρσα φαιδρύναντο
Ὧν να τέον ἀπείρασε.

Anguſtis ergo rebus ſic Diva loquuta eſt
Tellus, ô parias & Tu; neq; enim tibi partus

Difficiles veniunt. Dixit, validiſq; lacertis
Connixa, attollens ſceptrum Dea maxima montis
Impulit in latus, hic vaſto diviſus hiatu,
Hinc atq; hinc validum ſubito dedit agmen aquarum:
Mox Te, Rex, vivo perfuſum flumine pannis
Involvit.

Quanquam nec Rheæ opus erant latices. Nam λύματα illa, quæ appellat, Nymphæ in Lymacem Arcadiæ fluvium projecêrunt, ſic dictum à purgamentis illis, quod narrat Pauſanias in Arcadicis. Sed valeant figmenta Poetarum: & quorundam Commenta non diſſimilia Chriſtianorum de *lavacro, & fonte miraculoſo*, in loco Dominicæ Nativitatis. Nihil indignum humanitate Servatoris, ne in illâ humillimâ συγκαταβάσει debemus fingere. Naturam ille ſumpſit, ſed integram: & eo modo in lucem edebatur, qui nullam habebat affinitatem cum peccato. Scimus autem, unde profecta ſit maledictio, *In dolore paries*. Videndi de hâc re Scholaſtici Doctores in III. partem S. Thomæ: & inter eos vir variæ eruditionis Gabriel Vaſques.

34 Hinc profectus Illuſtriſſimus Cardinalis, inſulſam, & impiam illam fabulam, de pænâ incredulæ obſtetricis rejecit, quam ſic retulit Zeno Veronenſis. *Maria incorrupta concepit; & poſt partum Virgo permanſit.* Hactenus optimè. Sed quod ſequitur, ab Apocryphis Hæreticorum Mythologiis deſumitur. *Obſtetricis incredulæ, periclitantis enîxa, in teſtimonium reperta, ejuſdem eſſe virginitatis, incenditur manus, quæ, tacto infante, ſtatim edax illa flamma ſopitur. Sicque illa medica fœlicitèr curioſa, dum admirata mulierem Virginem, admirata Infantem Deum, ingenti gaudio exultans quæ curatum venerat, curata receſſit.* Impiè conficta fabula, per nequiſſimos Hæreticos qui librum, de *Infantiâ Servatoris*, & Iacobi Proteuangelium nobis procudêre. Hieronymus huc reſpexit, in 1. contra Helvidium. *Nulla ibi obſtetrix* (verè & piè) *nulla mulierculârum ſedulitas interceſſit. Ipſa pannis involvit Infantem: ipſa & mater, & obſtetrix fuit. Nam ipſa collocavit eum in præſepi: ipſa pannis involvebat: unde Commenta refelluntur Apocryphorum.*

Orat. 6. de Nativ.

35 Faſcias vero iſtas, atque pannos, ex admirabili quâdam Divinâ diſpenſatione, ad tantæ rei memoriam, futuris temporibus

poribus commendandam, ſi credimus Annalium authori, Feſta ſolennitate Antiquitas celebrabat. *In quarum honorem*, ait Ille, *nobiliſsimam erectam Baſilicam, & anniverſariũ feſtũ diem à populo Chriſtiano actum, è Patrum encomiis commemorat.* Sed Patres nullos profert, Germanum, & Euthymium tantum, apud Lippomannum: Cui, & quibus nos Simonem à Caſſiâ, & communem Romanæ Eccleſiæ opinionem opponimus: de quâ Carthuſianus in Lucam, ſic ſcribit. *Communiter aſſeritur, quod pannis*, id eſt, *vilibus, & veteribus panniculis, Virgo Chriſtum involvit.* Neque alios præparâſſe pannos vult Simon à Caſſiâ. *Vilibus*, inquiens, *tegumentis involvitur, quæ, ut piè creditur, nec præparata erant proviſione parentum; Sed aut erant illi ex velamentis Virgineis, aut fortè mutuatis.* Piè, fieri poteſt, ut credatur: at certè, ſtultè aſſeritur, atque tantum non impiè: cum tanta ſocordia, incuria, negligentia impingatur B. Virgini, ut de neceſſariis rebus Infanti naſcituro, ſecundum ſuum poſſe, providere nollet. Quod ſi pannos illos mutuò accipiebat, quod non ſolet fieri, reſtituit proculdubio, neque ſine injuriâ potuit rem alienam, tanquam ſuam, futuris temporibus reſervare. Mallem miniſterium hîc Angelicum, & divinam omnipotentiam, parandis iſtis neceſſariis, advocaſſent. Hanc fabulam refellit Brigitta in revelationibus. Vbi ipſa B. Virgo Brigittam alloquens introducitur. Quod ſcivit, ſe in Bethleem parituram, ut impleretur Scriptura: iccircò, de mundiſſimis, & decentiſſimis lineis panniculis, ſibi providit, quibus filium ſuum decentèr involvit. Quis autem, non ipſi potiùs matri credat, narranti ſuam curam, & ſollicitudinem, quàm vulgatæ opinioni, aut Sexcentis à Caſſiâ, vel Bonaventuris, qui & ipſe, neſcio quid, de *velo capitis* nugatur. De vitâ Chriſti cap. VII. Hæc ſunt hominum piorum, & zelotarum, ſed parùm prudentium, λεπτολογηματα, neque digna majeſtate Annaliſticâ. Faſciis credimus involutum. Nam id teſtatur Euangeliſta. Faſcias fuiſſe proprias arbitramur: non mutuatas aliundè, in procinctu: ſed mundas, præparatas, ut fieri ſolet, infanti involvendo accommodatas. Credibile eſt, eas apud Virginem beatam manſiſſe repoſitas. Nam hoc in more poſitum, & antiquis temporibus, & hodiernis, ſcimus: inter

ſua etiam χειμήλια pretioſiora, ſi quæ habuit, non eſt improbabile, B. Virginem illas repoſuiſſe. Sed hoc nuſquam memoratur in hiſtoriâ ſacrâ: nuſquam comparet in ſcriptis Patrum antiquorum, Græcorum, Latinorumve: altum eſt ſilentium de iiſdem apud Euſebium, & Hieronymum, curioſiſſimos indagatores monumentorum omnium, quæ Chriſti in terris præſentiam teſtarentur: ut non immeritò Germani Conſtantinopolitani fides cum Euthymio labaſcat, qui erant tot retrò ſæculis μεταγενέστεροι. Scire velim, unde factum, quod de faſciis hiſce Chriſti, ἀρρὲς, καὶ ταινίαι, tam ἀμφιβόλοις, ita ἐκμυθῶσιν vetuſtiores. Hieronymus valdè delectabatur quibuſcunque ejuſmodi monumentis, & reliquiis: eaſdemque, ſed ſobriè, nec λατρευτικῶς venerabatur. Terram ille Sanctam, à Dan uſque Beerſhebam, ſedulus obſervator peragraverat: Bethleemiticæ ſpeluncæ, & Nativitatis receſſus omnes, atque angulos, & diverticula excuſſerat diligens indagator: qui tamen in illas faſcias nunquam inciderat: nec ante Germani ætatem P. C. aliquis Protoveſtiarius aulæ, vel Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, de Guardarobâ Patriarchali, faſcias illas Annaliſtis explicuerat.

36 Quocircà, Bulengerum, inſignem, ſi quis unquam fuit, in hiſce literis nugatorem, cum ſuâ *pietate*, delirare patiamur. Det teſtem nobis idoneum, qui pronunciat, ſervatas, repoſitas iſtas faſcias à B. Virgine ad Germani, & deinceps ad noſtra uſque tempora duraſſe: ita ut poſteritati conſecratæ venerationi eſſent, vel feriis ſolénibus colendæ. Nec tantùm Patres, ſed & larvæ ſcriptorum vetuſtiorum tacent: & ipſi Apocryphorum mangones: neq; enim in Iacobi Proteuangelio, vel ſimilibus, aliqua mentio habetur faſciarum. Si Caſaubonus crederet repoſuiſſe Deiparam matrem faſcias illas apud ſe, minimè contra pietatem credidiſſet: & nos fortè idem putaremus. Nam, quod dixi, ita ſolent matres. Si autem cum aliis crederet ideò repoſitas, ut futuris temporibus tranſmiſſæ cultui proſtituerentur & venerationi, deberet dare teſtem ſaltem idoneum. Ad me quod attinet, faſcias illas geminas, ſi πληροφοριακῶς alicubi extare intelligerem, inviſerem libenter: omnibus gazis, & cimæliis anteponerem: non tamen venerarer.

nerarer. Sed non extabant olim. Non extant hodiè: neque Chriſtophorus à Caſtro, perſuadere potuit (qui tamen modum penè omnem, & menſuram exceſſit, hujuſmodi nugas convehendi) ullibi haſce faſcias vel extare, vel extitiſſe: quippe quî, ne My quidem Lucillianum de illis habet. Septingentos totos annos hiſce faſciis poſterior erat Germanus: ulterius adhuc, nimirum annos mille & centum, Euthymius. Erāt certè inter eruditiores ſui ſæculi uterque, non tamen aſpirare poſſunt ad Heroas illos Conſtantino ſuppares, nec ad alios uſque ad finitum Concilium Chalcedonenſe, nedum vetuſtiores & temporum Apoſtolicorum. Erat Lippomannus, apud quem iſta tradunt Germanus & Euthymius, in Concilio Tridentino magni nominis Epiſcopus immenſi laboris, & Induſtriæ: ſed is tamen, in quo judicium interdum deſiderare cogaris. Quicquid enim Græcia mendax, Sanctorum vitæ, & Legendæ, Scriptores ineruditi περιπολοῦντες & φλυαροῦντες commenti fuerant, corraſit, congeſſit, obtruſit. Neſcio an fidem huic fabulæ habuerit ipſe, certè perſuaſit non ſolum ineruditis lectoribus, vel qui erant mucoſis naribus, ſed naſutioribus interdum, & limatiori alioqui judicio præditis. Qui tamen potiùs videri volebant credidiſſe, quàm reverà credebant: & ſic ſimpliciores homines minimè malos, ſed δεισιδαίμονας, & nimium ſuperſtitioſos, per pias quaſdam fraudes ἐφεύρισκον. Cedò autem, quî poterant iſtæ faſciæ, ubicunque demum reconditæ, & cuſtoditæ, ſæpius haud dubiè ædituorum manibus tractatæ, inhianti populo oſtenſæ per tot ætates, illæſæ, incorruptæ, non diſcerptæ, vel laceræ perdurare? præſertim ſi, quod Simoni à Caſſiâ videtur, & non nemini Poſtillatorum erant ab initio, depexæ, detritæ, ῥακώδη φυρήματα, & quæ jam χρόνας ἄγετο. Advocari hîc ad partes debet Divina illa Omnipotentia, quæ olim calceamenta, & veſtitum Iſraelitarum in Deſerto, per XL. annos, incorrupta conſervavit. Divinam verò illam omnipotentiam, & Dei providentiam ſingularem, cuicunque commento, etiam ridiculo, in ſubſidium advocare: idque in non ullum alium finem, niſi ut curioſitati ſatisfiat, vel commodis inſerviatur, non tam imprudentiam ſapit, quam impietatem. Quocirca, totum hoc negotium

tium de faſciis Chriſti repoſitis,cuſtoditis,tranſmiſſis,cultis in eâdem claſſe reponatur, quâ,& alia ejuſdem furfuris commenta, quale illud,quòd *magna de matre cadentem* manibus ſuis Angeli exceperint,& ulnis impoſuerint genetricis. Quod mater ſuo lacte infantem abluerit : cum tamen alii ſcaturigines aquarum huic miniſterio ſuppeditent. Quod naſcentis corpus ſplendore ultrà Solem coruſcaverit. Quod nube obtecta fuerit puerpera ab omnium,etiam Ioſephi,conſpectu : quod ipſum, refertur in *Proteuangelio*. Tam multis fictis fabulis,& portentoſis commentis laſciviunt homines otioſi, & petulantes : Grande Myſterium Fidei Chriſtianæ, Incarnationem Filii Dei *riſui* exponentes,& *lubentiæ*.

37 Sed fatetur Caſaubonus,ingerit Bulengerus, apud Græcos extare in Menologiis, commemorationem *Virgineæ Zonæ* : & hinc,ut ſolet,acutè concludit, longè æquius eſſe, ut faſciæ colantur Servatoris. Nec diffiteor. Nam πολὺ τὸ ἐν μέσῳ,inter Ieſum Chriſtum θεάνθρωπον,& virginem θεοτόκον. Sed & juſtum eſt,& æquum, ut nec illæ, nec iſta colerentur. Omninò autem ridiculè argumentatur, & ἀλογίστως, reſpectu conſuetudinis Romanæ Eccleſiæ. Opinor enim ſolet Bulengerus, quemadmodū plerique, ſæpiùs intonare, *Ieſu Fili Dei miſerere mei* : & tamen longè juſtius eſt, ut Servator invocetur, quam Deiparæ ſupplicetur. Pari modo ſe res de faſciis habet, & de Zonâ. Secundò, non hic agitur de τῷ εἶναι faſciarum, ſed τῷ λατρεύειν. Colebatur Zona : & tamen non ſequitur,extabat Zona,cum aut ubi colebatur. Nam multa colebantur, quæ non erant. Etiam Sancti fortaſſis, qui nec homines, nec Sancti. Græci non oſtendebant Virgineam Zonam, qui feſtâ ſolennitate celebrabant Zonam. Tertiò, non ideò aliquid colitur,quia commemoratur. Nam Virginem Deiparam commemorant,& fatentur Hæretici: Lutherani,& Calviniani ; et Eccleſia vetus Anglicana, Feſtis ſolennitatibus, ipſam beatiſſimam inter fœminas, Apoſtolos, Euangeliſtas, Martyres, Angelos, Sanctos omnes, quod notum eſt lippis & tonſoribus, commemorare, celebrare ſolent ; non colunt tamen,nec divinis honoribus proſequuntur. Et,quia non colunt, ſed injuriâ, incuſantur. Meminit Virgineæ illius

illius Zonæ Caſaubonus, è Græcorum Menologio Syrletiano, non ut faſciis præferret illam Zonam, vel æquaret, Sed nec etiam ut poſtponeret, verum ut falli Baronium doceret, ut teſtium illius fidem elevaret, ut nugaces & mendaces Græcos inter ſe committeret, ut indignos eſſe, quibus fides habeatur, doceret: cum ad diē Auguſti XXXI. faſciis virgineis ſolennitatem addixerint, & non Zonæ Virgineæ, quemadmodum citabatur in Annalibus, è Germano, & Euthymio Lippomannicis: Cum tamen Græcorum Menologiæ Zonæ diem illum, & non Faſciis, ſacratum repreſentent. Itaq; mendaces oportuit eſſe memores. Et conſtat Lippomannum, dum fabulas paſſim ῥαψῳδεῖ, vel ſibi, vel lectoribus ſuis fucum feciſſe hîc, ut non rarò alias.

Bene ſit autem iſtis faſciis Servatoris, ad poſteritatem ita commendatis. Inde enim arreptâ occaſione, ad ſua adverſaria, in nos effundenda, decurrit, de *reliquiis* Bulengerus, eaſque venerandas, colendaſq; contendit. De quâ re, quid nos Angli ſentiamus, breviter exponemus. Nos Martyres, Bulengere, ne neſcius ſis, οὐκ ἀπιμαζόμεθα: qui *memorias* ipſorum anniverſarias in orbem redeuntes in Sancto Stephano Protomartyre honoramus. Eorum πρωτόμαρτυρι εὐλογημένα quæ vocat Nazianzenus, exoſculamur. Ἐν πάσῃ τιμῇ ἔστι, ὑπὸ θεοῦ μεμαχαρισμένοι, ὑπὸ ἀνδρῶν ὁσίων τετιμημένοι: cum Clemente dicimus Diatacta. Reliquias ipſorum, lipſana, cimælia, depoſita, ſi quæ ſint quæ ad noſtram notitiam pervenerint: ſi quæ nanciſci poterimus genuina, non fucata, libenter ſuſcipimus, & veneratione ſuâ, debitâ, congruâ, honoramus. Imprimis autem de Martyribus, ubi non conſtat veritas, diſquiſitionem cenſemus inſtituendam. Albo enim Sanctorum, aſcriptos ſcimus non paucos, illo titulo, ornamentis illis indigniſſimos. Quod nuper experti ſumus in Loyolâ. Alios autem, de quorum τῷ ποῦ ἐστι vix, aut ne vix conſtare poteſt: *qui genus, unde domo*, fuerint. De quorum τῷ εὖ ἐστι, & æternâ fælicitate, dubitatur. Hic jam cum conſtiterit de ſubjecto: de *veneratione* debitâ, hoc eſt, modo & menſurâ diſquirendum. Imprimis, Dei cultum, Latriam, quam appellant, nec poſſumus alicui creaturæ, nec debemus, ſive humanæ, ſive Angelicæ, quamvis excellentiſſi- 38

mæ,

mæ, impendere. Hoc fatebitur Bulengerus & tota Schola non inſanientium τὸ ἐξ ὑπαρχῆς. Nolunt enim illi, contendunt non debere quovis modo cuicunque latriam, ne quidem cultu relativo, exhiberi. Sed ſecundò, non conſtat quis ſit ille *cultus latriæ* Deo ſoli peculiaritèr, præcisè debitus: quibus terminis circumſcribatur: Quis ille, qui ſolis debetur Creaturis, Modus, Gradus, Menſura, Partes, Conditio, Limitatio: omnia vacillant, vel ignorantur. Neque illud agitur, ut conſtare poſſint. Luſum diù eſt in hâc quæſtione, & illuſum per ambiguitates è privatis nempè, vel contendendi, vel diteſcendi reſpectibus. Conſtet autem hoc, & facile conveniet inter nos de Sanctorum reliquiis venerandis. Magnam certè gratiam ab Eccleſiâ Chriſti & partibus inter ſe contendentibus is vel illi inirent, qui docerent, quouſque progredi in hoc Sanctorum cultu & λειψανολατρείᾳ poſſimus ſine juſto ſcandalo, animæ periculo, naufragio pietatis & religionis. Interim, quod pueri ſolent in hâc re, ut in multis, σχιαμαχοῦμεν: Repræſenta mihi *faſcias* illas Servatoris: Confirma per ἀποδειξιν πληροφοριαν, nihil impoſturæ ſub illis faſciis latere: Doce certiſſimò, illas ipſas etiamnum extare, quibus Infans ſacratiſſimus involvebatur: Ego, quod ad me attinet, libens meritò cum ſummo gaudio, gratulatione, reverentiâ, θιλαβείᾳ accurram, ſuſcipiam, & ultra omnia, quæ vocant Barbari Iocalia, cimelia, lapides pretioſos, aurum, æſtimabo. Illa omnia admittam quæ Eccleſia vetus, ad finem uſq; Concilii Chalcedonenſis, fecit, admiſit, uſurpavit. Certum eſt, poſteritatem refixiſſe antiquos illos terminos ab Auguſtino, Hieronymo, Chryſoſtomo, & aliis fixos: modum omnem exceſſiſſe, & menſuram: quod ita eſſe demonſtrabo, cum ad ea ſit perventum, quæ Baronius, quod ipſe ait, tractat accuratè, de *reliquiis*. Interìm, ſic habeto, Paganos μυσαροὺς olim, corpora, cineres, ſepulchra Sanctorum, cum Iuſtino Martyre, deteſtamur. Eorum vel ἱμάτια ſunt αἰδέσιμα: Non tamen perinde atque corpora, quæ nec ipſa adoranda.

39 Atque ita brevitèr in præſenti defunctis hâc διασκήψει de Reliquiis, peregrinandum eſt nobis ad Bethleemiticum præſepe, caſam, ſpeluncam, domum, locum, in quo mortalitatem

talitatem induit Deus verbum. Hinc ille affectus Chryſoſtomianus, quem è cõmentariis in Luc. 2. repræſentat. *O ſi mihi videre liceret illud præſepe, in quo Dominus jacuit!* Sed oculis illud ſuis uſurpare non poterat: non enim extabat idem præſepe per Chryſoſtomi ætatem: nec poterat peregrinantium oculis videri. Addit enim: *Nunc nos Chriſtiani, quaſi pro honore, tulimus lateritium, & poſuimus argenteum. Sed mihi pretioſius eſt illud quod ablatum eſt: Argentum & aurum miretur Gentilitas: Chriſtiana fides miretur illud luteum. Non tamen condemno eos, qui honoris causâ hoc fecêre. Neque Illos condemno, qui in templo fecêrunt vaſa aurea. Sed admiror Dominum, qui Creator eſt mundi, non inter aurum & argentum, ſed in luto naſci. Certè, quia in ſapientiâ omnia adminiſtrat & qui ſeſe voluit exinanire formam ſervi aſſumendo, non immeritò, ſplendorem mundi non elegit, qui ſervili conditioni non congruebat.* Ita præmeditatur hic, quiſquis erat, nam Chryſoſtomus non eſt Commentator. Vas non erat: fortè ruminabat aliquid de Baptiſmo: ac de pelvi ſomniabat, in quâ recens natus infans aquâ vel lacte abluebatur. Neque erat præſepe illud ligneum: lapideum erat, è rupe exciſum & excavatum: ut & ipſum ibidem ſtabulum, αὐτοφυὲς, non è quercu aut robore parieti affixum. Neque ait, laminis argenteis obductum, ſed argenteum planè, & loco alterius ablati ſuppoſitum. Sed Authorem ψευδεπιγραφον, nam (ut dixi) Chryſoſtomus non eſt, fecit inſuper ψευδεπίλογον: ut deſtinam quandam caſæ illi carioſæ & ruinam minitanti, quam credulæ plebeculæ & hianti oſtendere ſolent Romæ, ſic apponeret: quam εὐήθως Bulengerus credit fuiſſe genuinam, germanam, illam ipſam, in quâ natus fuit Ieſus, credat homo credulus: neque enim impedimus, caſam illam, vel domunculam Bethleemiticam, vel ligneum, ſi vocare placet, monumentum, aut quicquid denique ſit è quacunque materiâ conflatum, Romam tranſlatum: ſuam ipſi pietatem non invidemus: ille noſtram ne invideat nobis, ſeu ſimplicitatem, ſive εὐλάβειαν, qui noſtram non poſſumus hiſce præſtigiis fidem accommodare, vel credulitatem, cum nec infima antiquitas hujuſmodi res vel commendatas vel commemoratas retulerit: licet ſuperſtitioſi eſſent homines ultra modum, & miraculis con-

fingendis accumulandiſque, ſub prætextu pietatis & piarum fraudum aſſueti. Qui omnes, hanc ligneam, luteam, lateritiam, marmoream, argenteam caſam, vel laminis argenteis obductam, ad aures noſtras non tranſmisêre. Quod ſi *caſa* nunc aliqua Romæ viſitur Bethleemitica, unde factum, ut *ſpelunca*, quam modò Baronius cum antiquis Patribus profitebatur, in *caſam* tranſierit? Vnde autem factum? quâ hominum incuriâ? quo contemptu potius, ut nominis famâ, miraculorum multitudine, populari frequentiâ, donorum etiam ſplendore & oblationum proventu, ædiculæ illi cedat, olim Nazaritanæ, nunc fortaſſis Lauretanæ? præcipuè, cum illa caſa Romæ ſita ſit, ocello terrarum orbis: arce & Metropoli religionis. Certè Chriſti nativitate *caſa* nobilitata: Romæ poſita: obſcurare deberet alteram illam ædiculam in angulo quodam, & gurguſtiolo Italiæ collocatam. Certè, non aliter ſtatuere poſſumus, quàm locum Chriſti nativitate nobilem multis paraſangis anteîre illum locum, in quo B. Virginem de ſponſalibus compellabat Gabriel. *Mirum autem, quo procedat Græca credulitas*, non immeritò dixit Exercitator: addidiſſet, *Quò artes, & impoſturæ Mangonum?* Certè, per ridiculas hujuſmodi fabulas & à ſenſu communi alienas fidei Chriſtianæ & dignitati detrahitur, & ſannis exponitur ἀφεϊζόντων, qui non pauci dicuntur apud illos inveniri, ubi ejuſmodi περιπλεγήματα exprimuntur. Spelunca vocabatur locus Nativitatis. Credidit rectè vocatam Cardinalis. Nec injuria: cum etiamnum apud noſtrates hujuſmodi ædes, ſtabula, præſepia, è rupibus exciſa inveniantur. Caſa Romana lignea eſt, non lapidea. Domus compaginata, non αὐτόροφος. Mirum eſt, virum doctum, diligentem, curioſum, memorioſum, oblitum fuiſſe eorum, quæ paulò prius, ſect. nimirum 2. attulerat, in quibus perſtringit Cyprianum, tanquam rudem & locorum Sanctorum ignarum, quod Dominum Ieſum in Ruſtici cujuſdem *caſulâ*, natum arbitraretur in agro alicubi Bethleemitico. Spelunca autem non poteſt eſſe caſa, non magis quàm caſa ſit ſpelunca. Hæc tam inconſiderata & repugnantia tradi in Annalibus non debuerant de Caſâ Bethleemiticâ Romam tranſlatâ, quæ ſpelunca, & non domus, erat.

Venera-

Veneratione autem habitus Natalis locus. Agnoſco libentèr, de domo, ſpeluncâ, ſtabulo Bethleemiticis. Et quod magnus ille Patriarcha Iacob, de loco ſuæ nocturnæ quietis dicebat, *Hic locus eſt Bethel, domus Dei*, multò ego magis de Natali Servatoris uſurpẽ: in quo, factus Emanuel, ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν. Palæſtinam, licèt pollutiſſimam propter inhabitantium enormia peccata, hanc tamen ipſam ob cauſam, Ieſu Chriſti ſcilicet ἀναφορὴν non immeritò ſolemus *Terram ſanctam* appellare. Non quod ſanctitas ulla locis adhæreſcebat jam prophanatis. Non quod debeatur loco cultus aliquis ſpecialior: ne quidem reverentia, vel reſpectus niſi relativus: ſed propterea quod cum gratiſſimis animis recolere debeamus, Dei optimi maximi collata in nos beneficia, multa efficaciùs, id quicquid eſt officii, præſtamus, cum mentem, oculos, digitos intendere, ad memorias eorum præſentes poſſumus, & quaſi ſingulos actus, per ſua momenta temporum, per circumſtantias rerum, locorum diſtantias intueri. Hoc ipſum erga Paulam ſuam obſervat Hieronymus. *Illa enim ingreſſa Bethleem, me ipſo audiente, jurabat, inquit ille, cernere ſe, oculis fidei, infantem pannis involutum: vagientem* (Hoc tamen ego non credo, de beatiſſimo illo Infante) *in præſepi Dominum: Magos adorantes: ſtellam fulgentem, deſuper: Matrem virginem: nutricium (Ioſephum) ſedulum: Paſtores nocte venientes: parvulos interfectos: Herodem ſævientem: Ioſeph & Mariã fugientes in Ægyptum.* Et credo equidem, non eſſe adeo ſtipitem, truncum aliquem, vel profanũ, & ab omni affectu religioſo alienum, quin ſi, campos ubi Troia fuit, hoc eſt, Bethleemiticum oppidum, vel agrum præſens inſiſteret, ſtatim, ut religioſa illa matrona, quaſi extra ſe raptus, exclamaret, *Salve Bethleem, domus panis, in quâ natus eſt ille panis, qui de cælo deſcendit. Salve Ephrata, regio uberrima, & χαρποφόρος, cujus fertilitas Deus. In te etenim naſcebatur, qui ante Luciferum genitus fuit.* Chryſoſtomus narrat, alicubi ſuâ ætate uſurpatam conſuetudinẽ, ut in Arabiam peregrinantes abirent, Iobi ſterquilinium, & locum illum inviſuri, ubi eximius ille Dei pancratiaſta & contra diabolum Stephanites decertaverat. Διὰ τοῦτο πολλοὶ νῦν, μικρὰν τινα χώραν ἀπόντες ἀποδημίαν τέλλουσι τῆς ἁπάντων τῆς γῆς, εἰς τὴν Ἀραβίαν τρέχοντες

40

To.6.pa.490 ἢ κατ' ἐκείνην ἰδίωσι, ἢ θεασάμενοι καταφιλήσωσι τὴν γῆν τὰ σκάμματα τεφρώσεις δεξάμεναι ἐκείνης ἢ ὃ χρυσὸς παντὸς τιμιώτερον ἅμα. Non quod ille ſanguis tum reſtabat: ſed quod eo in loco olim fundebatur. Meo quidem animo, nihil magis accendit pietatem & deſiderium noſtrum inflammat erga Deum, quam in rem præſentem veluti deſcendere per orationem ad Deum fuſam meditationem de Deo ſeriam iis in locis, ubi ille olim magnalia ſua declaravit. Certè, ſi in monte Olivarum conſtitutus juxta Bethaniam hiſtoriam Chriſti Ieſu aſcendentis in cælos ex Actibus Apoſtolicis legerem, vel recolerem; videre mihi viderer Dominum ὑπελάμβανον τοῖς Ἀποστόλοις, nube candidâ derepentè circumfuſum: per aerem, in cælos, lento paſſu gradientem & cætera illa, quæ in rem præſentem teſtes Apoſtoli adhibiti intuebantur.

Non adeo irritant animos demiſſa per aures,
Quàm quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Et iſtum uſum qui negant reſultare de viſitationibus locorum Sanctorum, de peregrinationibus ad loca illa Ieſu Chriſti θεανθρώπου veſtigiis calcata, ego illos ſapere & valere ultra homines crediderim, quibus non eſt opus ad pietatis ſtudium vel exercitium humano aliquo infirmitatis naturalis adjumento. Ante Helenam illam Conſtantini matrem, profecti erant multi Hieroſolymas, Deum ibidem ardentiùs veneraturi, inſtat Bulengerus in Alexandro: recte! & poterat in pluribus illo vetuſtioribus. Neq; peregrinationem religioſam ad loca, ut appellant, ſancta, quiſquam improbaverit, qui in rebus Chriſtianæ Eccleſiæ veteris non eſt hoſpes. *Non ſumus tam ſcrupulosè religioſi*, ait Molineus, *ut putemus hoc ævo illicitas eſſe omnes peregrinationes: aut nefas eſſe loca inviſere Chriſto in terris habitata: nec abominamur monumenta Sanctorum. Nec temerè damnaverimus quemquam ſuperſtitionis, qui ex itinere diverterit ut Hieroſolyma & quæ ibi ſunt ſacræ antiquitatis veſtigia contempletur. Nam ſi non eſt illiberalis curioſitas illorum, qui Pyramides, qui obeſa ſenio ſaxa, qui Amphitheatri rudera, qui Græcas vel Romanas antiquitates perveſtigant; quis ſanus vituperaverit hominem, qui ſedulò oculis legerit loca, ubi Deus Iſraelitis mare diviſit: aut ubi lex promulgata eſt: aut Templum extructum:*

Deum: aut Chriſtus crucifixus? Imò, nec eum reprehendimus, quem aſpectus talium locorum, ad Deum ibi adorandum commoverit: aut qui oculis ſuis uſui ſit ad incrementum pietatis, tactus non lapidum, ſed Dei reverentiâ. Hæc ille Tractatu de hoc ipſo argumento. Improbat autem, & meritò, peregrinationes, ut appellat malas, invectas ſcilicet, vel ad ſuperſtitionem, vel ad quæſtum, vel tyrannidem. Quas & ipſas nemo ſanus è Catholicis-Romanis non improbaverit, ut de lanâ caprinâ, quod dicitur, vel τὲι ὄτις σκιᾶς hic rixare videantur contendentes. Concludatur autem hæc de loco Nativitatis diſſertatio boni illius Bernardi apoſtrophe. *Bethleem parva, ſed magnificata à Domino! magnificavit Te, qui factus eſt in Te parvus è magno. Quæ tibi civitas non invideat pretioſiſſimum illud ſtabulum & illius præſepis gloriam? In universâ ſiquidem terrâ, jam celebre eſt nomen tuum, & beatam te dicunt omnes generationes. Vbique glorioſa dicuntur de Te, Civitas Dei! ubique pſallitur, Quia homo natus eſt in eâ, & ipſe fundavit eam altiſſimus.*

Erant autem paſtores in eâdem regione, vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſuper greges ſuos. Et eccè Angelus Domini ſtetit juxta eos, & claritas Dei circumfulſit eos: & timuêre timore magno. Et dixit ad eos Angelus, Nolite timere, eccè enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erat omni populo: quia datus eſt vobis hodiè Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus, in Civitate David. Et hoc erit vobis ſignum, Invenietis Infantem, pannis involutum, & poſitum in præſepio. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis. 41 Neque locum hic commemorat, nec Paſtores de nominibus vel numero citat. Tres fuiſſe volunt quidam, ut & Magos: nec eſt, cur hanc Bedæ ſententiam rejiciamus & aliorum ab antiquâ Traditione proculdubio deſumptam. *Ad Orientem in Turre Gregis, mille paſſus à Bethleem civitate ſegregata eſt Eccleſia trium Paſtorum divinæ Nativitatis conſciorum monumenta continens.* Ait *monumenta*: quia cum ibidem habitarent, ibi defuncti ſepeliebantur. *Diſtat*, inquit Haymo, *turris illa Gregis uno milliario à Bethleem, in quâ etiam hodie trium Paſtorum corpora requieſcunt.* Gen: autem 35. 21. juxta Ephratam, (ea autem eſt Bethleem) mentio

De locis ſanctis cap. 8.

tio

tio ſit Turris Eder ſive Gader, quæ à gregibus ovium in eo loco congregari ſolitis & ſtabulari illam ſortita eſt appellationem. Hieronymus in locis Hebraicis, *Mille circiter paſsibus Turris Gueder, quæ interpretatur Turris gregis, quodam vaticinio paſtores Dominicæ Nativitatis conſcios anteſignans.* Et lib. Quæſt. in Gen. cap. 31. *Et profectus eſt Iſrael, & extendit Tabernaculum ſuum trans Turrim Ader. Si ſequamur ordinem viæ, Paſtorum juxta Bethleem locus eſt, ubi vel Angelorum grex in ortu Domini cecinit: vel Iacob pecora ſua pavit loco nomen imponens: vel, quod verius eſt, quodam vaticinio futurum myſterium monſtrabatur.* Et in Epitaphio Paulæ, *Haud procul indè deſcendit* (nempe Paula in ſuâ peregrinatione Cananaïca) *ad Turrim Ader: id eſt, Gregis.* Hìc igitur ſtabulabantur noctu caulis incluſæ oves cum Paſtoribus: qui & ſuas caſulas vel tuguriola habebant contra cæli intemperiem, dum pro muneris ſui ratione, vitæque ſuæ ſtatu gregibus ſuis invigilarent. Nec repudianda Brochardi obſervatio cum vetuſtioribus congruens: *Contra Orientem Bethleem, eſt Turris Adar, ubi creditur Iacob poſt Rachelis mortem aliquo tempore manſiſſe. Hìc Paſtores horâ fæliciſsimi ortus Servatoris audierunt vocem Angeli, Euangelizo vobis gaudium magnum: quod quidem non niſi divinâ diſpoſitione, & ſapientiâ actum eſt, ut illo in loco Filius Dei annunciaretur natus Paſtoribus, in quo ſanctus ille Paſtor Iacob fuerat commoratus: à quo deſcenderat Stella ex Iacob, id eſt, Virgo, quæ ſuum, & noſtrum peperit Servatorem.* Multi autem poſt Hieronymum locum è IIII. cap. Prophetiæ Micheæ huc referunt; *Et tu Turris gregis nebuloſa, filiæ Sion uſque ad te veniet poteſtas prima: regum filiæ Jeruſalem.* Chriſtophorus à Caſtro vult intelligi Turrim Templi Hieroſolymitani. Sic etiam opinatur Torniellus ad annum mundi 2305: & fieri poteſt ut ad illam intenderit Micheas: non tamen ſequitur non reſpexiſſe vaticinium illud ad Turrim Adar, juxta locum Nativitatis. Neque enim Spiritus Sancti effata in Divinis Scripturis μονοτροπα ſunt: vel quoad ſenſum ſuum, & ſententiam μονήρη: ut certo uni affixa, & non diverſis applicanda: præcipuè, cum ſolus è Prophetis Micheas, locum Nativitatis Bethleem de nomine citet. Eſt ergo mihi perſuaſum, non ad ſolam Hieroſolymã reſpexiſſe Micheam: potius

potius dubium videtur, an omnino eò reſpexerit. Chaldeus Paraphraſtes in illo vaticinio, non Locum, ſed Chriſtum ipſum arbitratur Turrim gregis eſſe nominatum.

Apud Turrim igitur Ader, in agro Bethleemitico compaſcuo ſolo, quod *Deſertum* vocat Eliab, 1 Sam. 17. erant Paſtores, ſive Domini gregum, ſeu potius mercerarii & conductitii. Tres, ſive plures, non enim conſtat: ἀγραυλοῦντες, ait Lucas: hoc eſt, ἐν ἄγροις αὐλιζόμενοι manſionem facientes, ſtabulantes. Neque enim neceſſe eſt ut ſub Dio fuiſſe perpetuò arbitremur quoties pernoctabant apud Greges. Eſt quidem ἄγραυλος, ὕπαιθρος. Sed & alia ſignificat; nempe ἔρημον: quæ ſignificatio ab hoc loco non eſt aliena: & apud Nicandrum in Theriacis, ἄγλαος χαλὸς, λαμπρὸς, εὐαρετὴς, ὠφελίμος: quemadmodum exponit Scholiaſtes. Vetus Interpres, ait Maldonatus, videtur legiſſe, non ἀγραυλοῦντες, ſed ἀγρυπνοῦντες: nec immeritò. Solent autem Græci, ἀφ' τοῦ παρεπομένου ὃ προηγούμενον δηλοῦν: ut doctiſſimus Scholiaſtes Apollonii obſervat, & neceſſe omnino eſt ut ὕπαιθροι, νυκτερεύοντες ἐν ἄγροις, & ibidem αὐλιζόμενοι, ſint ἀγρυπνοι: præſertim, ἐν φυλακῇ conſtituti, quales erant iſti Paſtores. Sunt qui de fiſtulâ paſtoritia hic cogitant, & ἀγραυλοῦντας vertunt ἐν ἄγρῳ αὐλοῦντας, canentes in agris. Cujus interpretationis meminit & meus vetus Scholiaſtes Græcus in quatuor Euangeliſtas. Ἀγραυλεῖν οἱ μὲν ἐρημοῦσθαι, ἐν ἄγρῳ αὐλεῖν. Εἰτ' οὖν φύλακες ἦσαν, οἱ δὲ τὸ ἐν ἄγρῳ αὐλίζεσθαι, ἤγουν, ἀγρυπνεῖν. Nec omnino rejicienda hæc interpretatio, cum paſtoribus, etiam tum temporis, fiſtulis ſuis canere in more poſitum fuerit: Et ἄγραυλον Heſychius exponat καλάμινον: quam vocem fiſtulator Paſtor de ſe uſurpat apud Theocritum: καὶ γὰρ ἐγὼ Μούσων καλάμινον τρόμα. Quocirca non eſt, cur veterem interpretem ſugillent viri docti, quod *Vigilantes* verterit, cum & vigilare, ſit ſtationem excubiaſque obire. At perridiculum eſt, quod inde Scaliger & ſimiles è Novantium factione, qui contra veteres omnes conſuetudines & traditiones ſolent inſanire, colligunt Chriſtum non potuiſſe per Decembrem menſem naſci, quia neque greges, neque paſtores, per aeris inclementiam, ſub illâ anni tempeſtate, in agris ſub Dio verſari poſſent. Ineptiſſimè! ut ſemper ſolent ii, qui refigere volunt τὰ ἀρχαῖα. Quaſi Iacob non dixerit

42

dixerit de ſeipſo vitam paſtoritiam apud Labanem exercente, *Die noctuque æſtu urebar & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*: Gen. 31. 40. Quaſi nos neſciamus Armenta noſtra, greges noſtros, etiam agnos tenellos, in Angliâ, ſub Iove frigido, pluvio, nivoſo, per dies & noctes in Decembri menſe ſtabulari. Et tamen longè inclementior in Aquilonaribus iſtis regionibus aër eſt, quàm apud illos Auſtrales. Erant ergò in agris, etiam per Decembrem, manentes, vigilantes, cuſtodientes greges ſuos: hoc eſt, ſedulò, fidelitèr, diligentèr, munere & officio ſuo fungebantur, & ſubitò ecce Angelus Domini ſtetit juxta illos: ἐπέστη, de loco ſuperiore, aſtitit: in aere apparuit, quaſi eorum capitibus imminens: quemadmodum vox illa rectè feret: ſed rectè Interpres, *Stetit juxta illos.*

43 Hunc ego Angelum libenter exiſtimem Gabrielem fuiſſe, qui imprimis ſolus apparuit: & deinceps cum illo multitudo cæleſtium. Nam hujus operâ & miniſterio in toto hoc negotio Incarnationis viſum Deo uti. *Iſte Angelus Gabriel*, inquit diſertim Origenes, *ad illos benè vigilantes paſtores venit, & Domini generationem iiſdem annunciavit. Angelus ille cubiculi Mariæ janitor, cunarum Domini cuſtos, Infantis Chriſti gerulus*: quemadmodum loquitur Hieronymus, Epiſt. 48. ad Sabinianum. Angelus autem ſingularis, ſolus apparuit primò: & deinceps exercitus Angelorum: *Multitudo cæleſtis militiæ laudantium Deum.* Quod ad modum apparitionis attinet: ipſe Archangelus, cæteri omnes, novo quodam lucis ornatu, & lucis quidem inenarrabilis amictu veluti, apparuêre. Intempeſtæ noctis horâ paſtores circumfulſit nova lux de Cælo, Bernardus ait. Et longè antequam effulgeret iſta lux, Eſaias cap. 60. ver. 2. dixit, *In tenebris, & caligine, lux & gloria Domini orta eſt.* Quo capite, quum de magno hoc myſterio Vates ille Euangelicus tractet, quid impedit, quò minùs hanc ῥῆσιν, ſaltem ſenſu ſecundario, de luce hâc Angelicâ interpretemur? Nam certè, ſi illud quod fuit mortis miniſterium, legis nimirum promulgatio, erat in gloriâ: multo magis par fuit, ut vitæ miniſterium eſſet in gloriâ, 2 Cor. 3. 7. Apparuiſſe olim Angelos Patriarchis & aliis certum eſt, & ſacris literis teſtatum: ſed lucis radiis coruſcantes aliquando

Hom. 3. de diverſis.

quando apparuisse illos, nusquam proditur. Nunc autem primùm in exortu Solis justitiæ, claritas eos circumfulsit. Quæ dicitur claritas Domini, immensa, inenarrabilis, non ferenda claritas: qualis par est ut esset claritas in exortu potentis Dei. *Vt non ambigerent*, ait Leo, *de majestate pueri, quem erant in præsepi visuri, nec putarent quòd in solâ naturâ hominis esset editus, cui supernæ militiæ famularentur occursus, Angelo nuntianti ortum Domini, Pastores sunt cælestis exercitus claritate circundati.* Erat ergo Dei claritas, qui nascebatur, ut testaretur præsentem esse Dominum. Claritas à Deo immediatè circumfusa, non à Solè, maturiùs solito exoriente, diffusa, ut aliquando nonnulli somniabant Dei autem res, res magna est: hoc est, qualem par est, rem ad Deum optimum maximum pertinentem esse. Ita apud Censorinum, de Natali die, *Annus Dei est completus & absolutus* solaris annus. *Homil. 5.*

Viso hoc lumine timuêre pastores: neque mirum. Erat enim subitanea, ingens in tenebris coruscatio, quæ omnia & singula timorem solent generare. Huc accedit, quòd vulgò persuasum erat Israelitis, morituros, qui cælestes spiritus apparentes vidissent. *Moriemur*, ait ille pater Samsonis, *eò quod Angelum Domini vidimus.* Pellit hunc timorem cælestis internuncius, & potius, inquit, *gaudete, nam Euangelia apporto vobis, Natus est Salvator, Christus Dominus hodiè.* Cumulum huic addunt exercitus cælestis, qui Doxologiam pastoribus, nobis, posteritati demum præcinuêre, *Gloria in altissimis Deo.* Annunciant enim, non modo dandam Deo gloriam: sed hinc potiùs Dei gloriam procuratam. Nam ad manifestationem gratiæ gloriæ divinæ, apparuit incarnatus Iesus Christus. Secundò, εὐδοκίαν hominibus apud Deum docent stabilitam: cum placatus hominibus, per filium incarnatum, inciperet in ipsis, quos dudum oderat, sibi complacere. Nam & ipsis erga Deum, per Christi meritum, *Bona voluntas*, ad placendum Deo donabatur. Neque enim *bonæ voluntatis*: sed *bona voluntas*, in Græco textu habetur. Postremò pax certa annunciata est: hoc est, εὐλογίαν, fælicitas optatissima. Pacem enim restituit *Princeps pacis* & *Magnus Pacificator* inter cælum & terram, Deum & hominem, hominem & An- 44

gelos, Dei facientis voluntatem bonam: hominem & homines, homines & creaturas, hominem & seipsum. Cætera interpretibus discutienda relinquimus, parum pertinentia ad originem Ecclesiæ.

45 *Factum est autem, ut discesserunt ab iis Angeli in cœlum, Pastores loquebantur ad invicem, Transeamus usque Bethleem, ut videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* De communi ergo consilio, relictis gregibus, venerunt Bethleemum festinantes, desiderio suo satisfacere avidè sitientes, & invenerunt infantem (secundum quod dederat iis signum Angelus) positum in præsepi, fasciis involutum, ac cum eo Mariam Matrem, & Iosephum. Videntes autem completum Angeli Euangelium, agnoverunt ipsi, & aliis passim fecerunt notum: Quod utrumq; significat illud ῥηθὲν. Illi autem omnes, apud quos Pastores hæc enunciabant, valdè sunt mirati rei gestæ seriem. Maria verò conservabat ista omnia in corde suo: *Argumenta sibi fidei conferens in corde, & componens*: Quod Ambrosius notat. Nimirum, observante Bedâ, quia Virgo sanctas Scripturas legerat, & sciebat Prophetas, conferebat ea, quæ acta de Domino viderat, audiverat, cum iis, quæ noverat per Prophetas scripta. *Reversi sunt autem Pastores glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant, sicut dictum erat ad illos.*

46 Sicut autem in Bethleem nasci debuit Messias, civitate illâ Davidis, ut impleretur promissio Davidi facta & semini ejus: & vaticinium à Micheâ evulgatum, cujus eventum Iudæi ipsi expectabant, ita non potuit ferè aliter fieri, certè par & æquum fuerat ita fieri, ut prima Nativitatis manifestatio Bethleemi revelaretur: & locus destinatus nascituro Regi: nati Regis honoribus decoraretur. Clam in lucem hanc produci non solent regnorum futuri hæredes, ne Reges supposititii obtrudantur: præcipuè, in hâc divinâ Oeconomiâ, ubi futurum erat, ut multi Pseudo-christi & Pseudo-reges pullularent. Neque aliter fieri omninò poterat, quin in hoc ipso Nativitatis loco manifestaretur, si omninò voluit manifestari. Non minus scilicet quàm fieri potest, ut Sol mundum colluminaturus, non ab Oriente primum videatur. Etiam in humanis, *charitas* ordinata est:

est: & divina dispensatio rerum creatarum illiusmodi est, ut proxima quæq; per intermediam, vim, operationem, beneficia, ad ulteriora deportent & remotiora. Dei adhuc populus Iudæi erant: alienæ à Deo Gentes, nec vocatæ adhuc ad participationem magnarum misericordiarum ejus. Iudæi genere Pastores erant, in proximis Bethleem agris tum versantes. Iudæos Pastores illi præfigurabant, de proximo conjungendos: ut & Gentiles adsciscendas magi venientes de longinquo. *Manifestatus est Dominus Iesus*, in ipsis infantiæ suæ incunabilis, ait Augustinus, *his qui propè, & his qui à longè erant: Iudæis in pastorum propinquitate: Gentibus in Magorum longinquitate. Ipsa die quo natus est, Pastores advenerunt: isti ad eum hodiè advenisse creduntur.* *De Temp. Ser. 30.*

Cur autem Pastoribus annunciari potius voluit, quàm 47
Scribis, Doctoribus, Pharisæis: quàm cuicunque alii hominum generi, conditioni, statui, quæsitum est variè, & responsum. Respondent autem aliqui, Pastoribus ideò manifestatum Messiam, quod & antiquissimum lustorum ab Abele: & Patriarcharum ab Abrahamo, Isaaco, Iacobo, vivendi morem observarent usurpatum. Quod David, Messiæ pater & origo principalis, non tantum Pastor, sed & in iisdem locis pasturam exercuisset. Quod & olim ab omni retrò antiquitate, vita haberetur innocentissima Pastorum: & in illâ Iudaici status maculatissimâ conditione esset optima. Simplicissimum certè genus hominum, Pastores! à fraudibus, mendaciis, præstigiis mercatorum & similium remotissimum! Propter innatam simplicitatem & ἀφέλειαν naturâ magis propensi erant, & propendebant ad mysteria fidei accipienda, colenda, veneranda, quàm mundi Proceres vel Magnates: quàm docti, & eruditi literis δοκησισοφοι, quibus plerunque stulta videntur & θεῖα consilia Dei & arcanorum fidei magnalia. Stabulis assueti & casarum rusticitati, non erant aspernaturi vel aversuri in stabulis natum, & repositum in præsepi: hoc risu excepissent Scribæ & Pharisæi. Facile ad partes ejus erant accessuri, & in ejus verba, vitam, conditionem conspiraturi, quem sibi suæque conditioni similem intuerentur. Ita enim est, habet vetus verbum,

Αἰεὶ μὲν τ' ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τ' ὅμοιον.

Porrò, cum in Bethleem, quod propter Prophetiam neceſſe fuerat, naſceretur, ubi tunc turbæ tumultuſque, ex edicto, convenarum, quibus non tam convenienter innoteſcere potuerat tanti myſterii adminiſtratio. Nec fortaſſis erant tunc temporis, nocte intempeſtâ, in agris alii quàm Paſtores. Agricultores enim & colonos jam ſomnus habebat. Hinc factum ut paſtores præferrentur: atque ut per eoſdem indigenis, advenis, convenis innoteſceret. Sed & illud non eſt omittendum, Ille, qui naſcebatur, Paſtor erat ipſe. *Paſtor meus*, ait Dominus, Zachar. 13. Paſtor populorum: Bonus Paſtor: Paſtorum Princeps: atque ita quod Sedulius obſervat,

Paſtoribus ille creatus
Emicuit, qui Paſtor erat.

Nec & illud prætereundum, factum hoc omninò μυστικῶς, ut indicaret Deus, & doceret, paſtoribus Eccleſiæ divinas revelationes imprimis manifeſtandas, & per Paſtores κατ' ὑπαξίαν, promiſcuæ multitudini communicandas. Vt cælitus à Deo è Dei verbo paſtores acciperent illa, quæ docerent alios ipſi, non aliundè, hinc inde de Triviis arrepta vel emendicata corrogarent. Et ut cum θεόθεν, & παρὰ θεοῦ acceperint, εἰς θεὸν referant, divinam nempe nominis manifeſtationem: ut & paſtores illa viſa & audita divulgarint.

48 Sequitur annus Auguſti Cæſaris XLIII. urbis autem conditæ DCCLIII. quo Conſules erant Romæ ordinarii, Coſſus Cornelius Lentulus, & L. Cornelius Piſo. Illuſtriſſimus Cardinalis Annaliſta, qui natum affirmat Servatorem noſtrum, quod veriſſimum arbitror & certiſſimum, in acceſſu Luminis: hoc eſt, per Solſtitium hyemale, ad diem XXV. ut tunc erant tempora, Decembris, illum annum natalem in Conſulatum alterius Lentuli & Meſſallini rejecit, ut vidimus, contra rationes Chronologiæ Euangelicæ, & ipſius, olim rectiùs inſtitutas in editionibus primis: & quod velut cumulus accedit παραδιαπτῶν, ipſius primum annum inchoavit à Calendis Ianuariis ſequentis anni. Peſſimo certè, conſilio & exemplo penitus improbando. Ita enim primus annus Ieſu Chriſti non decurret à

conſulatu

conſulatu Lentuli & Meſſallini, ſub quorum tamen Conſulatu illum natum autumat, hoc eſt, non à Natali die ſuo, ſed Epoche aliâ & alienâ. Qui naſcebatur Olympiade CXCIIII. non in illâ, ſed CXCV. in lucem edebatur. Leviuſculum viſum eſt hoc in Annalibus Animadverſoribus, ut videtur, qui nihil de eo retulerunt. Sed eſt ingens πρόβλημα; inde enim τὰ ἀπατεῶνα, & quicquid eſt depẽdens à tempore Natalitiorum, verſatur in lubrico & incerto. Non hîc ſe exercent aliqui: & tamen nihil eſt per Annales magis Anomalum. Annus ergo Ieſu Chriſti primus, à XXV. Decembris menſis decurrens, annum duplicem Romanum Conſularem includit: illum nimirum, quo Auguſtus XIII. cum Plautio Sylvano Conſul fuit: & illum ſequentem, a Calendis Ianuariis incipientem, quo Coſſus Cornelius Lentulus Magiſtratum ἐπώνυμον cum L. Cornelio Piſone gerebat. Duplicem quoque annum Olympiadicum à ſolſtitio æſtivo decurrentem: quæ ratio per omnes deinceps annos Ieſu Chriſti, inita, retinenda eſt & fideliter diſcernenda. Sed jam ad Circumciſionem progrediamur, quam ſic perſequitur Euangeliſta Lucas, *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum eſt nomen ejus Ieſus: quod vocatum fuit ab Angelo, priuſquã in utero conciperetur.* In quo reſpexit ad illud, quod à Sancto Matthæo refertur, Matth. 1. 21. *Pariet filium, & vocabis nomen ejus Ieſum*: & illud potiùs, quod relatum Luc. 1. 32. *Ecce, concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Ieſum.* Hoc ad Mariam: illud dictum ad Ioſephum fuit.

De Circumciſione Chriſti Domini dicturi, a re ipſa nomine ſuo indicata incipiemus. Circumciſio Latinis, & Græcis περιτομὴ, idem prorſus ſonant & eandem morem indicant, nimirum amputationem pellis, quâ glans virilis membri obtegebatur. Hoc ipſum docet Deus apud Moſem, cum legem Abrahamo ferret de Circumciſione, *Circumcidetis carnem præputii veſtri.* Eſt autem præputium tegumentum: ἀκροβυστία, extremitatem tegens, περὶ ὃ βύω, quod ferro acuto Infantibus abſciſſum detrahebatur. Vnde Philoni dicitur, ἡ τῆς γεννητῶν περιτομὴ: qui & rem ipſam ita explicat: μὴ χαλεπῶν ἀλγηδόνων, ἀκροτομάζειν τὸ σῶμα. Et certè, erat 49

erat χαλεπὸν & doloris plenum: quod apparet ex Historiâ Sichemitarum, Gen. 34. ubi circumcisos Sichemitas, die tertio, quo gravissimus est vulnerum dolor, Simeon & Levi masculos omnes, resistere non valentes, interimerunt. Quanquam dolorem in Infantibus non esse tam intensum rectè colligunt ex illo Sepphoræ uxoris Moysis facto, quæ cum filium in itinere circumcidisset, profectionem tamen non intermisit in Ægyptum. Erat hoc πρᾶγμα γελώμενον ὑπὸ πολλῶν, ait idem Philo: nempè apud alias nationes ridiculo habebatur. Hinc Judæi Apellæ & verpi traducuntur, hoc est *vario* & λεπτόδερμοι propter detractas hasce pelles vel præputia, apud Romanos, præsertim & Græcos: πρᾶγμα ἀσυδαζόμενον, ὑ μετρίως, cum esset res non parvo in usu nec infrequens apud alias quasdam nationes, ait Philo: Præcipuè apud Ægyptios, Ἔθνος πολυανθρωπότατον, ὑ πολυσοφώτατον. Quod ipsum testantur etiam alii: Herodotus in Euterpe, τὰ αἰδοῖα. ὡ Ἕλλοι μὲν ἔασιν, ὡς ἐγένοντο, πλὴν ὅσοι ἀπὸ τύτων ἔμαθον. Αἰγυπτίοι δὲ περιτάμνονται. *Virilia alii ejusmodi esse patiuntur, qualia sunt a Natura, præter eos, qui ab istis didicerunt.* Et paulo post, *Soli omnium hominum, Colchi & Ægyptii & Æthiopes ab initio statim pudenda circumcidunt.* Colchos autem vult ab Ægyptiis didicisse: imò, ἀνέκαθεν, Colchos fuisse vult Ægyptios, eò quòd circumcidebantur. Cui consentiunt de Ægyptiis Diodorus, Strabo, Epiphanius, alii. Fallit autem & fallitur Herodotus in eo, quod Phœnicas, & Syros Palæstinam incolentes, hoc institutum accepisse ab Ægyptiis contendit, etiam ipsis Iudæis confitentibus. Φοίνικες δὲ, ὑ Σύριοι, οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ, ὑ αὐτοὶ ὁμολογέυσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Nec alii aliter apud Paganos.

50 Hoc nos é sacris literis falsissimum agnoscimus. Ægyptios autem a Syris, hoc est, ab Israëlitis Abrahami posteris, accepisse intelligimus, cum & Abraham & Isaac & Iacob descenderint in Ægyptum: & Israëlitæ diu apud illos vixerint: apud quos primò, non humana aliqua, sed divina Institutione Circumcisio & invecta fuit, & posteritati commendata: quam vicini Ægyptii futuris temporis imitabantur. Institutum autem divinum fuit, quèadmodum refert θεαφόρος Moyses, Gen. 17. *Hoc est pactum meum, quod observabitis*

obſervabitis inter me & vos & Semen Tuum poſt te: circumcidatur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne maſculinum in generationibus veſtris: tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur, & quicunque non fuerit de ſtirpe veſtra: erit que pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit. Hæc erat prima inſtitutio divinitus, & origo Circumciſionis: non θελοθρησκεία aliqua voluntaria, ſed ſanctio divina ſub ingenti quoque pœna conſtituta. Verum eſt, fuiſſe & gentes alias κολάσεως τὰς βαλάνους, ut appellat Strabo: ſed falſum eſt ab aliquibus earum Gentium ad Iudæos derivatum iſtum morem: conſtat autem apud Iſraelitas primos & antiquiſſimos obtinuiſſe, atque inde derivatum ad alios: Ægyptios imprimis, Æthiopas (nam Æthiopes erant Homeritæ) & vicinas *tandem* nationes. *Tandem* autem, inquam, nam recentiùs etiam apud illas vicinas nationes hoc inſtitutum invaluit & uſu communi receptum fuit. Quemadmodum apud iſtarum gentium ἐπιχωρίους Tricas etiamnum obſervatur, qui non minus ſunt verpi, quam Iudæi erant. De quibus Epiphanius contra Ebionæos in hæc verba. *Et vero, quid eſt quod Ebion adeo de Circumciſione ſua gloietur? cum & aliæ gentes, Idolatræ, à Deo alienæ, & Ægyptii ſacerdotes ſe circumciderent. Quod Saraceni & Iſmaelitæ & Samaritani, Judæi, Idumæi & Homeritæ faciunt. Quorum plerique illud inſtitutum non ex aliquâ lege, ſed conſuetudine quadam, ſine ullâ ratione ſuſcipiunt.* Ita Epiphan. Hær. Triceſimâ. In quo illius teſtimonio habemus, Ægyptiorum ſacerdotes & Hierophantas circumciſos: quaſi peculiaris illis eſſet hæc conſuetudo: populum autem & Laïco, (ut ſic loquamur) promiſcuè non circumciſos. Cùm tamẽ Philo ortu Alexandrinus, Herodotus, Strabo, Diodorus Siculus Ægyptiis omnibus κτλ. πλάτος hoc aſcribant. Diodorus Lib. 1. narrat Colchos, ἐ τὸ τῆς Ἰδδαίων ἀνά μέσον Ἀεαβίας, ἐ Συρίας οἰκήσαντας (ſic enim legendum, non οἰκήσαι τινας) ὁρμηθέντας παρ' αὐτῆς. Quocirca, ait, apud haſce nationes, ἐκ παλαιοῦ παραδέδοσθαι δοκιμάσειν, τὰς γινομένας παῖδας, ἐξ Αἰγύπτου μετενεγμένους

τετηρημένῃ τῶν νομίμων. *Ab antiquis temporibus traditum conſuetudinem uſurpaſſe circumcidendi quoſcunque pueros natos, quam deduxerant ex Ægypto conſuetudinem.* Et verum eſſe videtur: propterea quòd Incircumciſi apud Ægyptios ad myſteriorum & ſecretioris religionis participationem non admittebantur. Unde & Pythagoras, ut ad illorum adyta admiſſus penetraret, ſeipſum circumcidit. Narrat hoc Polyhiſtor ille Alexandrinus Clemens Strom. 1. ubi de Thalete & Pythagorâ tractans ait, eos verſatos in Ægypto apud Sacerdotes. Διὸ καὶ ὁ Θαλῆς ἐτετμήκει. ἵνα δὲ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τῶν μυστικῶν παρ' Αἰγυπτίοις ἐκμάθοι φιλοσοφίαν. A cujus participatione, cum nollent excludi Ægyptii, videntur paſſim admiſiſſe circumciſionem. Et certè, ſacerdotes non nominat Epiphanius, apud quem legitur. Ὅτι καὶ οἱ εἰδωλολάτραι καὶ μιαροὶ τῆς Αἰγυπτίων περιτομὴν ἔχουσι. pro μιαροὶ Petavius è conjecturâ reſcripſit in margine ἱερεῖς, & vertit *ſacerdotes*. Et nos olim in noſtro Codice, ante Editionem Petavii, annotaveramus, forte legendum καὶ ὁμοῦ ἱερεῖς. Quæ lectio tamen non eſt excluſiva. Utcunque enim ſacerdotes circumcidebantur, non tamen ideo erant ſoli ſacerdotes circumciſi; Neque erant: Nam & Hieronymus, quem citat Petavius, de Ægyptiis in genere narrat, non ſolis ſacerdotibus. Quocirca legendum potius apud Epiphan: non ἱερεῖς pro μιαροὶ: ſed μιαροί, hoc eſt, miſeri & infœlices Idololatræ. Erant enim Ægyptii ex omnibus Gentibus maximè Idololatræ: & hoc ipſo nomine, μιαροί. Quod ſi ſolis ſacerdotibus hunc ritum addixerat Epiphanius, non eſt ille tamen contra alios omnes audiendus, indiligens aliquando enarrator. Porrò autem, quo primum tempore Ægyptii ac cæteræ nationes Palæſtinæ conterminæ circumciſionem adhibuerint, non conſtat. Hoc nobis conſtare debet, poſteriorem ætate Abrahami invaluiſſe hanc conſuetudinem. Sed nec quamdiù uſurpaverint conſtat. Certè Idumæos ſaltem intermiſiſſe illam conſtat é Ioſepho. Nam devicti ab Hyrcano pontifice & duce Iudæorum, ſub illa conditione, vitam ab illo, & libertatem retulerunt, ſi Circumciſionem Iudaicam legem

Ἁπάντας τοὺς Ἰδουμαίους ὑποχειρίους ποιησάμενος, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ πέρι τέμνειν τε τὰ αἰδοῖα καὶ τοῖς Ἰουδαίων νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν.

&

& politeiam admitterent. Quam conditionem poſt- *Antiq. 13.*
quam admiſerant, conſtantiſſimè deinceps adhæſe- *17.*
runt Circumciſioni. Ab initio autem erant proculdubio Circumciſi: quippe ab Eſavo oriundi, qui & ipſe circumciſus juxta Dei mandatum, illam conſuetudinem ad ſuos poſteros, ſaltem aliquamdiù, tranſmiſerat uſurpatam. Quam tractu temporum per incuriam, ut fit, deſuetudinem, aut Iudæorum odium, vel rejecerant, vel depoſuerant, donec, imperante Hyrcano, demum admiſerunt. Atque ita ſtatuendum arbitror de cæteris Arabiæ nationibus, Ammonitis, Moabitis, Iſmaëlitis, Madianitis, & aliis à Loti vel Ceturæ filiis oriundis. Quocirca, nuſquam, quod meminerim, appellantur in Scripturis *Incircumciſi*, ſed titulus ille apud Philiſtæos reſedit: qui nunquam erant ab ulla retro memoriâ vel in ſeipſis vel in majoribus ſuis circumciſi: nempe è Cham, per Mizraim oriundi, nec ad Abrahamum, ejus familiam, poſteros, conſanguineos, aut pactum Domini, pertinentes: ſed à parentibus maledictis oriundi. Gentes autem Arabum, vel omnes, vel pleræque ab Abrahamo & Loto deducebantur. Non tamen erant illæ gentes Arabicæ & Ægyptiacæ alligatæ divinitus ad Circumciſionem uſurpandam: ſed ſponte ſua ſuſceptam: ex æmulatione arreptam: per conditiones quaſdam impoſitas, (Quemadmodum de Sichemitis legitur, & de Idumæis commemoravimus) per Traditionem majorum antiquam derivatam ſuſceperunt. Circumciſio fuit apud illos, non divina Inſtitutio, ſed humana ordinatio. Ad Gentium iſtarum ritum & conſuetudinem ſpectant illæ cauſæ ſuſceptæ & retentæ Circumciſionis, potiùs, quam ad Iudæos, & pactum Dei, quæ commemorantur, apud Philonem. *Veroſimile eſt*, ait ille, *non* temere circumcidi tot hominum millia, & perpeti vel cruciatus illos mutilationis ſui membri & chariſſimorum liberorum. Et verò ſunt complures, & illæ graves, cauſæ, quæ ſuadent ab hoc priſco inſtituto non diſcedere. Quatuor autem ante alias præcipuæ. Prima eſt, ut ſit liberi eſſent à morbo illo graviſſimo & incurabili, quem ἀνθρακα appellant, qui incircumciſos ſolet excruciare. Secunda, quòd eo modo purificatur corpus, & ſacerdotio fungen-

do aptiores homines efficiuntur. Unde & ſuperarrogare ſolent Ægyptiaci ſacerdotes, quod puritatem attinet, cum toto corpore radantur, ne quid ſordidum in præputiatio, vel de pellito, ut fieri ſolet, adhæreat. Tertia, quod cum corde ſimilitudinem habeat circumciſum membrum; cum utrumque ſit generativum. Quarta, & ea maximè neceſſaria, quod imprimis conducat ad πολυγονίαν. λέγεται γὰρ ὡς εὐοδοῦτο σπέρμα, μήτε σκιδνάμενον, μήτε ἀπῤῥέον εἰς τὰς τῆς ποσθίας κόλπους. Ideo vult Gentes circumciſas, eſſe πολυγονωτάτους & πολυανθρωποτάτους. Hæc ab illo ſic illata, nihil ad Deum, vel pietatem: eò autem pertinent, ut fortaſſis ad alias nationes pertingant. Eoque magis, ſi verum ſit, quod ait Philo, ſe hæc tradita accepiſſe a majoribus, qui in rebus Iudæorum experientiſſimi habebantur. Quæ ſi veræ ſint, videntur apud illas nationes eo prævaluiſſe modo, ut eas inducerent ad Circumciſionem admittendam. Certe, non erat a divinâ ordinatione uſurpata, quemadmodum apud Iſraelitas: ſed a politicâ tantummodo & civili: aut ſi a religiosâ aliquâ & ſuperſtitiosâ, non tamen divinâ.

52 Quocirca, nec ex pacto tenebantur legem Iudaicam, ut videtur, obſervare: nec illo ſe, tanquam ſigno, charactêre, aut ſigillo, in Dei peculium, & ſervitium mancipabant. Quanquam quæri hoc poteſt, & certè quæritur, an illæ gentes, quæ hunc ritum Iudaicum, & apud Iudæos, divinum, ſponte uſurpabant, per illum ipſum ſic uſurpatum, ſe legi obſervandæ conſtituebant debitores. Ait enim Paulus Cap V. ad Galatas, *Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ legi ſervandæ.* Id eſt autem, qui admittit circumciſionem, tenetur is legem univerſam & alias ejus ceremonias obſervare. Ἀλλήλων γὰρ ἔχεται τὰ νόμιμα, inquit apud Paulum Chryſoſtomus. Sed reſpondeo, hoc non velle Paulum, eum, qui Circumciſionem quocunque modo, quâcunque de causâ, quocunq; tempore adhibeat, obligatum teneri ad legem univerſam obſervandam. Poteſt enim fieri, ut, quemadmodum vi quis Eunuchus exiſtat, ita & invitus circumcidatur. Poteſt fieri, ut morbi depellendi, ſalutis recuperandæ gratiâ: qui tamen non tenetur ulla obligatione. Sed qui illo animo obſervat, quo Galatæ: hoc eſt, tanquam rem neceſſariam

ad

ad ſalutem ſine quâ adhibitâ, Deo placere, in fœdus apud Deum recipi, non poteſt aliquis: nec à peccatorum reatu abſolvi & à maculis hæreditariis originalis purgari. Licitum erat Arabibus, ſine Dei offenſa, prout ipſi ſuis rebus & rationibus conducere arbitrabantur, Circumciſionem rejicere vel retinere. At Turcæ hodiè & Mahumetani, qui acceptam de Moyſaicâ inſtitutione Circumciſionem, tanquam rem ſacram, ſacramentum cultus & religionis ſuæ & partem divini officii neceſſariam adhibent, ut ſe incircumciſos paradiſum ſuum ingredi non poſſe putent, Judæi ſunt prorſus, in illo ſuo ritu, & ſe debitores legi obſervandæ, ut cum B. Paulo loquar, eo ipſo ſtatuunt & confirmant. Gentes autem nec pactum Dei, nec fœderis ſigillum agnoſcebant, nec ad eundem modum obſervabant: nam non tantum Maſculos, ut Iſraelitæ, ſed etiam fœminas ſuas (quomodo autem neſcio) circumcidebant. Narrat hoc diſertim Strabo de Creophagis, Æthiopiæ populis, qui erant καλλιβοι καὶ βαλάνους καὶ αἱ γυναῖκες, Ἰουδαίους τεμνόμενοι. Lib. XVI. Et Libro ſequenti De Ægyptiis, Καὶ τὸ περὶ τὴν περιτομὴν μάλιστα παρ' αὐτοῖς, τὸ πάντα τέκνον καὶ γυναῖκα περιτέμνειν, καὶ τὰ θηλέα ἐκτίθεσθαι, ὅπερ καὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἴδιον[u]. Docet ergo Strabo Gentes illas mulieres circumcidere: Id autem Iudaico fieri more. Quod omninò falſum eſt. Mares enim tantùm circumcidebant, fœminas nequaquam, Iudæi: nec obſtricti tenebantur, ad circumcidendum fœminas. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & Infans in vobis octo dierum circumcidetur: omne maſculinum, in generationibus veſtris: Et tertio, maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur illa anima de populo ſuo.* Nec ullibi extat, vel mandatum, vel mentio de fœminis circumcidendis. Neque Arabas, & reliquas illas gentes ad legem obſervandam ligatas ſentiebat Author de Chriſti *Cardinalibus operibus*, quod rebatur Pamelius, & poſt illum Vaſques. Iſta enim, quæ proferunt, hoc non evincunt. *Inter omnia*, inquit, *Teſtamenti veteris ſacramenta, nihil circumciſione ſolennius antiqua celebravit religio. Nec tantum in Hebræos, ſed etiam Phœnicas, & Arabas, hæc Traditio inolevit.* Nihil enim aliud vult, quam uſu receptum apud illas gentes. Si autem eandem rem, in eundem finem, ab eodem

fonte derivatam: eodem modo adhibitam usurpassent, quod seducti Galatæ fecerant, profecto legi observandæ se professi essent debitores, ἀπεστερηκότες δὲ ἑαυτοὺς τῆς οἰκείας τιμῆς, καὶ τῆς πρὸς τὸν δεσπότην εὐνοίας, καὶ τῆς πρὸς τὸν ἀγαθὸν πατέρα φιλοστοργίας, καὶ τῆς πρὸς τὸν ἀδελφὸν συμπαθείας: ut Chrysostomus ait. Arabum tamen majores fortassis hoc pacto Divino & fœdere tenebantur, Ismael, Esau, eorum filii & de Abrahamo geniti, è Cetura. Ait enim Dominus ad Abrahamum διαθηκευόμενος, & in genere, *Hoc est pactum meum, quod observare debetis, inter me & vos, & semen Tuum post Te. Circumcidetur ex vobis omne masculinum.* Neque semen tantum, hoc est, liberi prognati ex Abrahamo, sed tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur: & quicunque non fuerit de stirpe vestrâ, modò in familiâ Abrahami versaretur. Quocirca, illi omnes hoc fœdere, ut videtur, tenebantur. Eoque magis, quòd ex hoc fœdere, secundum hoc pactum, Ismael, Esau, alii fuerant circumcisi. Quod si autem deinceps ipsorum posteri fuerint incircumcisi, vel circumcisionem admiserint civilem, ipsorum culpâ & negligentiâ factum est. Atque ita suo vitio alieni à fœdere mansêre divino, non ullo Dei decreto, aut operatione: non magis quàm quos redemit Christus sui sanguinis pretio, reprobi in æternum fiunt, divinâ culpâ.

53 Neque tamen sequitur hinc, obligatos eorum posteros ad legem Moysaicam observandam. Duplex est enim Circumcisio, *Patriarchalis*, & *Legalis*. Nam quoad primævâ Institutionem, non fuit à Moyse, sed à Patriarchis. Deus enim, Levit. XII. pactum illud antiquum renovavit, & pacto signaculum, & obligationem adjecit, profitendi & observandi legem ad montem Sina latam. Hâc lege, Ismael, Esau, Madian, & cæteri erant antiquiores: quocirca, nec eâ tenebantur. Qui tamen, si in pacto Domini cum Abrahamo inito, illorum omnium propatore, perstitissent, pacti signaculum illæsum retinuissent, viis Domini monstratis ab Abrahamo, institissent, nequaquam promissionum spe illarum excidissent, quas fœderi Deus cum Abrahamo facto adjunxerat. Nempe Deus fuisset ipsorum, & seminis ipsorum. Paciscebatur Deus cum Abrahamo, & *semine* ejus. Semen Abrahæ triplex fere com-

commemoratur, Christus: Judæi: Credituri. Hoc est semen temporale, & spirituale. Extante istos, geniti de Abrahamo, Ismael, Esau, Ceturæ filii. Sed & non geniti de Abrahamo. Verum familiâ illâ ejus comprehensi, Lotus fratris ipsius filius, & ipsius etiam domus œconomus Eleasar, Damascenus. Servi & vernæ in universum omnes spectabant ad pactum cum Abrahamo. Non tamen eodem modo omnes. Cautum est enim præcisè per Deum ipsum, de servis emptitiis & vernaculis, ut circũcidantur; de alienigenis, sub conditione, ut non comedant Pascha, nisi circumcidantur. Hoc est, sub integumento, ut nemo se ritè ad Dei Ecclesiam vel divinam politiam adjungat, nisi vitam instituat novam, & deponat quasi veteres superioris suæ ἀναστροφῆς exuvias. *Quid enim aliud Circumcisio significat*, ait Augustinus, *quàm, vetustate exutâ, naturam innovatam?* *De Civ. Dei, Lib. 16. Ca. 26.*

Sed omissis aliarum Gentium circumcisionibus, ad illam Iudæorum veniamus, in quâ fuit divina Institutio, præceptum obligans, Fœdus stabilitum, Promissionem variæ, & Sacramentum memorabile veteris Legis. Multa sunt autem, quæ in considerationem hîc veniunt: nempe, Quid fuerat: Quantum præstiterat: Ad quos spectabat: Quo fructu adhibeatur: Quo dispendio negligebatur: Cui loco, Tempori, instrumento, ministerio addicebatur: Quibus demum ritibus peragebatur: Quæ in Domini Circumcisione observata, omninanè & singula vel quædam fuerint. 54

Verè & eruditè, ut omnia, doctissimus Pater Augustinus. *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur*: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta, sacrilegos facit. Impiè quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas. Quocirca cum in populum, inter Gentes, & à Gentibus separatum, Israëlitæ in deserto, & ante, in Abrahamo assumerentur, sacramentis quibusdam, rerum sacrarum signis, instituti & assueti fuerant: inter quæ Circumcisio tenebat principatum. Cæremonia sacra & divina, ad initiandos homines illius temporis, & Deo 55

adjunctos: ita ut manifesta quædam esset *professio & obligatio* ad Legem Moysaicam observandam: Cum quicunque circumcidebatur, erat debitor, ut ait Paulus, universæ legi faciendæ. Et ante Legem illam latam, erat *Professio & Obtestatio* admittendi & observandi pacti illius initi cum Abrahamo. Habebant alia sacramenta, & quidem plurima, Iudæi, sed inter alia eminebat & primas obtinebat Circumcisio. Erat enim sola, separatim ab aliis ritibus, cæremoniis, sacramentis instituta Circumcisio (quasi quæ dignitate potior esset) nimirum quadringentis, & quod excurrit, annis, cætera omnia Iudaica & legalia sacramenta præcedebat. Et non Legis Moysaicæ, sed Legis naturæ, potius erat sacramentum cum Abrahamo institutum, quasi præparatio quædam & introductio ad legem & pietatis instituendæ cultum, sequutisque temporibus usurpandum: Christi denique & Christianæ pietatis mysteria eminentiori quodam modo designabat. *Tunc enim imperata est Circumcisio*, ait Augustinus, *quando Sarae effetae promissus est filius.*

56 Sunt autem Sacramenta à Deo instituta, signa, signacula, Instrumenta. Signum vocatur à Paulo, *Accepit signum Circumcisionis omnium primus, ut hoc modo esset pater omnium circumcisorum.* Unde Iosephus in Historia animadvertit, *Voluit Deus, corporali hac notâ insigniri Gentem nostram, quò scilicet manifestò secerneretur & segregaretur à cæteris Gentibus, scilicet, ne cum illis permixta & confusa, flagitiosos earum mores, quoque fœda instituta, iniquas leges, impias superstitiones pravâ æmulatione sequi vellet.* A quo non dissentiunt sancti Patres. Chrysost. Homil. 39. in Genesin scribit. *Injecit iis Circumcisionis signum, quasi frænum vel vinculum, ne cum Gentibus commiscerentur.* Et adhuc clarius Theodoretus, Quæsti. 67. in Genes. προείπεν ἡ παροικίαν φυλακὴν τινὰ μηχανᾶται τῇ εὐσεβείᾳ. Eò quod prædixerat Deus Abrahamo, quod futurus esset Peregrinus in terrâ illâ, pietati conservandæ, hoc est, ne à Deo & cultu Divino ejus Posteri deviarent: tale quid machinatur Deus. Nempe imponit iis signum suum, in carne Circumcisionem, ut agnoscerentur & agnoscerent ipsi ad quem pertinerent, & sic alienis à pietate non immiscerentur. ἵνα τοῖς δυσεβέσιν ἀναμιγέντες,

γένους, μὴ ἀφανισθείσης ἢ θλιβείσης, ἀλλ' εἰς τὸ σημεῖον ὁρῶντες, ἔσοπτρον τῆς διδασκούσης τὸ τίνα μᾶλλον φυλάττεσθαι. Id eſt enim σημεῖον, nota, quam inurunt vel imprimunt pecoribus paſtores & Bubulci, ut ſua animalia ab aliis dignoſcere poſſint.

Erat autem Circumciſio, ut erudite obſervat Pererius, non unius rei, nec uno modo, ſed multarum rerum, & quidem multiforme ſignum. Imprimis erat *Memorativum*: ὑπόμνησις nimirum illius fœderis, quod Deus pepigerat cum Abrahamo. In quo triplex promiſſio continebatur. De Seminis ipſius multiplicatione, hæreditate, poſſeſſione & dominio in terrâ Canaan: De Chriſto olim Redemptore ſuſcitando. Quod, taciris Pererii & Cajetani nominibus, Vaſques cavillatur. Secundò, fuit ſignum *Repræſentativum*, illius ſcilicet fidei & obedientiæ, quam in Abrahamo mirabilem deſcribit ſcriptura; In, nimirum, relinquendâ patriâ; in credendo Promiſſionibus Divinis, cui cumulus poſt acceſſit oblatio Iſaac. Tertiò, Erat ſignum *Diſtinctivum*, de quo uſu jam diximus. Et Quartò, *Demonſtrativum* naturalis illius impuritatis, quam per carnalem illam generationem attractam in mundum nobiſcum deferimus. Poſtremò, Erat ſignum *Figurativum*: nimirum, Baptiſmi noſtri Chriſtianorum & ſpiritualis illius circumciſionis cordis, quæ eſt mortificatio omnium concupiſcentiarum. *In ſigno igitur data ſunt hæc*, ut concludam cum Irenæo Lib. 4. Cap. 30. *non autem ſine Symbolo erant ſigna: id eſt, ſine argumento: neque otioſa, veluti quæ à ſapienti Artifice darentur*: ſed ſecundum carnem *Circumciſio Circumciſionem præfigurabat ſpiritalem*. Et Ambroſ. Epiſt. 72. *Signum, Circumciſio corporalis: Veritas, Circumciſio ſpiritalis. Illa membra amputat, iſta peccatum.*

57

In XVII. Gen.

To. 2. in 3. p. D. Thom. Diſput. 163.

Neque tantum ſignum, ſed & ſignaculum fuit. Ita enim B. Paulus, Rom. 4. ait, *Abrahamum accepiſſe ſignum Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei* in præputio, σφραγῖδα, non tantum σημεῖον. Primum erat σημεῖον, hoc eſt, *ſignum*; tum autem σφραγὶς *ſigillum*, niſi quod prius notâ alicujus excellentiæ inſignitur. Et quod ſigillo ita obſignatur, eſt inter quædam Cimelia & majoris pretii utenſilia. Dicuntur hujuſmodi ἐγκεχαραγμένοι & ἐσφραγισμένοι: quos veluti

58

ſub

ſub *ſignaculo* concluſit Deus annulo ſignatorio communitos: Sacramenta enim omnia divinitus inſtituta non ſolum *ſignant* id quod *ſignificant*, hoc eſt, indicãt veritatem; ſed & inſuper obſignant & dant velut Roboris firmitatem rei pactæ & promiſſæ. Rectè ergo Patres *ſigilla* vocant etiam Sacramenta: quod non unâ ratione faciunt, ut rectè notatum à Theologis. Vocantur ſignacula, quod occludant & communiant non tantum rem ſacram, hoc eſt, gratiam oblatam inviſibilem, ſed ſubjectum ſacrum, homines nimirum gratiæ illius capaces; gratiâ illâ imbuendos, niſi repellant eam & à ſe removeant: Quos ideò, quod dictum eſt, obſignatos vocat. Nazianzenus inter Baptiſmi titulos σφραγίδα numerat, quo frequentèr inſignitur ſacramentum illud apud Græcos. Ait autem, ideò ita appellatum, ὡς συνήρησιν, quia conſervat hominem Baptizatum & cuſtodiat ſartum tectum Deo. Cæteris etiam obſignant & confirmant, eorum, qui Sacramentis initiantur, ſtatum religionis erga Deum: nam publicè teſtimonium perhibent per eorum ſuſceptionem, ſe eſſe in numero Fidelium, qui Sacramentis illis Deo uniuntur. Vocantur etiam ſigilla, quòd ordinem admiſſionis ad Deum perficiant & confirment.

59 Signum fuit ergo à Deo impreſſum: ſigillum ab eodem Iudæis inſculptum: non ὡς ἔτυχε: non in quacunque parte corporis, ſed in carne Præputii; idque de deſtinato conſilio & præcepto divino obſervari juſſum. Cujus rei cauſam non unam nobis reddunt, qui curioſiùs de eo diſputarunt. Rectè autem Cajetanus apud Pererium. *Quarè Deus elegerit hoc ſignum, & in tali membro, ſola Dei libertas eſt cauſa ſufficiens.* Philo Iudæus ſuperioribus iſtam adjecit. *Ejus membri circumciſio exciſionem ſignificat voluptatum, quæ mentem faſcinant: Et quia inter voluptatum illecebras principatum tenent, quæ illam partem titillant & afficiunt, idcircò Legiſlatores eam partem mutilari juſſerunt; ſignificando reſecandas eſſe voluptates ſuperfluas, non hujus unius tantum generis, ſed alias omnes per hanc unam ſubindicantes.* Hanc rationem pudicè & non inutilitèr explicavit Philo, quam Iudæorum Magiſtri, proſtibula pudoris, & continentiæ, non ſolum religionis carcinomata, impunè ſatis proſequuntur

apud

apud Toſtatum in Gen: XVII. Hanc porrò rationem aſſignat D. Tho. 1. 2. Q. CII. art. V. Qui & aliam tangit hiſce verbis, *Tertia ratio eſt in ſugillationem ſacrorum, Veneris & Priapi, quibus illa pars corporis honorabatur*: de qua ratione cum nihil attingant Interpretes, aliquæ dicenda ſunt illuſtrationis gratiâ.

Intelligit ergò Phallos & Phallogogia quæ vocabant. 60
Erat autem φάλλος αἰδοῖος, ἀνθρικὸν, ξυλινόν, inquit Heſychius. Sed non è quovis ligno fiebat, ſed συκῆς: erat enim ficulnea imago: & poſtea corio rubro obducta, ad majorem repræſentationem turpitudinis. Vide Suidam, Scholiaſtes Ariſtophanis in Acharnenſibus, ad illud, ὁ Ζαυθίας τ' φαλλὸν ὀρθὸν ἡσαίτω, commentatur, φαλλὸς ξυλὸν ἐπιμήκες, ἔχων ἐν τῷ ἄκρῳ σκυτινὸν αἰδοῖον ἐξηρτημένον. ait autem ἐπιμήκες. Ita enim Lucianus de Deâ Syriâ, Viros ipſos *navos* & puſillos deſcribit, Μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντας, & quidem interdum immania. In pompâ Ptolemæi apud Athe- *Lib. 5.*
næum, Phallus memoratur aureus, cubitorum centum & viginti. Semper autem erant ἐρεκτοί, ὀθόνια. Unde ῥυράπτας & ἰθύφαλλοι, vel, ut etiam apud Heſychium eſt, εἰθύφαλλοι: quomodo & Priapus ipſe pingebatur. Imò, aliquando Deus ipſe totus, quantus, quantus erat, φάλλος erat. Artemid. 1. Onirocrit: Ca. 48. Εἰδόν δέ τις ἐν Κυλλήνῃ ποτὲ γενόμενος, Ἑρμοῦ ἄγαλμα, ἰδὲν ἄλλο, ἢ αἰδοῖον δεδημιουργημένον, λέγω πᾶν. Originem narrat Scholiaſtes Comici. *Pegeſus* quidem, ab Eleutheris oppido Bœtiæ, cum quibuſdam Bacchi ſimulacris, Atticam adiit. Athenienſes Deum advenientem non honorificè ſuſceperunt. Hinc ille iratus morbum incurabilem immiſit in pudenda virorum: à quo cum nullâ ope humanâ liberari poſſent, oraculum adeuntes, moniti ſunt, non poſſe aliter ſanari, quã ſi φάλλους privatim & publicè habitos in honore circumgeſtarent. Feſtum in honorem Bacchi celebratum, hoc modo, Phallagogia, à circumgeſtandis φάλλοις nominabant. Ἐκαλεῖτο δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησι, φαλλαγώγια, ait Theodoret: in Therapeuticis, ἡ τοῦ φάλλου ἑορτὴ. προσεκύνουν μὲν τοῦτον, καὶ προσεφίλουν ὀργιάζοντες ἅπαντες. Ait Phallos veneratos & oſculis honoratos ab initiatis & feſtum celebrantibus. Quem cultum, volunt Orphea ex Ægypto, in Græciam attuliſſe. Ita enim ſequi-

tur apud Theodoretum. Ταῦτα ἐκ τῆς Αἰγύπτου μαθὼν τὰ ἄρρητα ὁ Ὀσιρόπης Ὀρφεὺς εἰς τὴν Ἑλλάδα μετήνεγκε. Ægyptii autem talem impuri ritus originem habuere, quemadmodum retulit Diodorus Siculus, 1. Biblioth: & ex eo Euſebius in 1. Præpar. Iſis occiſo à Typhone Oſiride & fruſtratim diſſecto, membra ejus omnia, quanto maximo ſtudio potuit & diligentia, recollegit, & divinis honoribus colenda propoſuit. Veretrum verò, nullo modo potuit invenire; quocirca, σύμβολον illius effigiem fecit, & in Feſtis ſolennioribus adorandum propoſuit. Sed & aliæ rationes afferuntur à Clemente Alexandrino in Protreptico.

61 Verùm hoc apud omnes in confeſſo ponitur, turpiſſimam hanc conſuetudinem apud Ægyptios plurimum invaluiſſe: Deus ergo, cum & Abrahamus & ejus poſteri eò eſſent deſcenſuri, & ſedem fortunarum ſuarum aliquamdiu ibidem fixuri, in odium & deteſtationem hujus impuritatis membrum illud ſancivit mutilandum. Et hanc quidem inter alias Circumciſionis cauſas retulere: Sed nequaquam, vel apud Judæos, vel alios, qui circumcidebantur, pudori habebatur aut dedecori, ſed honori potiùs & dignitati. Secundò, ſi in deteſtationem Phallagogiorum apud Ægyptios fuiſſet uſurpatum, Ægyptii ipſi, nedum eorum ſacerdotes, tanto honore Circumciſionem non fuiſſent proſequuti, ut neminem admitterent ad myſteria ſua, niſi Circumciſum. Tertiò, Inſtitutio illa Ægyptiaca, in honorem Oſiridis, ab Iſide inducta, poſterior Moyſe erat, nedum Abrahamo: ut nullo modo verum eſſe queat, introductam ob deteſtationem impiæ illius impuritatis Ægyptiorum. Accommodationes ergo multæ afferri poſſunt, ait Cajetanus: ſed earum præcipua ratio eſt, quòd carnaliter Meſſias ex genere Abrahæ producendus erat. Niſi enim hujus Myſterii ratio habita fuiſſet, quilibet character, ſeu quævis nota, in quâcunque corporis parte, ſuffeciſſet ad diſtinguendum, & diſtinctum ſervandum, tam Abraham, quàm omnes poſteros ejus, ab aliis nationibus.

62 Sed clariùs & diſtinctiùs Benedictus Pererius in hâc corporis parte impreſſum illud *ſignum*, & *ſigillum* potiùs, quàm in aliâ aliquâ docet, eò quod promiſſio illa hoc ſigillo obſignata, ſemen Abrahami reſpiciebat. Semen autem,

tem, hoc est, posteritas Abrahæ, per corporis illam partem propagabantur. Secundò, quod peccatum Originale per genus humanum omne fusum & propagatum, illo membro administro, diffundebatur. Tertiò, Peccati illius effectus, multorum aliorum & carnalis concupiscentiæ fomes & origo & fœcundissimum malorum seminarium, non aliundè, quàm ab isto fonte scaturiebat. Atque ita de Circumcisione, quatenus signum & sigillum fuit, in populo Dei dictum esto.

Erat insuper adhuc Instrumentum. In confesso ponitur apud omnes, rectè sentientes de religione, Sacramenta divinitus instituta, non esse ἀργὰ ὀνόματα aut titulos sine re, sed gratiam illam conferre nobis et impertire, quam significant ad quam conferendam sunt ordinata divinitùs & disposita: nimirum à se & suâ institutione, non aliquâ vi naturali: sunt enim instrumenta non voluntaria, non naturalia, sed moralia. Quod libenter agnoscit & profitetur Ecclesia Anglicana, Artic. 25. in Confessione; ubi Sacramenta in genere omnia vocantur, *Signa efficientia gratiam & divinam erga nos bonam voluntatem consignantia: per quæ invisibiliter in nos Deus operatur: & non solùm nos vivificat, sed etiam roborat & confirmat nostram, in ac erga ipsum, fidem.* 63

Cum verò omnia Sacramenta sint sacri ritus & Ceremoniæ, aliquam sanctificationem & consecrationem procurantia, Sacramentum vero fuerit Circumcisio, quæri solet, quam gratiam conferat: quam purgationem afferat: quam consecrationem imprimat: quam initiationem consignet. Et primò ponitur, non eò quod sit Sacramentum verum veteris Politiæ, in statu legis & naturæ, ideò esse operativum illius gratiæ, quâ abluuntur & purgantur peccata, quemadmodum fit in Baptismo novæ legis. Secundo, si quæratur, uti quæritur, an ut Baptismus, sic & Circumcisio quæ figurabat Baptismum, cui successit Baptismus, olim peccata, vi suâ Sacramentali, ex Instituto Divino, opere operato, opere operantis, an aliquo alio modo abolere & mundare poterat. Quâ de re sunt diversæ & Neotericorum & etiam Antiquorum sententiæ. Ad nostrum pertinet institutum, qui *diegematicè* & non *dogmaticè* 64

ſcribimus, Quid veteres ſenſerint interrogare, non deciſa determinare.

65 Juſtinus Martyr patrum antiquiſſimus hæc tradit contra Tryphonem ἀλληγορίζόμενα. *Si fuiſſet ſimpliciter neceſſaria Circumciſio, ut vos Iudæi exiſtimatis, Deus non creaſſet Adamũ præputiatum: non reſpexiſſet ſuper oblationes Abelis, qui incircumciſus dedit Deo ſacrificia. Non placuiſſet incircumciſus Enoch Deo, nec eum Deus tranſtuliſſet, ita ut non eſſet inventus. Erat Noe generis noſtri princeps & origo, ille tamen cum filiis incircumciſus in Arcam introivit. Erat quoque incircumciſus ille Dei ſummi ſacerdos Melchiſedec, cui etiam Abraham decimas dedit ex omnibus, qui primus omnium circumcidebatur.* Quod vero Lotum ſervatum è conflagratione Sodomorum inter incircumciſos numerat, erravit ille: nam in familiâ Abrahæ erat Lotus, tum cum Circumciſio inſtituebatur. Docet ergo Iuſtinus, abſolutè Circumciſionẽ non fuiſſe neceſſariã, ita ut ſine eâ ſalvi eſſe non poſſent, qui placerent Deo. Docet ſecundò, non fuiſſe neceſſariam ad juſtitiam: Quia Abraham ipſe per fidem erat juſtificatus, priuſquam fuerat circumciſus. Τὴν δὲ περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβεν. Quod ulterius adhuc probat, quia mulieres, quæ tamen Deo gratæ & acceptæ placebant & juſtificabantur, non erant ullæ Circumciſæ, Καὶ τὸ μὴ δύνασθαι τὸ θῆλυ γένος τὴν σαρκικὴν περιτομὴν λαμβάνειν δείκνυσιν ὅτι εἰς σημεῖον ἡ περιτομὴ αὐτὴ δέδοται, ἀλλ' οὐκ ὡς ἔργον δικαιοσύνης. Hoc ipſum & alibi tuetur, docens Deum ideo voluiſſe Iudæos circumcidi in diſperſione finali, quam præviderat futuram, ut à Chriſtianis & cæteris Gentibus dignoſcerentur. Iuſtinum ſequitur Irenæus. *Non per hæc juſtificabatur homo, ſed in ſigno data ſunt populo.* Et hoc oſtendit, quia ipſe Abraham ſine Circumciſione & ſine obſervatione Sabbatorum juſtificatus fuit. Quæ, ut etiam & ſequentia ad verbum tranſcripſit è Iuſtino, Placebat Deo & juſtificatus habebatur.

Pa.44. Edil. Rob. Steph.

Pa.47.

Pa.96.

Lib.4. Ca.30

66 Tertullianus contra Iudæos è Iuſtino accepta latius diſputavit. *Si Circumciſio purgat hominem, Deus Adam incircumciſum cum faceret, cur eum non circumcidit? vel poſteaquam deliquit, ſi purgat Circumciſio?* Quod ipſum è Iuſtino inſtat in Abele, Enocho, Noacho, Melchiſedeco, Loto, &

de

de Abrahamo etiam ista. *Ante Deo placuit, quàm circumideretur. Accepit autem Circumcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogativum.* Ad objectionem de filio Moysis circumciso per Sepphoram, unde necessitas ejus ad salutem astruebatur, respondet: *Non potuit unius Infantis coacta Circumcisio toti populo præscribere & quasi legem hujus præcepti condere. Nam providens Deus, quod hanc Circumcisionem in signum, non in salutem daturus esset populo Israel, iccirco filium Moysis ducis populo futuri instigat circumcidi, ut, cum cæpisset per eum populo dare præceptum Circumcisionis, non aspernaretur populus videns exemplum istud in ducis filio jam celebratum.* Signum quoque distinctionis ad illud tempus cum Iustino retulit, quando dispersi Iudæi inter Gentes per illud dignoscerentur. Concludit autem, *Sicut Circumcisio carnalis, quæ temporalis erat, tributa est in signum populo Contumaci: ita Spiritalis data est in salutem populo obedienti.* Neque aliter ille de Circumcisione.

Origines non tam expressè loquitur, tamen cum rem 67
carnalem appellat & corporalem: cum spirituali apponat, cum doceat Christianos meritò eam ut infirmam dimisisse: cum in V. contra Celsum statuat, *Quàm diversa sunt Circumcisionum dogmata, tam diversa est & Circumcisio*: satis patet, quam ille sententiam de vi & efficaciâ Circumcisionis tueatur. Athanasius To: 1. in Orat: de Sabbato & Circumcisione, *Circumcisio*, inquit, *nihil aliud denotabat*, ἢ τὴν γενέσεως ἀπέκδυσιν. Et Circumcisio figura & typus erat τῆς ἀφ' τοῦ βαπτίσματος ἀπεκδύσεως. Abraham enim postquam Deo credidit, Circumcisionem recepit pro notâ insignibusque ejus Regenerationis, quæ per Baptismum comparatur. Circumcisio σημεῖον ἦν, Regeneratio autem τὸ σημαινόμενον. Illud autem in Iosuâ scriptura planè demonstrat. Iesu enim Nave, ad mandatum Dei populum in Galgalis circumcidenti, locutus est ad eum Deus, *Hodie abstuli opprobrium Ægypti à vobis.* Circumcisio igitur ablatio est generationis Ægyptiacæ. Hoc abstulit Deus: ne ulterius, veluti in Ægypto nati, servitia haberentur, sed Terræ repromissionis indigenæ. Quæ cum ita sint, videtur omninò data Circumcisio, ut auferatur vituperium terreni stemmatis ab Abrahami posteris, quô deinceps

non sint obnoxii maledicto, Terra es, &c. Ablatum est enim ὁ ἀνάθεμα τῆς κατάρας. Id autem tunc factum fuit εἰς τύπον Baptismatis per Christum instituti. Tunc autem ex parte fiebat, ὡς ἐν σκιᾷ. Neque aliter in Synopsi Gregorius Nyssenus in Testimoniis è Script. pa. 989. To: 2. *Quod neminem justificet circumcisio, perspicuum est: Abraham incircumcisus servivit Deo. Primum acceptus & probatus fuit, & tunc accepit circumcisionem. Illi, qui per annos XL. nati erant in deserto, incircumcisi erant: ut & omnes ab Adamo ad Abrahamum. Sed propterea quod in Gentes miscendus erat populus, & consuetudinem cum iis ac commercium habiturus, ideò data erat Circumcisio. Secundo, cum ex Abrahamo Christus erat oriundus, ut id planè & sincerè fieri posset, opus fuit circumcisione, & per eam à cæteris Gentibus distinctione. Unde postquam ille venit, propter quem data & instituta fuerat, deinceps, quasi supervacanea, abrogata fuit.* Chrysost. Homil. 27. in Gen. *Deus circumcisionem pro lege statui voluit: non quod ad animæ salutem efficere hoc posset aliquid, sed ut Iudæi pueri, hoc gratitudinis initium circumferent quasi signum & sigillum: & ne liceret iis commisceri Gentium commistionibus.* Quod & alibi docet, etiam & post illum alii omnes Græci Patres: Cyrillus, Theodoretus, Damascenus, Theophylactus, Isidorus Peluſiota, Lib. 2. Epist. 115. multis disputat in hanc rem: concludit autem, quod non erat Circumcisio δοκιμάσεως κατάθεσις: hoc est, Deus eâ non placabatur, ἀλλὰ δοκιμάσεως σφραγίς: sigillum iis impositum, qui placuerant Deo.

58 Inter Latinos post Tertullianum Ambrosius in 4. Cap. ad Romanos. *Non circumcisio habet aliquid dignitatis, sed signum est tantum. Quod signum ideò accipiebant filii Abrahami, ut scirentur ejus filii esse, qui credens Deo, hoc signum acceperat ut æmuli essent Paternæ fidei, & crederent in Iesum, qui promissus est Abrahæ; cujus in figuram natus est Isaac.* Et in 13. Cap. Lucæ, *Venit ad Abraham, venit ad Moysen, venit ad Mariam: hoc est, venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore. Adventum ejus ex beneficiis recognoscimus. Alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi justificatio est. Circumcisio purificavit, sanctificavit lex, justificavit gratia. Unus in omnibus, & in uno omnia. Nemo enim mundari potest nisi qui metuit Dominum.*

num. Nemo legem meretur accipere, niſi purificatus à culpâ. Nemo accedit ad gratiam, niſi noverit legem. Ergo populus Iudæorum, neque purificari potuit, quia Circumciſionem non animi, ſed corporis habuit. Hieronymus in 3. cap. ad Gal. *Quia ex ſemine Abrahæ erat Chriſtus oriundus, & ab Abraham, uſque ad Chriſtum, multa erant ſecula tranſitura, providens Deus, ne ſoboles dilecti Abrahami cæteris nationibus miſceretur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Iſraeliticum quodam circumciſionis cauterio annotavit*: neque aliter quam de ſigno, aut ſigillo alibi loquitur.

Auguſtinus, in diſceptandis dogmatibus Patrum Princeps, multa de Circumciſione docet. *Non Circumciſio Iudeum facit, ſed Nativitas ſub Dei Creatoris devotione progenita.* Quæſt. 56. de Novo Teſtam. *Eſſe duplicem Circumciſionem: Carnis & Cordis; in Carnis illa, adumbratam iſtam. In illâ autem carnis, præputii ablationem typum eſſe. Carnalem eſſe figuram Baptiſmi: umbram alterius melioris uſque ad Chriſtum.* In Pſal. 73. diſtinguit Sacramenta dupliciter: ut ſint *dantia ſalutem, ſignificantia Servatorem.* Sacramenta Veteris Teſtamenti, inter quæ præcipuum erat Circumciſio, promiſiſſe, non dediſſe autem ſalutem. Idem tamen alibi videtur contrarium ſtatuiſſe. *Non eſt opus ut anfractibus longis, ea quæ concedo, probare coneris. Sed ad hoc reſponde, ſi potes. Cur ipſe Iſaac, niſi baptiſmatis Chriſti ſigno circumciſus octavo die fuiſſet, periiſſet anima ejus de populo?* Et lib. 2. de Nupt. & Concupiſc. ca. XI. *Ex quo inſtituta eſt Circumſio, in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei, ad ſignificationem purgationis valebat, & parvulis, originalis veteriſque peccati.* Sed non contradicit Auguſtinus veteribus illis Patribus, neque ſibi. Nam illi de Circumciſione nudâ, ut Iudaico, vel legali ritu, in ſe conſideratâ, loquebantur, quod ſatis apparet. Auguſtinus non de nudâ merâ Circumciſione in ſe, ſed relativâ, ſed reſpectivâ, ſed velut in ſigno: ut expreſsè loquitur: in cujus affirmati clariorem explicationem addit. *Non quod ante (vel abſque) Circumciſionem juſtitia fidei nulla erat. Nam cum adhuc eſſet in præputio, ex fide juſtificatus eſt ipſe Abraham, pater Gentium, quæ fidem ipſius erant ſectaturæ. Sed ſuperioribus temporibus omnimodò latuit ſacramentum juſtificationis ex fide: Eadem*

69

Tom. 7. con. Iulian. Pel. Ca. 18. Li. 3.

tamen

tamen fides Mediatoris ſalvos faciebat antiquos, puſillos cum magnis: non vetus Teſtamentũ, quod in ſervitutem generat: non lex, quæ non ſic eſt data, quæ poſſit vivificare: ſed gratia Dei, per Ieſum Chriſtũ. Quia ſicut nos credimus Chriſtũ in carne veniſſe: ſic illi venturũ. Quocirca, teſtimonia illa duo, Gregorii & Auguſtini, quæ Fevardentius in locum Irenæi dicit relata inter Decreta Catholicæ Eccleſiæ, (nempe à Gratiano in Collectione) non opponunt Auguſtinum & Gregoriũ vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus, ut ille opinabatur: ſed explicanda ſunt ex Auguſtino, quẽ, ut mihi videtur, ſequebatur Conciliũ Florentinũ, dum confirmat, Sacramenta Veteris Teſtamenti, non cauſabãt gratiam: ſed eam ſolùm per paſſionem Chriſti dandam eſſe ſignificabant. Noſtra vero, & *gratiam continent*, & ipſam dignè ſuſcipientibus *conferunt*. Cavillatur Chemnitius, quaſi voluerit Concilium, Sacramenta illa præfiguraſſe, gratiam dandam poſt natum Chriſtum, & conſummatam ejus paſſionem, non autem & tum datam, ſed merè in ſigno; hoc eſt, ſignificare voluiſſe Deum, ad merita Chriſti reſpiciendum, in quibus ſolis fundata fuſaque gratia communicabatur. Hoc cum utrimque ponatur in confeſſo, inanes ſunt illæ diſputationes & acerbæ contentiones nonnullorum, quæ apud Scholaſticos & Doctores nonnullos ventilantur: quas ſopitas optamus nos, non attingimus, ſed tranſimus ad alia Hiſtorica in hoc ritu, & primùm ad tempus definitum.

70 *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer: vocatum eſt nomen ejus Ieſus.* Hoc erat ſecundum conſuetudinem in Iſrael: Ita quoque narrat de Baptiſtâ Lucas, *Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum.* Orta eſt illa conſuetudo à divino præcepto in primâ Circumciſionis inſtitutione, Gen. 17. 13. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Idque ſub graviſſima interminatione, ἐξολοθρεύσεως; *Maſculus cujus præputii caro non fuerit circumciſa, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Ubi in præcepto tradendo præcisè tempus determinatur, *Infans octo dierum.* In comminatione variant ab Hebræis & Latinis codicibus Græci: nam Græci addunt, τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὡρισμένῃ, qui ad diem determinatum

natum circumcisus non fuerit: illæ voces ad diem determinatum nec sunt in Hebræis nec Latinis vocibus: unde nescio quid tumultuatur contra Augustinum & alios etiam Catholicos Bellarminus, de effectu Sacram. Lib. 2. ca. 17. cum tamen necessariâ & inevitabili consequentiâ inferantur. Circumcisus enim sic erat circumcidendus, quemadmodum ordinaverat institutio divina: erat autem illa præcisè *de octavo die*: ut omnino ille dies determinatus fuerit. Non potuit quocunque casu anticipari: nec potuit differri ex aliquâ occasione, nisi Deo dispensante, ultra octavum. Nam sola institutio divina facit Sacramenta: tollatur illa, vel in parte aliquâ, & desinit esse Sacramentum. Quocirca non assentior Vasquesio arbitranti, Circumcisionem dilatam ultra diem octavum, & deinceps admissam quocunque tempore, fuisse verum Sacramentum. Miror autem eo magis hoc ei in mentem venisse, cum exactè tueatur Circumcisionem factam ante diem octavum, non fuisse verum Sacramentum, quacunque tandem occasione fieret: Rationem hujus pronunciati sui sic reddit, *Quia pactum Domini eo modo non observabatur*: hoc est, quod diximus, Sacramento sua ratio non constabat, quæ tota consistit in Divinâ institutione. Circumcisio, inquit, eatenus erat Sacramentum, seu signum sacrum, quatenus erat fœdus & pactum inter Circumcisum & Deum, juxta præscriptum Domini. Erat autem illud præscriptum de octavo die. Fateor non dicitur, *ne circumcidatur post diem octavum*. Sed nec adjicitur, *Licebit in aliquo casu ante diem octavum circumcidere*: ut puta in periculo mortis. Neque enim *ex se*, vel *opere operato*, aut *opere operantis* conferebat gratiam Circumcisio, sed ex opere Instituentis, quin eâ ad Christum referebat. Quod si autem ante diem octavum infans obierat incircumcisus, ideò carebat munditie, & in peccatis moriebatur. Nam pactum Domini non ita fiebat irritum, quia nulla erat culpa paciscentis, sed dispensatio ferientis pactum. Intelligenda etenim sunt pacta Domini, ut ipse sit liber, nec vinculis adamantinis constringatur. Mundabantur Infantes ante Abrahamum, & in fœdere divino comprehensi moriebantur: illâ nimirum fœderis vi, *Semen mulieris conteret Serpentis caput*. Hoc pa-

ctum antiquius non prorſus & omninò evaneſcebat, niſi ubi poſterius adhibebatur. Quod ſi Deo inevitabiliter diſpenſante, adhiberi hoc remedium non potuit, Dei illa inevitabilis diſpenſatio ab omni contemptu, negligentiâ, etiam uſu excuſabat excluſos. Non enim ligat ad impoſſibile Deus. Solummodo contemptus, vel incuria, reos efficiebat violati pacti.

71 Certè, ſi fuiſſet abſolutè & indiſpenſabiliter neceſſaria Circumciſio, nequaquam ad VIII. diem comperendinaſſet Deus, cum fieri non poſſet, quin interdum Infantes morerentur in utero, recens nati, die ſeptimo, aliquo ſaltem ante octavum diem. Hos tamen, nec poſſumus, nec debemus excludere à ſpe & participatione pacti divini: neque dubium eſt, quin Deus eorum Deus eſſet. Ad eundem modum, ubi ratio inevitabilis obtineret, aut neceſſitas indiſpenſabilis incumberet, mihi dubium non eſt, quin differri poterat & protelari Circumciſio. Verbi gratia, ſi in fugâ naſceretur Infans: Si in obſidione & expugnatione urbium: Si in die octavo, derepentè vehementiori aliquâ infirmitate conflictaretur Infans, ut ſine certo & infallibili vitæ diſcrimine non poſſet circumcidi. Deus enim vult miſericordiam, & non ſacrificium. Neque obſtat quod & Pagani quidam, & etiam Sepphora Madianitis objectabat ſanguineam, vel crudelem fuiſſe hanc legem: non magis quàm quod objici poteſt, multos Infantes ex dolore mortuos. Eſt enim aliud emori de poſt facto, & tantum non occidi per infirmitatem. Eſto autem, aliquos infantulos Iudæorum, cum dolorem circumciſi corporis, plagæque ferventis ſuſtinere non potuerint, defunctos eſſe. Laudabiliorem faciebant eum, qui præceptis obediſſet cæleſtibus, quod obſervat Ambroſius, Tom. 1. in 12. Exod. Et ob hanc cauſam proculdubio, per XL. annos in Deſerto, nati non circumcidebantur, idque ſine culpâ & reprehenſione, eò quòd eſſent in perpetuo motu, aut ſaltem incerti de movendis caſtris. Legimus Ioſue 5. fuiſſe toto eo tempore incircumcilos: non autem legimus reprehenſos, morte mulctatos, cum tamen Dominus eorum inobedientiam, contemptum, neglectum mandatorum Dei, & ſæpiùs, & vehementiùs increpaverit: & in

Sabbati

Sabbati violatorem ſeverius conſtituerit. Erat autem agitatio circumciſorum, etiam virorum, periculoſa, uſque ſaltem ad diem quartum: quod patet ex hiſtoriâ Sichemitarum, qui non poterant reſiſtere Levi & Simeon, nec tanta multitudo, cædem à duobus illatam propulſare.

Quod ſi objiciatur, primò Sepphoram ſuum filium in itinere circumcidiſſe: Reſpondeo, & verisimile eſt, manſiſſe eam in diverſorio, donec & Moyſes maritus confirmatâ eſſet ſanitate, & filius de vulnere recreatus. Quod ſi ſecundò objiciatur Iſraelitas poſt exodum ex Ægypto, diù in locis circa Sinai manſiſſe, & aliquos intereà temporis natos, qui tamen non erant circumciſi: Reſpondeo, etiam iſtos comprehenſos intra illos terminos XL. annorum verum eſſe. Secundò, & non fuiſſe circumciſos aione quidem Levitas; ſed ideò non circumciſos, quòd incerti fuiſſent, quamdiù deberent ibi manere, cum ad motum *nubis*, & ductum Angeli moverent caſtra: atque ita non potuiſſe circumcidere, quia non erant certi, an ſubſiſtendum eſſet, uſque dum recrearentur. Nam quod Vaſques Levitas circumciſos ait, frivolum eſt, & pari authoritate contemnitur, quâ dicitur, Quod affirmat, Infantes pati poſſe ſuccuſſionem itineris, non autem viros, & frivolum, & ineptum, & falſum eſt. 72

De omiſsâ autem Circumciſione in Deſerto, iſta Patres. *Per quadraginta annos in Eremo nullus eſt circumciſus*, Hieronymus ait: *Soli quippe ſine gentis alterius commiſtione vivebant. Statim ut Iordanus ripam tranſgreſſus eſt populus, circumciſio neceſſariò futuro ex commiſtione providit errori.* Et Theodoretus: *Cum circumciſio ſignum eſſet diſtinctionis gentis Hebræorum ab aliis gentibus, tali ſigno minimè opus fuit in deſerto: & cum Hebræi, non per negligentiam & incuriam nedum per contemptum, prætermitterent circumciſionem, ſed profectionis continuæ neceſsitate, ab eâ excluderentur, tenerentque interim animo circumcidendi propoſitum, quàm primùm data eſſet opportunitas, non eſt certè vitio vertenda illius prætermiſsio.* Non erat ergo abſolutè neceſſaria circumciſio, non neceſſitate *medii*, ſed tantùm *præcepti*, in quo diſpenſabat Deus, lator legis, cum placeret. *Si autem ſalutem circumciſio omnimodò afferret*, ait Tertullianus, *etiam ipſe Moyſes, in filio ſuo,* 73

In cap. 3. ad Gal.

Quæſt. 22. in Ioſ.

non intermisisset, quo minus octavo die circumcideret eum, quando constat, Sefforam coactam ab Angelo id in itinere præstitisse. Contra Iudæos.

74 Cum autem omnia in typis contingerent iis, non tàm propter aliquam corporalem dispositionem, quàm propter allegoricam significationem, videtur *dies octavus* huic operi destinatus, licèt dies octavus in Sabbato contingeret. Cujus sanctificatio per circumcisionis opus non violabatur. Et certè Patres ad hanc relativam institutionem, & allegoricum sensum respiciunt. ἡ ὀγδόη ἡμέρα, ait Iustinus Martyr, μυστήριόν τι εἶχε προσημαῖνον, ἀφ' οὗτον τοῦ θεοῦ μᾶλλον τῆς ἑβδόμης. Quodnam verò mysterium, docet Augustinus. *Et quid aliud octavus circumcisionis dies præfigurabat, nisi Christum? At quid octavus dies ad Christum?* Id sequitur, *Qui hebdomadâ completâ, hoc est, post Sabbatum resurrexit.* Explicat autem alibi, idem fusiùs, Serm. 141. de Temp. *Hujus* (Resurrectionis nempe) *rei signum circumcisio dataerat patribus, ut octavo die circumciderentur. In istâ circumcisione, significabatur expoliatio carnalis vitæ, octavo die per Christi resurrectionem. Septimus dies hebdomadis Sabbato completur: Sabbato Dominus jacuit in sepulchro: octavo die resurgendo, nos renovavit: nos ergo octavo die circumcidit resurgendo: nos in ipso, spe vivimus.* Quam rationem reddidit iisdem penè verbis Serm. XV. de verbis Apostoli: repetit etiam Tractat. XXX. in Iohannem. Cur verò tempus hoc ipsum assignaverit Deus, *duplicem ego rationem invenio*, Chrysostom. ait. Prior est, quòd in tenerâ & immaturâ hâc ætate, dolor qui de circumcisione carnis procuratur, faciliùs toleratur, quàm in grandioribus. Posterior, ut isto facto addiscant, admoneaturque, quod nihil omninò animæ conducat illa carnis circumcisio, sed signi gratiâ imprimitur. Hæc & alia ibidem de circũcisione in hanc sententiã disputat: quæ nihil omninò faciunt πρὸς ὃ ζητούμενον, & ab ipsomet propositum de die octavo. Ambrosius ad superiorem rationem accedit. Enarrat 1. in Gen. ad Horontianum, *Qui octavo die regenerationis sortitur mysteria, consecratur per gratiam, & ad hæreditatem cœlestem vocatur.* Quod explicatiùs ab eo traditur, Lib. 2. de Abraham, cap. XI. *Octavo die circumcidi puerum jubet lex mystico præcepto, quia ipse est*

De Civ. Dei lib. 16. ca. 26

Homil. 39. in Gen.

est resurrectionis dies. Ergo si dies resurrectionis circumcisos nos, & exutos inveniat delictorum superfluis, mundi resurgemus. Et adhuc præcipuè magis Athanasius: *Non omnium hæc dies est, sed eorũ qui mortui sunt peccato, & vivunt Deo. Ideò enim in octavâ die circumcidi à lege imperatum fuit, neque id usquam violabatur: quo schemate innuebatur renascentia omniũ post diem septimum. Nam circumcisio nihil denotabat, nisi depositionem exuviásque detractæ nativitatis. Eum enim, qui sexto die mortuus est, exuimus, & renovamur Dominicâ die, cum antiquus ille exutus regenerationem resurrectione acceperit.* Et iterum. *Circumcisio figura erat exuviarum, quæ per Baptismum deponuntur: illamque in membris genitalibus jussit fieri, ut animadverterent circumcisi, circumcisionem signum esse exuendæ vetustatis.* Abraham enim, ubi Deo crediderat, circumcisionem accepit, pro notâ & insigni ejus regenerationis, quæ per Baptismum conficitur. Quapropter, ubi venerat res quæ per figuram denotabatur, nota ipsa intercidit, & figura evanuit. *Circumcisio signum erat, lavacrum autem regenerationis id ipsum est, quod denotabatur. Veteri enim homine in totum exuto, superflua fuit illa nota, quæ ex parte rei adumbrationem præ se ferebat: Et ut Dominica dies, quæ initialis novæ creaturæ, Sabbatismum finit, ita eadem illa, regenerato homine, in otium dedit circumcisionem. Vtrumque enim in octavo perfectum fuit, & initium creationis, & hominis regeneratio.* *De Sabbato & Circumcis.*

Cyprianus de suâ & Collegarum sententiâ ad Fidum, cum is teneret Infantes non esse baptizandos, nisi post tertium vel quartum diem: & adderet considerandam esse legem Circumcisionis antiquæ, ubi ante octavum diem non circumcidebantur, respondet Cyprianus, *Quod in Iudaicâ circumcisione carnali octavus dies observabatur, sacramentum est in umbrâ, & in imagine ante præmissum, sed veniente Christo, veritate completum. Nam quia octavus dies, id est, post Sabbatum primus dies futurus erat, quo Dominus resurgeret, & nos vivificaret, & circumcisionem nobis spiritalem daret, hic dies octavus, id est, post Sabbatum primus, & Dominicus præcessit in imagine, quæ imago cessavit, superveniente postmodum veritate, & datâ nobis spirituali circumcisione.* Sunt & aliæ rationes apud Patres: qualis illa apud Ambros. in XII. Exod. *Qui singulorum membrorum officia diligenter expendit, non otio-* 75 *Epist. 59. vel lib. 3. 8.*

sam

sam causam in hâc hujus membri portiunculâ æstimare poterit, quâ ratione non solum circumcidatur puer, verum etiam octavo die circumcidatur, quando incipit mater pignoris nati in sanguine esse puro, quæ ante octavum diem fertur in sanguine immundo sedere. Et alibi, non tam die octavo quam ætate illâ infantili, ait; *Egregiè autem infantiæ in primis vagitibus circumcidi mares Lex jubet: quia sicut ab infantiâ morbus, ita & Circumcisio. Nullum tempus vacuum debet esse tutelæ, quia nullum est culpæ vacuum.* Cui consonat Author de Cardinal: Christi operibus.

76 Verum hæc constitutio de octavo die ad solos videtur Infantes spectasse Iudæorum, & non ad eos qui per Proselytismum ad sacra & cultum Dei Iudæorum transierant. Infans octo dierum circumcidetur. Cum verò extensivè de aliis loquatur in sequentibus, non habetur injecta mentio de octavo die, sed, *Omne masculinum in generationibus vestris tam vernaculus circumcidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestrâ.* Nec rectè additur in Codicibus Græcis ad vocem circumcidetur *Octavo die.* Non enim diei alicui alligabatur istiusmodi advenæ Circumcisio: neque enim id fieri potuit: Nam à quo termino ducendus erat ille octavus dies? An à primâ conversione, an à publicâ professione? Sed nec ipsa originalis institutio terminum illum designabat. Erat Abraham annorum nonaginta novem quando circumcidit carnem præputii sui. Et Ismael tredecem annos impleverat tempore Circumcisionis suæ. Sed nec die octavo à præcepto dato, & accepto circumcidebantur. Circumcidit enim carnem eorum præputii statim, in ipso die, sicut præceperat ei Deus. Itaque videtur solos Infantes ad diem illum octavũ fuisse alligatos. Nec Circumcisionem octavo die administrandũ, ad adultos, sed tantum Infantes pertinere. Ad quos etiam interminationem περὶ ἐξολοθρεύσεως. spectare, arbitrabatur Augustinus: & illam eradicationem ad vitam eternam & cœlestis civitatem patriæ spectare. *Infans enim,* ait, *non circumcisus peribit morte eternâ: quia morietur in peccato suo originali quod contraxerat per Adamum.* Sed Augustini sententiam ut nimis rigidam, viri doctissimi non admisêre, licet contra Pelagium introductam.

Hoc

Hoc interea certum eſt, Circumciſionem admiſſam, ſignum fuiſſe accepti Iudaiſmi. Quicunque igitur à Paganiſmo ad Iudaiſmum tranſibant, neceſſariò circumcidebantur, non autem neceſſariò octavo die. Quod ſi autem & priùs circumciſi fuiſſent, tamen ſecundò circumcidebantur. Hoc eſt, ſi Ægyptius, Colchus, Idumæus, Samarita Iudaiſmum vellet profiteri, is, utcunque de more apud ſuos uſurpato fuerat circumciſus, denuò tamen debuit apud Iudæos circumcidi: non alitèr quàm quomodo Iohannis Baptiſmo Baptizatos, Paulus in nomine Ieſu Chriſti rebaptizabat. Qui à Iudæis ad Samaritas profugiunt, rurſus circumciduntur: Similiter & qui à Samaritis tranſeunt ad Iudæos. Quinetiam poſt Circumciſionem rurſus præputiati fiunt arte quâdam medicâ per inſtrumentum attractorium ſpathiſterem appellatum, internam membri partem, & cuticulam attrahi ſinentes, ſuturamque conſuunt, ac glutino aſtringunt: atque ita præputium recuperant. Quam impiæ mentis traditionem inventam aiunt ab Eſavo Iacobi fratre, ut eò faciliùs Deum ejerare, & acceptum à patribus characterem poſſit abolere. Hinc natam illam Dei vocem arbitrantur, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui. Sed & hoc firmare nititur Paulino teſtimonio 1 Cor. 7. 18. *Circumciſus quis vocatus eſt, ne adducat is præputium: cum præputio vocatur aliquis ne circumcidatur.* Symmachum porrò narrat idem in eodem loco, Scripturarum interpretem, cum eſſet Samaritanus ortu ad Iudæos tranſiiſſe, ἐξ ἀκροβυστίας, ἐξ ὃ δύτερον ἀκρόβυστος. Ad quem videtur reſpexiſſe Auguſtinus, *Et nunc ſunt quidam Hæretici, qui ſe Nazaræos vocant, à nonnullis autem Symmachiani appellantur, & circumciſionem habent Iudæorum, & Baptiſmum Chriſtianorum: ac per hoc, quemadmodum ſi quis eorum ad Iudæos venerit, non poteſt iterum circumcidi, ſic cum ad nos venerit, non debet iterum Baptizari.* Ait Auguſtinus, non poſſe iterum circumcidi: quia impoſſibile præputium iterum adducere. In quâ ſententiâ videtur fuiſſe Hieronymus, ad Cap. 52. Eſaiæ. *Neque enim*, inquiens, *poteſtatis noſtræ eſt præputium adducere poſt Circumciſionem.* Quod verò 1. Maccab. 16. de quibuſdam impiis dicitur, *Et fecerunt ſibi præputia.* Hieronymus interpretatur de Infantibus non circumciſis, nequaquam

77

Epiphan. de Ponder. & Menſuris.

Lib. 1. con. Creſan. ca. 31

nequaquam de præputio Circumcisis & adultis adducto. *Iuxta eos, qui in Maccabæorum libro dicuntur, sibi fecisse præputia: quod de nascentibus filiis, & non de patribus dicitur*: quem sequebatur Lyra. Sed hoc fieri posse docet Martialis, qui *recutitum* vocat Iudæum, quem Iuvenalis *Apellam* vocat. Et citant Petavius, ac Pererius, Cornelium Celsum medicum, qui possibile fuisse docet. Si quis colis glandem habet nudam, vultque eam decôris causâ tegere, fieri potest: sed expeditiùs in puero, quam in viro: & in eo, cui id naturale est, quam in eo, qui quarundam gentium more circumcisus est, atque in eo, cui glans parva, juxtaque eam cutis, spatiosus autem ipse coles est, quam in quo contraria his sunt. Atque hactenus de tempore dictum sit. Sequitur de Loco & Ministro.

78 Non erant Iudæi ulli certo *loco* alligati: ne quidem Synagogis, quas passim habebant per urbes suas & vicos: nedum Templo Hierosolymitano, quod nonnullis visum. Nunquam enim extat, vel præceptum, vel exemplum de illo Templo aut Tabernaculo. Israëlitæ in Gilgale circumcidebantur. Gersom in diversorio in itinere, Iohannes Baptista in ædibus paternis, & Christus Dominus in loco Nativitatis. Iudæorum hodierna praxis nequaquam persuadet eandem fuisse & antiquorum. Quanquam de Synagogis non contenderim: at certum est non potuisse olim alligari Infantum Circumcisionem ad Templum Hierosolymitanum: ut eò necesse fuisset deportari Infantes circumcidendos ab extremis partibus Palæstinæ, per omnem anni tempestatem, quâcunque corporis habitudine, idque infra octo dies. Nam ultra diem octavum nullo modo differri debuit. Sed quid etiam Iudæis fiebat ἐκ τῆς ἀλλοδαπῆς, qui in Cilicià, Cypro, Babylone, Romæ nascebantur? an & illi deportabantur Hierosolymam? Quocirca certum est de loco, non esse vel cum Abrahamo decisum, aut in lege designatum, aut ullo usu constitutum.

79 Non autem tam liquet de Ministro. Erat certè Circumcisio sacramentum antiquum, & quidem maximum inter Legalia sacramentum: quocirca & conveniens videri potest, & è dignitate sacramenti, ut non cuilibet è plebe vel

vel fæcè populi committeretur: non ὡς ἔτυχε perficeretur. Sed per Levitas, aut Sacerdotes: quemadmodum Baptiſmi adminiſtrandi ratio, ad noſtros modo pertinet Sacerdotes. Sed profectò cum Sacerdotes nullibi in Iſrael verſarentur, niſi Hieroſolymis: aut in ſuis certis aſſignatis civitatibus, & nequaquam, ſicut hodie, parochi, per villas, & oppida diſperſim, aut erant deportandi Hieroſolymas, aut ad civitates Sacerdotum, quod ineptum eſt, Infantes circumcidendi. Magis autem abhorret à ratione, quod commenti ſunt Tolletus & Torniellus, per ſingulas civitates, oppida, & vicos, fuiſſe quoſdam huic muneri, & officio deputatos, à Collegio Sacerdotum & Seniorũ Hieroſolymitano. Nam deputati illi quinam erant, Laici, an Sacerdotes? Si Laici, quid opus illa deputatione, cum per quoſvis Laicos, non minùs ritè circumcidi Infantes poſſent, quàm per deputatos aliquos a Sacerdotibus: & quid opus deputatione illâ? cum deputati derivare deberent poteſtatem illam ſuam a deputantibus, quæ ipſa debebat omninò functioni & officio ſacerdotali competere, cujus exequendæ non erant capaces Laici. Sin autem velint fuiſſe Sacerdotes, tum paſſim diſpergi debebant, & habitare Sacerdotes per totam terram Canaan: & abeſſe neceſſariò a ſuis Ephemeriis, & miniſtratione in Templo: quorum utrumque divino inſtituto, & Scripturæ repugnat. Nullibi autem conſtat, ullum Infantem ab ullo Sacerdote circumciſum fuiſſe: ne quidem Baptiſtam a Zachariâ patre Sacerdote: at conſtat circumciſos per non Sacerdotes, etiam per mulieres. Abraham ſuis manibus circumcidebat filios Iſmaelem & Iſaacum. Sepphora filium ſuum circumcidit ipſa: quod ipſius factum approbatum ſcimus, eò quòd ſtatim Moyſes convaleſceret: Et 1 Maccab. 1. mulieres illæ, quæ liberos ſuos contra Antiochi Edictum circumciderant, ſupplicio luunt capitali. Iohannem Baptiſtam certum eſt, non in Collegio Sacerdotum, ſed in concilio mulierum: in cubiculo nimirum matris ſuæ, ubi vicinæ convenerant, ut fit, ne quidem præſenti, nedum exequenti Zachariâ. Matres autem, quarum & affectus tenetior erga recens natos infantes: corda molliora: & delicatiores manus, mihi videtur, non minus, quam Barradio, hoc præſti-

Torniellus, Toletus, rejecti.

 tiſſe,

tiſſe. Atque ita more gentis, de voluntate ſuâ, beatiſſimam virginem matrem, divini ſui filii circumcidiſſe præputiũ, cum eodem Barradio, & aliis exiſtimarim, & non Ioſephum, quod rebatur Chriſtophorus a Caſtro.

80 De inſtrumento Circumciſionis, non magnoperè contendunt Partes. Proteſtantes communitèr cultellos ferreos ſupponunt: nec diſſentiunt οἱ ἐξ ὁιαπίας, quod patet è Vaſque, qui contra magiſtrum allegat communem Theologorum ſcholam, pro *cultello lapideo*, vel *ferreo* indifferenter. Et certè, in primâ ejus inſtitutione cum Abrahamo, nullius inſtrumenti mentio fit: quod non omiſit divinus Moyſis, ſi ad aliquam ſpeciem fuiſſet alligata. Certum eſt Sepphoram arrepto acutiſſimo lapide, in illâ θερίσαι filium ſuum circumcidiſſe. Nec minus conſtat Iſraelitas egreſſos ex deſerto, & in terram Canaan ingreſſos, cultris lapideis circumciſos in Gilgale, idq; de mandato ſpeciali. *Fac tibi cultros petrarum*, ait Deus: hoc eſt, ſiliceos: & *fac tibi*: hoc eſt, novos: quo præcepto non fuiſſet opus, ſi ferreis cultellis uti potuiſſet. Sed utrumque exemplum opinor extraordinarium fuit: Hoc poſteriùs in *figurâ*: illud prius in *periculo*. Duplicem apud illum populum generalem inſtitutam Circumciſionem docet Iuſtinus Martyr: Priorem, cum & Abraham & familia circumcidebantur: poſteriorem, cum Iſraelitæ ſub Ioſuâ in Galgale circumcidebantur: illam *ferreo* inſtrumento peractam: hanc verò *lapideo*. *In veſtrâ priore circumciſione*, ait ille, *ferrum adhibitum eſt, & adhibetur. In cordis enim & animi obſtinatione manetis. Noſtra autem, quæ poſterior numero poſt veſtram extitit, lapidibus, qui extremâ in parte exciſi ſunt.* Et pag. 109. *Ille*, nempe Ioſua, vel Ieſus Nave, *legitur populum ſecundâ vice petrinis cultellis circumcidiſſe. Erat autem illud ejus factum annunciatio iſtius circumciſionis, quâ nos circumcidimur per Ieſum Chriſtum, à lapidibus, & aliuſmodi Idolis, qui acervos confecit populi incircumciſi, quos ab erroribus mundi liberavit, quos in omni loco circumcidit lapideis cultris; hoc eſt, ſermonibus Domini noſtri Ieſu. Iam enim docui, Chriſtum per parabolam, Lapidem dictum à Prophetis. Quocircà, rectè per petrinos cultros, illius ſermones intelligimus: quibus tanta hominum multitudo, incircumciſi priùs, patabundi, cordis circumciſione circumcidun-*

tur:

tur: quam circumciſionem per Ieſum accipere Deus voluit illum populum, qui circumciſionem ab Abrahamo ortam, admiſerant. Atque ita cum intranda eſſet terra promiſſionis, circumciſione ſecundâ circumciſi dicuntur per Ieſum cultris lapideis. Auguſtinus autem in illâ erat opinione, circumciſionem omnem, non ſolam illam ſecundam, factam fuiſſe *petrinis cultris. Circumciſio fiebat ex cultellis petrinis, quia petra erat Chriſtus*: Serm. 141. de Temp. &, *Cultellis petrinis circumciſus eſt populus: Petra enim erat Chriſtus.* Serm 15. de verbis Apoſtoli: & lib. 2. de peccato originali, contra Pelag. & Cæleſt. cap. 31. & Tractat. 31. in cap. 7. Iohan. Sed magis credendum eſt Iuſtino Martyri, qui & longè antiquior Auguſtino, & Iudæis propinquior, & ortu Samarita: atq; ita forſitan erat ipſe circumciſus. Chriſtum igitur, uſitato more Iudaico, *cultello ferreo*, acutiſſimo, non autem *petrino*, circumciſum. Atque ita factum legi obedientem arbitror. Si qui aliter ſenſerint, per me ita ſentiant. Neque enim funem moveo de inſtrumento contentioſum.

81 Porrò quid factum reſecto huic præputio temerè definitur, & curiosè nimis inquiritur. Qui velit potiùs indignari, quàm ridere, is videat Salianum To. ult. Annalium ad annum mundi 4053. ſect. 5. 6. 7. & Tolletum in 3. cap. Lucæ, hâc de re.

De Chriſti præputio.

82 Inter omnes autem ritus circumciſionis, ille præcipuus eſt de nominis impoſitione infanti: cujus nullum extat ſpeciale præceptum, in primâ inſtitutione apud Abrahamum: vel illâ repetita per Iosuam: aut lege in Sina promulgatâ: veteri tamen, & ab omni retro antiquitate, obſervata Traditione, videtur obtinuiſſe: cujus originem non improbabiliter, à prima nihilominus inſtitutione arceſſemus, cum venerabili Beda: qui, *ab Abrahamo*, inquit, *exortum eſt, ut die circumciſionis nomen parvulis aptaretur. Quia & ipſe, cum Teſtamentum, id eſt, fœdus circumciſionis à Deo acciperet, eadem prius die, cum ſua conjuge, nominis augmentum promeruit.* Nam per pactum illud cum Deo, & ipſe Abraham, & ipſius etiam poſteri, in aliam familiam emancipati, & quaſi clientelam tranſibant. Deſiit tunc eſſe, qui fuerat, & ncipit eſſe, qui & qualis non antè fuerat. Non ergo mandavit expreſsè, nominis impoſitionem in circum-

ciſione Deus, ſed tamen ita inſinuavit, ut perpetuis futuris temporibus exemplo præiverit. Quod primus initiatus eſt, & expreſſit Abraham, cum filium ex Sara natum, eodem die nominaret, quo circumcidebatur. Quam divinam Iudæorum Traditionem, in ſacratiſſimo ſuo filio circumcidendo, & denominando obſervabat B. Virgo. Nam quo die octavo circumcidit eum, vocavit quoque nomen ejus Ieſum. Venerat enim non ſolvere legem, ſed implere. Quo facto ſuo ab Euangeliſtâ commemorato, triplicem nobis ἀφορμὴν commendavit. De nomine impoſito: de hoc die impoſito: & de hoc nomine impoſito ſacratiſſimo, IESU.

83 Omne vocabulum, ait Auguſtinus de Gen. ad lit. ca. VI. ad diſtinctionem valet: unde etiam nomen, quod rem notet, appellatum eſt, quaſi Notamen. Feſtus autem, *Nomen*, ait, *dictum, quaſi Novimen*, quod notitiam rei ſubjectæ inſinuet. Quocirca, rectè è Philoſophorum ſententiâ Orator; *Nomina*, ait, *ſunt quaſi notæ rerum*. Notas autem oportet res illas, nominum ſubjecta, priuſquam nomina rectè cognoſcantur. *Rebus ipſis ignotis*, ait idem, *nota eſſe nomina non poſſunt*. Quod ſi autē nomina rectè imponantur, nulla res eſt, quin à nomine quo notatur, rei ipſius natura intelligatur. *Nullus enim ſtatus differentiarum*, quod Tertullianus videtur, *niſi proprietatibus appellationum conſignatur*. Id quod in Lib. de Reſur. cap. 18. inſtantia ejus rei ulterius comprobavit. Proprietas vocabuli vindicanda eſt ſuæ ſorti: eo ipſo quod reſurrectio caducæ rei eſt, id eſt, carnis, eadem erit & in nomine mortui, quia caducæ rei eſt reſurrectio, quæ dicitur mortuorum. Hoc ipſum volebat Philoſophus, qui nomen definit, φωνὴν σημαντικὴν: &, πάντα τὰ ὀνόματα σημαίνειν τι: nempe ὅτι, ἢ ὅτι μὴ εἶναι τόδε. Neque ſolum σημαίνειν, ſed σημαίνειν ἀεί, Metaphyſ. 3. 4. Ubi etiam rectè ſtatuit, μὴ σημαίνοντα τὸ ὄνομα τὸν ἄνθρωπον ἀνθρώπου μηδὲ ἄλλου, imò τὴν ἀλήθειαν, ἐναντίως ἔχειν. ſunt enim ὀνόματα ἄνευ τοῦ εἶναι πίστιν τοῦ πράγματος, Iuſtino Martyri in Parænet. Hoc ut faciant, cum ſubjecto ſignificato congruere debent: alioqui inanis & ridicula eſt nominis impoſitio. Sic Gregor. Nyſſenus: Τί οὖν ὁ τοῖς ἔθεσι τοῖς ἡμετέροις τὸ τῆς εὐσεβείας ὄνομα, ὅσῳ μᾶλλον ἐπὶ πλεῖστον ἐκτείνεται, τοσούτῳ μᾶλλον ἐπαινεῖσθαι λέγει; Τόδε μὲν ἀφ' ἁπάντων ἔγωγε ἐκεῖνο, θαυμάζω,

Lib. 3. c. Mar. ca. 15.

3. Rhetor. 2.

μαρτυρ, μαρτύριον δὲ τὴν πεποιθησιν ἔχει. Sunt ergo Nomina characteres expressiores rerum : quemadmodum & sermo Index animi : quod & ipsum voluit in Rhetoricis Philosophus, ubi τὰ ὀνόματα, inquit, sunt μιμήματα, & interpretationes, ubi Symbola rerum appellavit φύσεις ὀνομάτων οὐδὲν ἔασιν, ἀλλ' ὅταν γένηται σύμβολα. Ita autem disposita, μάθησιν ἐμποιεῖ : & imprimis Metaphora ac Parabola. 3. Rhetor. cap. 9. Est autem μάθησις illa duplex, τε δήλωσις, & διάγνωσις. Quid res sit, ostendunt, quæ nominatur : & quomodo ab aliis rebus distinguitur. τὰ ὀνόματα inquit Iustinus Martyr, εἰς δήλωσιν ἢ διάγνωσιν τῶν ὑποκειμένων κεῖται πραγμάτων πολλῶν ὄντων, ἢ διαφόρων. Notant autem, id est, distinguunt : & ad distinguendum adjuvant. Augustin. de Gen. ad lit. ca. 6. Ἐὰν δὲ μὴ δηλοῖ, ἢ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον, censente Philosopho in Rhetor : Dividit autem nomina cap. XXI. de Poeticâ (ad quem locum sæpè nos rejecit in Rhetor.) in κύρια, τε γλῶτται μεταφοραὶ, &c. Nos ultra κύρια, vel personale nomen non progredimur : quale fuit nomen Iesu, Servatori impositum in Circumcisione.

In paran. pa. 20.

Sunt autem κύρια quæ imprimis denotant & distinguunt res : quarum distinctio nobis in usu est imprimis : Notatio, nec tam obvia est, nec tam facilè admittitur, vel observabatur ; & tamen illa ratio primaria est, distinctio sequitur in secundis. Illa etiam nominibus distingui possunt quæ nullo modo dignosci vel explicari possunt. Deum enim hoc nomine à Creaturis distinguimus : at cum Deum nominamus, Τὸ τί ἐστι, τὸ τί ἐστι, vel τὸ πῶς ἐστι, nec explicamus, nec apprehendimus, nec consequi possumus intellectu. οὐδὲν ἄρα περὶ θεοῦ κυρίως λέγεσθαι δύναται, rectè censuit Iustinus Martyr. Pater autem, Creator, Deus, Dominus, οὐκ ὀνόματα εἰσὶν ἀλλὰ ἐκ τῆς εὐποιΐας, καὶ τῆς ἄρχειν μόναν πεφυκέναι προσηγορίαι. Quæ cum sint multiplicia, etiam innumera fit, ut is, qui est revera ἀνώνυμος, sit tamen πολυώνυμος, καὶ πολυωνυμίαν ἔλεος τόσος, ὅσος Ἰησοῦς. ut mihi liceat Callimacheium illud hymno secundo παρωδεῖν. De quâ re, videndi Cyrillus Hierosolym : Catech. X. & Basil. To. 2. pa. 14. & 18. Cumque nominum acervos accumulaverimus, est tamen ille ὁ Ζεύς, ἀλλ' οὐκ Ζεύς, ut habet Photius, Pag. 312. Est enim θεὸς, πρᾶγμα ἀπερίφραστον, ἀδιαγράφῃ μηδεμίᾳ

84

In 1. Apol. pa. 130.

μία συγκλειόμενον. Andreas Cretensis in scripto Codice: Quemadmodum igitur Deum ἄγνωστον colebant Athenienses; nimirum quem animo, & cogitatione, exprimere non possent, vel complecti: ita & veteres Celtiberi apud Strabonem, Deum colebant ἀνώνυμον, quem de nomine suo proprio citare non poterant. Ἀνωνύμῳ τινὶ θεῷ ταῖς παννυχίσι de nocte, περὶ τὰς πύλας, χορεύειν, καὶ παννυχίζειν solebant.

Lib. 3 *p.* 164

85 Cum verò huic usui inserviant nomina, ut sint, δηλωτικὰ, ut sint Symbola νοημάτων, & πραγμάτων, vel σημαινόμενος, vel καθ' ἀκολούθημα, ut fusiùs disputat in VIII. Strom. Clemens Alexandrinus, rectè sentiebat Plinius, Atlantes quosdam populos, ab humanâ naturâ degenerare, qui nullis nominibus vel utebantur, vel distinguebantur. Et tamen verum est quod Philosophus observat, in rebus in vitâ communi positis, πολλὰ μυρίων ἀνώνυμα: atque ideò in 4. Meteorolog. ait Metaphoris esse utendũ, ἅτε τῶν μὴ κειμένων ὀνόματα καθ' ἑκάστην πλείοσιν, περὶ τὰ ὁριζόμενα. Et certè verũ est, res omninò plures esse, quam sunt nomina, quibus insigniuntur. Vnde Metaphoræ, & Amphibologiæ, & æquivocationes in usu sunt, quibus rerum ordo, natura, intelligentia confunduntur potiùs, quàm explicantur. Sed de rerum individuis tamen verum: non de speciebus, aut saltem generibus rerum, nisi apud quasdam gentes ex ignoratione, desuetudine, aut similibus. Sed de artificialibus verum est, quæ quotidiè vel nova prodeunt, vel innovata: & apud hasce, vel illas gentes, in vitâ & usu communi sunt, non autem apud alias: quæ tamen ipsa tandem nominibus satis ad δήλωσιν & ἀφάνωσιν facientibus innotescunt. Αἱ τῶν πραγμάτων φύσεις, τὰ ὀνόματα, καὶ τὰ οἰκεῖαι ὑποστάσεις πλάττουσι, inquit Chrysostomus, οὐκ ἐν ὀνόμασι τὰ πράγματα ἔστηκεν.

In Psal. 43.

86 Sed & illa etiam nomina, quæ non tantùm σχετικὰ sunt, & relationem ad aliud aliquid significant, ut Filius, Pater, Amicus: verum etiam maximè propria, & quæ ἀπολελυμένως, & καθ' ἑαυτὰ θεωροῦνται, quemadmodum Basilius loquitur, sunt quidem significativa rerum subjectarum, tamen καὶν τὰ μάλιστα δοκῇ ὑποκείμενόν τι δηλοῦν, οὐκ αὐτὴν θεωρεῖσθαι τὴν οὐσίαν, ἰδιώματα δὲ τινὰ περὶ αὐτὴν ἀφορίζει. *Et si maximè videantur substantiam denotare, non tamen substantiam ipsam ostendunt, sed circa substantiam quasdam tantum describunt proprietates.*

Lib. 2. *cont. Ennom.*

tates. Cujus disertissimi & acuratissimi Theologi dissertatio de hoc argumento, contra impiissimum illum Hæreticum, totam hanc illustrat materiam nominalem. *Quis autem mentis suæ compos, huic assertioni assentiatur? quorum nomina diversa sunt, eorum substantias differre necesse est. Nam Petri, Pauli, & omnium hominum, diversæ sint appellationes, tamen una est substantia omnium. Quapropter & in plurimis inter nos convenimus, iis proprietatibus solùm, quæ circa singulos inspiciuntur, alius ab alio differentes. Quare appellationes etiam non substantias, sed proprietates, quibus singuli designantur, significant. Hinc est, ut cum Petri nomen audiamus, non substantiam ejus intelligamus, id est,* Ὕλικον ὑποκείμενον, ὅπερ ἁδιαφόρως σημαίνει τὸ ὄνομα, *sed earum proprietatum aliquas, quæ circa ipsam substantiam considerantur. Illicò enim per hanc vocem intelligimus, Ionæ filium, qui fuit ex Bethsaida; Andreæ fratrem, qui ex piscatore ad Apostolatus ministerium assumptus erat. Qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationē in seipsum recipit: quorum omnium nulla est substantia, sed Hypostasis mente intellecta.* (Ita enim vertendum: nam cæcutit Interpres.) *Nomen itaque istud, Petri nobis exhibet characterem separatum: ipsammet autem nequaquam substantiam. Iterum cum Pauli nomen audimus, aliarum proprietatum congeriem concipimus animo, Tarsensem, Hebræum, secundum legem Pharisæum, Gamalielis discipulum, Ecclesiæ Dei ex zelo persecutorem: qui per tremendam illam visionem, ad veritatis agnitionem perductus fuit: & gentium Apostolus designatus. Hæc omnia illâ unicâ Pauli voce delineantur.*

Enimverò, si cum veritate staret, quòd illæ, quarum nomina 87
differunt, etiam substantiæ opponantur, omninò foret necesse, Petrum, Paulum, singulos quosque homines, differentis à se invicem substantiæ participare. Verum, quando quidem nemo ita ignarus est, ita communis omnium naturæ imperitus, ut id dicere animum suum inducat, fallitur omninò, qui persuadere conatur, substantiæ discrepantiam, necessariò consequi nominum diversitatem. Neque enim rerum Natura Nomina sequitur, cum posteriùs nominum inventio rerum subsistentias sequuta sit. Certè, si verum esset, quod asseritur, ἴδιαι γὰρ αἱ προσηγορίαι εἰσὶν αἱ αὐταὶ, μία γὲ τὴν αὐτὴν οὐσίαν ἔχει. Huc alluſit opinor & Nazianz. Orat. 45. Τινὲς δὲ ταῖς προσηγορίαις ὁμοῦ καὶ τὴν οὐσίαν παχυμερῶς συνδιαιρεῖσθαι δοξάσαντες,

σαντες, ἀνάξια παντάπασι τῆς θείας τοῖς ἑαυτῆς ἐννοίαις δοξάζουσι. *Qui ſubſtantiam ſimul cum nominibus craſſo modo dividi ac diſtingui exiſtimant, indignum prorſus de rebus Divinis apud animum ſtatuunt.* Non enim quia Titulus, *Filius hominis*, Chriſto & Ezechieli communis erat, ideo Ezechiel erat Chriſtus. Attamen ſi filius hominis & filius Dei, una & eadem ſit perſona, rectè eodem nomine nominatur: hoc eſt, quod habet Athanaſius pluries, ὧν ἡ φύσις μία, τούτων καὶ τὸ ὄνομα κοινόν. *Et ſequitur, ut unus idemque credatur, qui nominis & appellationis capacior invenitur, dum alter excluditur, qui non habet appellationis communioris, carens cauſa.* Atque hactenus de naturâ nominum in genere: ſequitur de Impoſitione.

Tertull. lib. 4. c. Marc.

88 Apud veteres Philoſophos certatum olim fuit, utrum nomina θέσει an φύσει conſtarent? & quidem θέσει conſtare dicebat Ariſtoteles: Stoïci verò φύσει potiùs comprobabant: Platoni viſum eſt, *poſitione* quidem conſtare, non tamen vanâ, temerariâ, & ὡς ἔτυχε adinventa, vel promulgata, ſed habito ad rei naturam reſpectu: quod & verum eſt, & conſentaneum ſacræ Scripturæ authoritati, & perpetuæ cuidam praxi vetuſtiorum. Habuit autem authoritatem duplicitèr, & Diſpoſitionis & Directionis: nam & nomen ei indidit, quo generis ortum ſignificaret; & adduxit ad illum creaturas, ut propriis nominibus illas inſigniret. Hominem, quem formavit de limo terræ, Adam, ab *adamah*, hoc eſt, rubrâ terrâ vel cretâ nominavit: quo eodem magiſterio ductus Adam, mulierem, conſortem, è latere ſuo formatam, appellavit Evam, quod mater eſſet cunctorum viventium futura, adhuc in ſtatu Innocentiæ conſtitutus, utcunque narretur à Moyſe factum poſt Tranſgreſſionẽ. Et Filius, qui pro Abele occiſo ſucceſſit, in ſpem promiſſionis, Seth appellatur: hoc eſt, Poſitio, *Poſuit enim mihi*, inquit, *aliud ſemen pro Abel, quem occidit Cain.* Ad hoc propoſitũ accommodatè Euſebius, *Ipſum Adami nomen, quod Hebraicum per ſe eſt, jure apud Moyſen, hominis è terrâ nati cognomentum cenſeatur, cum apud Hebræos, Adam, terra nuncupetur: ex quo falſum ſit, ut qui primus è terrâ naſcebatur, is à Moyſe, Adam, verè ac propriè diceretur. Quamquam & alia quoque hujus appellationis ratio eſſe poteſt, quaſi ex rubro colore ducatur, & corporis naturam repræſentet.* Quam rem pluribus ibidem

dem doctissimè persequitur, Platonis illustrando doctrinam, quam in Cratylo tradidit, de Nominum impositione, mutuatus illa à Barbaris, hoc est, à Iudæis, ut multa alia: ubi Moyses naturam rerum docet observatam, in Nominibus, subjectis rebus, imponendis: quam oportet illum perspectam & intellectam habere, qui μετὰ λόγου, secũdum rectã rationẽ, velit rebus nomina imponere. Κινδυνεύει ὁ, ὁ φαῦλον εἶναι, ἡ τοῦ ὀνόματος θέσις. ὁ δὲ φαύλων ἀνθρῶν, ὁ δὲ τῶν ὁπτυχόντων, ὁ Κρατύλος ἀληθῆ λέγει, λέγων, φύσει τὰ ὀνόματα εἶναι τοῖς πράγμασι, καὶ ὁ παντὰ δημιουργὸν εἶναι, ἀλλὰ μόνον ἐκεῖνον, ὃν ἐπιβλέποντα εἰς τὸ τῇ φύσει ὄνομα ὃν ἑκάστῳ, καὶ δυναμένου αὐτοῦ τὸ ἴδιον πρᾶγμα. *Vulgus autem hominum*, ait Philo, *cum rerum naturas ignoret, etiam in nominibus iis imponendis, errare oportet.* Τοῖς μὲν γὰρ, ὥσπερ ἐξ ἀνατομῆς, διανοητικῆς, κυρίαι προσρήσεις ἕπονται. Τοῖς δὲ συγκεχυμένοις, καὶ σφόδρα ἠκριβωμένοις. *Sunt enim quibus perspicuè, tanquam ex anatomiâ cognitis, propriæ sunt adnexæ denominationes. Sunt autem alia magis confusa, quæ non tam exactè diligentiâ observantur.* Et certè acuta est Eusebii observatio, ad illum locum, *Et omne quod vocavit Adam animæ viventis, Ipsum erat nomen ejus*: nimirum ante erat in rei ipsius naturâ, quam deforis ipsi imponebatur. Cum enim ait, *Ipsum erat nomen ejus*, quid aliud voluit significare, quàm appellationes, uti rerum natura postulabat rebus esse impositas. Ἀφ' οὗ γὰρ τὸ φάναι, τοῦτο ἦν ὄνομα αὐτῷ, τί ἄλλο, ἢ κατὰ φύσιν τεθεῖσθαι τὰς προσηγορίας, παρίστησι; τὸ γὰρ ὁπτυχθὲν ἄρτι, φησὶ, τοῦτο καὶ πάλαι πρότερον ἐν τῇ φύσει διειλέχθαι, καὶ τὸ κατὰ παρχὴν ἑκάστῳ τῶν ἐπωνομασμένων τοῦτο ὄνομα ὅπερ ὁ δυνάμενον ἀνθρώπου ὑπηρεάσαι δυνάμει κρεῖττον πέφυκεν. Eo enim quod ait, Hoc erat nomen ejus, quid aliud insinuat, quam secundum Naturam appellationes imponi. Quod enim nunc vocatur tali nomine, hoc ipsum longè prius sub rei natura contineri docet. Extitisse autem, & quidem præextitisse unicuique rei nominatæ nomen illud, quod homo, de quo dictum est, divina potestate præditus & afflatus, illi imponebat. Atque ita veritatem inter se, de nominibus res significantibus, & impositis rebus, Aristoteles & Stoici diviserunt. Rectè enim ille, fuisse θέσει, docuit: rectè autem & illi, τῇ φύσει, quam integram Plato è doctrinâ Mosaicâ repræsentavit.

εἰ γαρ. initio.

In nominibus autem rectè imponendis, duo imprimis spectari solent: Intelligentia & Authoritas, quoad ὀνοματοθέτας, quos appellat Plato. Etiam & quoad ipsa imposita nomina, plurima sunt quæ spectare solebant. Pythagoras apud Clementem Alexandrinum, in αἰλογαῖς, dicebat, μὴ μόνον λογικὰ ἀλλὰ & σπουδὴν ἡγεῖσθαι τῆς σοφῶν, & φέρειν, τὰ ὀνόματα τοῖς πράγμασι. Omnino secundum veritatem, necesse esse censuit, ut qui nomina rebus imponebat, is esset non tantum doctissimus, sed & antiquissimus, è sapientibus: utramque nimirum, quam dixi, prærogativam complexus. Sapientiâ autem insigni præditum fuisse eum, qui rebus nomina imposuit primus, contendit Plato in Cratylo. Qui utcunque forsitan, notitiam nullam habuit, ejus narrationis B. Moysis de nominibus impositis per Adamum, & statu Adami in Innocentiâ, nequaquâ tamen in eo aberravit à vero, quod censuit, prudentiæ opus insigne fuisse. *Disciplinâ enim intellectus replevit eum Deus*: quod visum Syracidæ, cap. 17. Inter Cæteraillius Innocentiæ status ornamenta, & prærogativas, censetur imprimis *scientia* Adami, & Intellectus, tam supernaturalis, quam naturalis: & hanc triplicitèr excelluisse Theologi arbitrantur. Primò, scientiæ *amplitudine* extensivâ: statim enim ac creatus fuerat, omnium rerum naturalium cognitione perfectâ imbuebatur, cœlitus infusa, non autem acquisitâ intelligentiâ: quod nulli unquam (à Christo homine si recesserimus) aut contingit, aut contingere potuit: non Salomoni, non filiis Orientalibus. Secundò, cum scientia nobis *acquisita*, à Posteriore plerunque, hoc est, ab effectis procedat, & non è causis, atque ideò vel nulla sit, vel admodum rarò, Demonstrativa, sed probabili tantùm ratione subnixâ & conjecturâ, Adamus absolutam cujusque rei, & quidem à Priori, hoc est, Causis, ortam intelligentiam, & scientiam rerum obtinebat. Quæ quidem cœlitùs infusa scientia, nullo modo amitti vel obscurari poterat, quamdiù eo statu permansisset Adam. Puerilitèr autem Abulensis, Salomonem Adamo sapientiorem fuisse arbitrabatur, eò quod scriptum sit 3 Reg. 13. *Dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante Te similis Tui fuerit, nec post te resurrecturus sit.* Hoc est, in eò-

dem

dem statu, quo Tu es, constitutus. Longè enim erat præstantior Adami, & status, & conditio. Rectè ergò de conditione status Adami Philosophatur Chrysostomus, Homil. 14. in 2. Gen. *Hinc Tu mihi, in considerationem adducito dilecte, absolutam potestatem voluntatis ejus liberæ, & summam cognitionis, & scientiæ illius dignitatem. Noli autem mihi objicere: ignorasse eum, quid bonum, quid malum esset. Qui enim potuit, τῶν σημείας καταλλήλως τοῖς κτίνεσιν ὀπτηνοῖς, volucribus etiam, atque feris animalibus, ita ut ordinem nullo modo confunderet; neque nomina, quæ cicuribus & mansuetis animalibus competebant, feris & agrestibus imponeret; nec quæ agrestibus congruebant, mansuetioribus appropriaret: sed cuiq; animali congruas attribueret denominationes, quomodo non ille omni scientia & cognitione replebatur?* Quam inspirationi illi divinæ ascribebat, λογίζ ἐντεῦθεν λοιπὸν, inquiens, ὅσον τὸ ἐμφύσημα τοῦ θεοῦ ἦν ἡ δύναμις, καὶ πόση ἡ τοῦ σώματος ψυχῆς σοφία ἣν ὁ δεσπότης αὐτῇ κεχάρισται. *Atque hinc, ait, animo tuo, & cogitatione reputa, quanta fuerit illius inspirationis divinæ potentia & facultas; quanta animæ Adami incorporeæ sapientia, quam illi Dominus infuderat.* Hinc Elogium illud Creaturæ, ut loquitur Tertullianus, *Omnia bona:* Quæ etiam in Creatarum rerum appellationibus resultabant. Nam Philosophus, Τὸ καλλιγραφοῦν in nominibus cum primis observat: quam pulchritudinem duplicem statuit, καὶ τοῖς φθόγγοις, in literarum sono: Et τῷ λεγομένῳ, subjectâ re. Utramque lingua illa & dialecto, quâ utebatur Adam, relucentem, etiam ad posteros commendavit. Linguæ facultatem indiderat Deus: sed usum & proprietatem homini concessit: atque ita, non suggessit Adamo Deus immediatè illa vocabula, quibus animalia distinxit & insignivit, sed οἰκόθεν, de suâ penu deprompta, pro naturâ, & conditione singulorum imposuit.

De homine creato ad imaginem Dei, magnifica prædicantur in scriptoribus sacris. *Gloriâ & honore coronâsti eum, ait Psaltes: constituisti eum super opera manuum tuarum: subjeciſti omnia sub pedibus ejus.* Et in libro Ecclesiastici Syracides, *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram: posuit timorem illius super omnem carnem. Dominus est bestiarum, & volatilium.* Quæ omnia Deus indulgebat propter imaginem illam, & similitudinem ad quã homo condebatur: 90

quam plerique Patres, præſertim Græci, in rerum dominio conſtituunt, & imperio. Cujus quidem, ut & omnis poteſtatis, duplicem ſtatuunt conſiderationem. Priorem, in jure conceſſo, & indulto privilegio: Poſteriorem, in conceſſæ poteſtatis executione, poſſeſſione, & uſufructu. Prior illa prærogativa extat Gen. 1. 25. 26. ubi homo creandus ad imaginem Dei, & ſimilitudinē dicitur, ut *præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terrâ.* Poſterior accepit complementum, cum viventia omnia adduxit Deus ad Adamum, ut nomina iiſdem imponeret, quaſi ſervis ſuis & ſubjectis.

Tom. 5. pag. 286 Sic præcisè divus Chryſoſtomus, Ὅτι γὰρ ὀνομάτων θέσις, δεσποτείας ἐστὶ σύμβολον, μάλιστα μὲν ἐξ ὧν ποιοῦμεν, δῆλον· γνωριμώτερον δὲ ἔσται ἐξ ὧν ἐπὶ τοῦ Ἀδὰμ ἐποίησεν ὁ Θεός. *Quod nominum*, inquit, *impoſitio, Domini Symbolum, & indicium ſit, ſatis quidem patet, ex illis, quæ à nobis in communi vitâ aguntur: dilucidius autem claret ex actis apud Adamum Dei.* Volens enim Deus ipſum edocere, quod princeps rerum omnium conſtitutus ſit, & Dominus adduxit ad illum omnia animalia, ut videret quomodo nominaret ea: eo ipſo indicans, quod nominum impoſitio confirmet & ratam faciat dominationem.

91 Habuit autem indultum hoc privilegium homo, reſpectu *rationis*, qua ornabatur, homo factus ex humo, ad imaginem tamen Conditoris ſui: quocirca ne quidem per peccatum, penitus amiſſum fuit iſtud privilegium: nam non planè abivimus, εἰς ἀλογίαν, ſed & parentes, & domini, & principes, cæterique conſtituti cum imperio, rebus & hominibus ſibi ſubditis, nomina imponunt adhuc pro arbitratu. Hinc eſt, quod Iuſtinus Martyr, Deo nullum nomen imponi poſſe doceat proprium, propterea quòd non ſit Deo ſuperior aliquis, vel prior, qui jus & dominium ſibi illud queat uſurpare Ὄνομα δὲ τῷ πάντων πατρὶ θεῷ, ἀγενήτῳ ὄντι, οὐκ ἔστιν. ᾧ γὰρ ἂν ὀνόματι προσαγορεύῃ τις, πρεσβύτερον ἔχει τὸ τιθέμενον τοῦ ὄνομα. Hinc & illud, quod Adamus nomina non impoſuerit Cœlo, Terræ, Soli, Syderibus, & ſupralunaribus Elementis, ſed Deus ipſe, rerum omnium Dominus & Creator: Non enim illa *ſubjecit pedibus ejus*, neque poteſt cœleſtibus imperare, verum inferioribus præficit

præficit hominem. *Terror veſter*, ait, Gen. 2. 9. ac *Tremor veſter, ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli: cum univerſis quæ moventur ſuper terram. Omnes piſces maris manui veſtræ traditi ſunt.* Et certè, niſi dominaretur in illa omnia, non poterat homo de jure, & ſecundum juſtitiam, illorum carnibus veſci, pellibus veſtiri, venationibus oblectari: quod & ipſe Philoſophus rectè vidit, in primo Politicorum. Quocirca falluntur, qui piſces excipiunt, vel aliquos ab hoc imperio: vel omnes, à Nominum impoſitione. Theodoret. qu. 20. in Gen. Cetacia, balænas, & ſimilia monſtra marina, neque propter hominem fuiſſe creata, neque ſubjecta eſſe imperio humano. *Obſervandum eſt*, inquit, *quod tacetur hoc, Omnia animalia facta fuiſſe propter hominem: ſed illa tantùm, quorum dicitur Dominus conſtitutus fuiſſe: hoc eſt, Piſces maris, volucres cœli, pecora terræ; fortaſſis autem & Reptilia Terræ, propter ſummam neceſsitatem medicamentorum, quæ ab illis exprimuntur. Non autem facta ſunt propter hominem magna Cete, nec beſtiæ Terræ. Alioquin enim addidiſſet, & illorum denominationem, ad confirmandam hominis poteſtatem. Sed nec reperimus in Scripturis Serpentum genera inter Reptilia annumerata, verùm inter feras, vel beſtias potius.* Concludit autem διὰ ἄρχει τούτων ὁ ἄνθρωπος, διὰ τὸν κτίσιν τὸν μεγάλων, διὰ τὸν θηρίων. Quæ & ipſo fortaſſis ab initio, non hominis causâ creabantur. Temerè profectò, & ἀβασανίστως, quæ quotidianâ experientiâ refelluntur. Nam & immaniſſimis illis monſtris marinis dominatur homo: & truculentiſſimas ſibi beſtias ſubjugavit ratione, & ſolertia δεινόμενος. Utitur illis, ad ſua commoda & neceſſitates: occidit ad libitū, & venatur. Falſum eſt autem, viperas, aſpides, & cætera ferarum, ut appellat, genera, non inter Reptilia comparari. Balænæ autem, Phyſetères, & quicquid eſt monſtrorum marinorum, inter piſces maris computantur: quorum ſervitium addicitur homini.

Rectius Chryſoſtomus etiam iſta omnia, & nomina tuliſſe, ab homine impoſita docet: Homil. 9. in Gen. & hominem, ut Dominum reverita: & etiamnum illi ſubjecta eſſe. Et Baſilius ὁ πάνυ, Homil. 10. in Hexaem: hominem ipſum ſic σοφοῖς, *Cum tantam eſſe vim rationis intelligas,* 92

quam indulsit tibi Deus, nihil non meantem ac penetrantem: quo modo non etiam potestatem accepisti, vel ipsis Balænis imperandi. Addit autem le oculis suis, ἐυστόχως, usurpasse aliquando, hominum in capiendis industriam & solertiam. Atque ita *Cetus*, inquit, *tam immanis & ferus, nullo prope negotio, per hamum tenaciùs inhærescentem captivus adducitur, hominis ingenio domitus, & expugnatus, prædâque factus piscatori, exiguo ingens, immanis imbelli.* Quo etiam spectat quod de Tentyritis narrat Plinius, *Crocodilum*, inquit, *habet Nilus, quadrupes malum, ac terrâ paritèr ac flumine infestum. Magnitudine excedit plerunque duodeviginti cubita. Est tamen gens hominum huic bellua adversa in ipso Nilo Tentyritæ, ab Insula in qua habitant appellati. Mensura eorum parva, sed præsentia animi in hoc tanto usu mira. Terribilis hæc contra fugaces bellua est; fugax contra insequentes: Sed adversum ire soli hi audent. Quin etiam flumini innatant: dorsoque equitantium modo impositi, bilantibus resupino capite ad morsum, addita in os clava, dextra, ac lævas tenentes, extrema ejus utrimque, ut frænis, in terram agunt captivos: à voce etiam sola territos cogunt evomere recentia corpora ad sepulturam.* Quæ igitur animalia, naturali feritate non cicurantur, hæc vel ipsâ necessitate coguntur, inquit Basilius, ut suo inserviant & obtemperant imperatori. Atque ita monstra vel solis nominibus horrenda, sub hominis redacta potestatem, in signum Imperii, nomina ipsis imposita sortiuntur.

Lib. 8. ca. 25.

93 Sed & alii negotium hìc facessunt, de Adductione creaturarum ad Adamum, cum, ut Dominus, imponeret iis nomina. Erant qui, non lignum lignum, nec aquas aquas in Historiâ Geneseos intelligerent, ut notavit nobis Basilius: Et ad eundem modum erant, referente Moyse Bar-Cephâ, in Libro suo *de Paradiso*, qui hanc adductionem in figuram transformabant, tanquam mystice factam, non reali aliquâ actione. Erant, qui de modo adductionis curiosè inquirentes, sic statuerent Adamum in editiore quodam loco constitutum, majestate & authoritate conspicuum, vultu mirum in modũ resplendente, nominatim animalium genera singula, voce audibili, & perceptibili citâsse: Exẽpli gratiâ, Equum, & Taurum citâsse: illa autem animalia, quæ erant eo nomine insignienda,

pro

prodeuntia è turbâ, ante eum comparuiſſe, & capitis in terram ſubmiſſione, venerationem, tanquam regi exhibuiſſe: & hanc jocularem opinionem videtur amplexus Bar-Cephas ipſe: quemadmodum prioré, Cajetanus apud Pererium in Commentariis. *Moyſes*, ait ille, *Deum narrat adduxiſſe animalia ad Adamum, ut videret, quomodo ea vocaret. Manifeſtum eſt autem non fuiſſe opus Adamo viſione corporali animalium ad imponenda iis nomina. Talis enim viſio, nihil ad impoſitionem nominum conferre poterat ſed opus fuit intellectuali viſione, ſine quâ talis nominum impoſitio rectè fieri non poterat. Non igitur corporaliter, ſed intellectualiter, ad Adamum adducta eſſe animalia intelligere oportet.* Nec ſane minus improbabilis eſt Pererii ipſius ſententia de modo adductionis, qui animalia vult per totum terrarum orbem diſperſa, in unum locum, ubi erat Adamus, congregata vel inſtinctu quodam divinitus impellente, vel miniſterio Angelorum: omnino ἀλογίστως & ἀβασανίστως. Quaſi Deus innumera individua in ſingulis generibus creaſſet, & non potiùs bina, & bina: ut ab illis repleretur terra. Quaſi Deus ſic creata, per longinquas regiones diſſipaſſet, & in ictu oculi, ſubitò ad Adamum rapuiſſet. Quorſum diſſiparet ante nominationem? cogenda ſtatim ad denominationé: ſiquidem ante lapſum in ſtatu Innocentiæ adhuc conſtitutus nomina impoſuit illis Adam. Hæc ſunt plena abſurditatis; & mitor virum doctum & cordatum eo deveniſſe ἀβλαβείας.

Creata fuerant omnia animalia bina & bina. Creata, 94
vel ubi Adam, vel in vicinia. Adducta inſinuat de ſuo paſtu, ſede, commoratione naturali & congruente, non de ultimis Orientis, aut Septentrionalibus regionibus: adducta ſtatim ut creabatur homo, quo Domino conſtituto famularentur, &, ut noſtri loquuntur Legulei, præſtaret Homagium & fidelitatem. Sed & idem Pererius, cum ad cogenda & adducenda animalia, Angelorum advocet miniſterium, cur non etiam eodem utebatur ad piſces ex Oceano adducendos? vult autem piſces non adductos. Quod ſi verum ſit, vel omninò rectè ſtatuit Cajetanus, non fuiſſe Adamo opus viſione corporali, ſed tantùm mentali: vel cum Theodoreto ſtatuendum, Balænas ſaltem & cetacea, nec

deno-

denominationem ab homine accepiſſe: nec humano ſubjecta eſſe imperio. Chryſoſtomus autem Homil. 14. in Gen. & piſcibus nomina impoſita ſtatuit, & Scriptura Dominium homini ſuper piſces aſſerit: an verò adducti eſſent ex aquis: & quomodo illa repræſentatio fieret, dicant ſi poſſunt, ſi tamen poſſunt probare, quod dicunt. Adducta erant, quæ adduci poterant, & coram homine ſiſtebantur: hic opus erat reali, & viſibili συναγωγῇ: quæ autem nullo modo congruo adduci poterant, per intellectum repræſentata, nomẽ fortaſſis accipiebant, & in dominium mancipabantur humanum. Επόησόν μοι, ſic diſputat Chryſoſtomus, πόσης ἦν σοφίας τοσούτοις γένεσι κτηνῶν, ἑρπετῶν, θηρίων, πτηνῶν τῆς ἄλλων ἀλόγων, τῆς ἡμέρων, τῆς ἀγρίων, τῆς ὅσα τοῖς ὕδασι ἀφαπωμένων. τῆς ἐκ τῆς γῆς ἀναδοθέντων. πᾶσι τούτοις ὀπιθεῖναι τὰς προσηγορίας, καὶ προσηγορίας κυρίας, καὶ καταλλήλους ἑκάστῳ γένει: εἶδες ἐξουσίαν ἀπεριόριστον. εἶδες διαστολὴν αὐθεντείαν. λογίζου μετὰ τῶν ἄλλων καὶ τοῦτο, ὅτι καὶ λέοντες, καὶ πορδάλεις, καὶ ἔχεις καὶ σκορπίοι, καὶ ὄφεις, καὶ τὰ ἄλλα ἅπαντα τὰ τούτων θηριωδέστερα, καθάπερ προσὶν διαστόλῃ, μετὰ πάσης ὑποταγῆς, προσεχώρησε, τὰς προσηγορίας ἐδέξαντο, καὶ οὐδὲν τούτων τῆς θηρίων ἐδεδοίκει ὁ Ἀδάμ. ὅτι γὰρ ἅπαντα ὁμοίως τοῖς ἡμέροις τὴν ἀγελείαν ἐπεδείκνυσκε, καὶ τὴν διαστολὴν, δείκνυσιν ἡμῖν ἀκριβῶς ἡ τῶν ὀνομάτων θέσις. αἱ γὰρ προσηγορίαι ἐκεῖναι, ἃς ἔθετο αὐτοῖς, μέχρι τοῦ παρόντος ἀφωμένουσι. Hic mihi cogita, quantæ ſapientiæ fuerat tot generibus jumentorum, reptilium, ferarum, volucrum, aliarum irrationalium, cicurum, agreſtium: eorum quæ in aquis verſantur, quæ de terra enixa prodeunt, hiſce inquam omnibus & ſingulis appellationes imponere, eaſque proprias, & cuique generi convenientes. Certè vides huic actui poteſtatem annexam. Vides Dominii authoritatem. Inter alia, & hoc mihi animo tuo cogita, quod & leones, & pardi, viperæ, ſcorpii, ſerpentes, & ſi quæ ſint iſtis truculentiora, veluti ad Dominũ ſuum cum omni ſubjectione acceſſiſſe, & indita nomina ſuſcepiſſe: quarum beſtiarum nullã metuebat Adam. Nam quod omnes iſtiuſmodi feræ, non minus quam cicures, ſervitutem profitebantur, accuratè demonſtrat nominum impoſitio: Appellationes omnes illæ, quas impoſuit, uſque etiam hodiè perſeverant. Hactenus Chryſoſtomus.

Hoc

Hoc autem dominationis & imperii ſymbolum, à Deo derivatum, in homine ratione prædito expreſſum, multis modis inter homines, à rebus in communi vitâ poſitis, reſultat; & multiplici eorum praxi confirmatur. Servos enim quos ſibi emptitios compararunt, nominibus pro arbitrio impoſitis, in ſignum Dominii tranſlati diſtinguebant. Καὶ τοῖς ἀνθρώποις ἔθος τοῦτο ποιεῖσθαι συμβολον δεσποτείας, ἐπιφδὰν οἰκείαν ἀνήσαντο μεταπιθέναι αὐτῶν τὰς προσηγορίας, ait Chryſoſtomus: qui & alibi rem eandem confirmat, exemplo Regis Babyloniæ: qui nomina Iudaica, Ananiæ, Aſariæ, & Miſaëlis, pro authoritate ſuâ mutavit in Shadrach, Meſach, & Abednago. Danielem quoq; Beltaſhar nominavit. Sed & Deus ipſe hominibus hoc exemplum præivit. Nam cum electum ex hominibus Abrahamū in ſuum quaſi peculium ſepararet, & Circumciſionis ſigno impoſito, diſtinctione ab aliis ſejungeret, nomen ei antiquum mutavit, uti & uxori: & pro Abram, nominavit Abraham. Sarai quæ fuerat, Sara deinceps dicebatur. Quærit etiam Chryſoſtomus, unde factum, ut is, qui aliquando, nempe in Iudaiſmo, dicebatur Saulus, converſus ad Chriſtum, Paulū in Epiſtolis ubique uſurparet, & eo nomine deinceps ab omnibus citaretur: reſpondet autem, *Quemadmodum is qui ſuâ pecuniâ ſibi ſervum emit, in ſignum Dominii & juredictionis, nomen continuò mutare ſolet: ita Spiritus ſanctus, ubi captivum ſibi feciſſet Saulum, nomen tanquam ſervi capti mutavit, & Paulum appellavit. Sed & Paulus ipſe de rerum Domini, Dei filio verba faciens, humanam induente mortalitatem*, ubi de ſervo facto loquitur, adjungit ſtatim & nomen datum. *Dedit ei Deus nomen ſuper omne nomen.*

Chryſoſt. To. 5. pa. 286.

Εἰδὲ βάλοιο καὶ ἑπαίνων ἀλλεῖν τοῦτο νόμιμον, καὶ μαθεῖν ὅτι ἔθος πολλάκις τοῖς ἀπὸ αἰχμαλωσίας λάμβανον ἄλλας μεταπιθεῖν αὐτῶν τὰ ὀνόματα, ἀκήκοατε που τί ἐποίησε Βαβυλωνίων βασιλεύς. λαβὼν γὰρ ὅτι ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας τὸν Ανανίαν &c. καὶ ἀφῆκεν ὅπου τὰ πατρῷα ὀνόματα &c.

Καίμοὶ δὲ ταῖς ἐπιστολαῖς Παῦλος χαίρει λέγων. πῶς δὲ ἔσχεν, αὐτὸς ἡμῖν προσηγορίαν μετέβαλε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; καθάπερ δεσπότης οἰκέτην ὠνησάμενος εἶτα βουλόμενος αὐτὸν διδάξαι, τὴν δεσποτείαν μεταπίθησι αὐτῷ. ὃ ὄνομα. ὅτου δὲ τὸ πνεῦμα τὸ ἄλλον ἐποίησε τότε. καὶ τὸν ἐξ αἰχμαλωσίας Παῦλον ἔλαβε, καὶ προσφάτως ἦν ταύτην τὴν δεσποτείαν προσελθών, ἀφ' οὗ τοῦτο μετέβαλε τὴν προσηγορίαν. To. 5. pa. 286.

Nomen autem ſervorum unicum erat & ſingulare: 96

impositum plerunque à Gente vel Natione, unde oriebantur. Hinc sunt Syri, Cariones, Lacones, in Comædia: vel ab aliquâ qualitate, aut ministerio. Cum verò manumittebantur, addebatur aliud nomen, nempe Patroni. Hinc etiam in Actis Apostolicis, Claudius Felix, & Claudius Lysias. Ab hâc etiam consuetudine nomen imponitur, per Parentes, vel alios qui loco Parentum sunt, quales sunt Patroni, vel susceptores, aut ἀναδοχεῖς. Et quidem apud Iudæos in Circumcisione nomina liberis imponebant Parentes: neque enim legimus de Susceptoribus. Pater frequentius: interdum & mater: nonnunquam propinqui, vicini, & convenæ: sed ex assensu, & de voluntate parentum: qui vel ratam, vel initam faciebant denominationem ab aliis impositam: quod de Baptistâ Iohanne constat è B. Lucâ. Voluerunt vicini, nomen Patris Zachariæ puello imponere. Contradixit mater, *Nomen illi erit Iohannes*. Vicini rem deferunt ad Zachariam, tanquam quem penes erat nominare arbitrium: in illius autem φῆφον acquievêre. Rachel puellum sibi natum, propter tristem sibi casum inde provenientem, Benoni indigitavit: sed non placuit Iacobo illud Nomen: Benjamin censuit nominandum: atque illud nomen de Patris obtinuit authoritate. Frustrà ergò litigant περὶ ὀνομεφέτου apud Iudæos: & in diversas abiêre sententias. Imponebant fortè alii, etiam extranei: semper autem de Parentum, Patris imprimis, voluntate, qui per Naturam constituitur, Dominus à se oriundorum: nisi divina intercederet institutio, qui interdum, prout ipsi visum, nomen Infanti assignabat. Quâ juris prærogativâ uti potest, quippe omnium Propator & Creator.

Εἰώθασιν ⓐ παλαιοὶ τοῖς παιδίοις ὀνόματα τιθέναι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν Σύρῳ καισῶνα; Scholiasten vide Aristoph. in Pluto: & Æschin: pag. 49. hinc Ἐνδρομίᾳ apud Longum in Pastorali. Et Dromio in Comædiis. Photius ex Helladio, pa. 870. ⓐ κωμικοὶ, τοὺς οἰκέτας ὃ μᾶλλον πλείω ἀπὸ τοῦ γένους ἐκάλουν. οἷον Σύρῳ, Καισῶνα, Μίδαν, Γέταν, καὶ ὅμοια. ἐκάλουν δὲ καὶ ἐξ ὑποθέτων. ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος Πυρρίαν, καὶ Ξανθίαν. ἀπὸ τοῦ ἔθνους δὲ Παρμενῶνα, καὶ Πίσων, καὶ Δρομῶνα. ἐκάλουν δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας οἷς ἢ ὠνήσαντο ⓑ οἰκέτιον. ἐξ οὗ καὶ τοὺς νοσοφοίτας ὠνόμαζον ⓒ.

97

Porrò in nominibus imponendis, Patriarchæ, & antiqui Iudæorum proceres, non unâ ratione movebantur. *Omnibus animantibus Adam nomen imposuit*, ait Tertullianus: & *De velandis Virg. ca. 5.*

nemini

nemini ex futura conditione, ſed ex præſenti Inſtitutione, cui conditio quæcunque ſerviret, hac appellata quod à primordio voluit. Et de nomine miniſteriali Chriſti Servatoris, ait Idem cap. 25. Lib 3. c. Mar. *Chriſti nomen, non ex natura veniens, ſed ex diſpoſitione proprium ejus efficitur, à quo diſpoſitum invenitur.* Vult ergò nomina interdum imponi ſolita, ad officium aliquod, ſaltem futurum, & deſtinatum, indicandum: hoc eſt, reſpicere futurum ſtatum, non tantùm præſentem conditionem. Interdum verò è ſolâ præſentis conditionis conſideratione, ſine ullo futuri reſpectu. Utrumque complexus videtur Ambroſius. *Apud veteres, ex occaſione nomina imponebantur: ut Iſaac propter riſum: & Iacob propter calcaneum.* Rem utramque præteritam commemorabat: nam & Iacob adhuc in vetero, fratris calcaneum apprehenderat: & ridebat Sara vetula, cum de filio naſcituro audiebat. Ita & iſte propter inquietudinem Saulus eſt nuncupatus: poſtquam autem credidit, ex Saulo, Paulus nuncupatur: hoc eſt, mutatum ſe docet. Fit autem ut *Conveniant rebus nomina ſæpè ſuis*: id eſt, ut in vitæ ſuæ curſu, actionibus ſuis, & ἀναφορῇ, illa exprimant: vel ſtatu & conditione illa experiantur, quæ nominibus ab initio inditis deſignabantur. Hinc illud de Iacobo Eſavi dictum Gen 27. 36. *Iuſtè vocatum eſt nomen ejus Iacob, ſupplantavit enim me in alterâ vice. Primogenita mea antè tulit: & nunc ſecundò ſurripuit benedictionem meam.* Hoc ipſum in Emmelia, Baſilii matre, notavit Nazianzenus. Τὶς Ἐμμελίαν τὸν, ὅτε ἐγένετο, προσκληθεῖσαν, ἢ γινομένην, ὅπερ προσεκλήθη, τὴν δ' ἐμμελείας ὄντως φερώνυμον. Orat. 20. pa. 322. Quod non tam ab aliquâ prævià divinâ revelatione, quam ordinatâ rei diſpoſitione proficiſcitur. Nam & Ethnici illud ab antiquâ memoriâ uſurparunt, quod obſervat Scholiaſtes Sophoclis, in Lorario, ut ad denominationem referrent illas calamitates, quibus conflictabantur, quaſi θεσθεν, deſtinatas, & in nominibus impoſitis, deſignatas.

Αἰ, αἰ, τίς ἀν ποτ' ὦ εὖ ὠδ' ἐπώνυμον
Τὸν μοι ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς.

Sophocl. Ajace Lorario: ubi Scholiaſtes, Ἐπὶ καὶ τοῦτο ἀρχαῖόν ἐστιν προσ τοὺς ἐπωνομασίας ἐκφέρειν τοὺς συμφορᾶς.

Quam rationem in divinâ diſpenſatione initam, per antecedaneam revelationem animadvertimus in Scripturis. *Habent hoc Sanctorum merita, ut à Deo nomen accipiant.* 98

Sic Iacob Iſrael dicitur, quia Deum vidit: Sic Dominus noſter, IESVS, nominatus eſt, antequam natus: cui non Angelus, ſed Pater nomen impoſuit. Ambroſ. in 1. Luc. In hujuſmodi autem nominibus ſemper obtinet, quod habet Tertullianus, *Fides nominum, ſalus eſt proprietatum.* De carne Chriſti, cap. 13. Apud homines, rerum omnium, præcipuè futurarum, ignaros, animad vertere licet in nominum impoſitione, illud quod de Noëtis Hæreticis, notat Epiphanius, qui cum ab intellectu nomen uſurpaſſent, nihil tamen planè intelligebant. Ὥσπέρ γε καὶ τῷ κυνὶ, ὄνομα λέων, καὶ τὰς μηδὲ ὄντως ὁρῶντας καλοῦσι, πολλὰ βλέποντας, καὶ τὰς κολὰς γλυκείας φάσκουσι, καὶ ὃ ὄξος μέλι τινὲς ἐπωνόμασαν, καὶ ταῖς Εεαῖς, Εὐμενίδας τινὲς ἐκάλεσαν, ὕτω καὶ τοῦτ, καὶ ὁ ἀπ' αὐτοῦ Νοητὸς ἔχων ὄνομα, ἀνόητος ὑπάρχει, καὶ ὁι ἐξ αὐτοῦ ἀνοητοῦντες. *Vt enim caniculo interdum ſegni, Leonis nomen imponitur: ut planè cæcos, multa videntes vocant: ut acetum mellis nomine appellatur, ac Furias nonnulli Eumenidas indigitarunt: Ita in iſtis accidiſſe videmus, ut Noëtus appellaretur, homo planè inſulſus, & ineptus: quod ipſum nomen non minus ſtupidi illius diſcipuli, ſortiuntur: humano errore, ſed antiquiſſimo.* Ita enim magni generis noſtri Patriarchæ, Protoplaſti, in liberorum nominibus aſſignandis decipiebantur, cum Cain & Abel ſibi genitos nominarent.

99 Veteres Chriſtiani, vel de Iudaiſmo, vel Paganiſmo, tranſibant ad Chriſti profeſſionem: & nomina illa antiqua plerunque retinebant, quibus in priori illâ ſuâ profeſſione dignoſcebantur. Ita Dionyſius qui fuerat Areopagita, Dionyſius permanſit, non in aliud nomen tranſiit à baptiſmo: niſi fortè de Paganicis diis, hoc eſt, idolis denominationem ſortiebantur: illa enim nomina abominati, relinquebant, & alia ſibi è ſcripturis aſſumebant. Id
Lib. 8. ca. 21. indicare videtur Euſebius, nam certè obſcuriùs loquitur, ubi de Pamphilo Martyre agens, ait, ubi pro proprio nomine, Prophetæ cujuſdam nomen ab eo acceperat: hoc enim ab illis factitatum erat, quod pro nominibus Idolorum, quæ erant fortè à parentibus ipſis impoſita, nova nomina, factâ mutatione, ſibi aſciverant. Ιδωλικῶν ὄντων, εἰ τύχοι, verba ſunt Euſebii: ſed non reſpondent, πρὸς τὸ πραττόμενον. Nam cur ſibi nomen Pamphilus mutaret, quod non erat alienus Idoli? Eſt autem res ipſa, è veteri Chri-

ſtianorum diſciplinâ. Nam cum Gentiles deorum nomina ſuis imponerent, præcipuè Aſſyrii, & Babylonii, hoc deteſtati ſunt Chriſtiani: unde eſt illa ἀφαιταγὴ apud Clementem: Ἀπείρηϰε δὲ ϰαὶ ὀμνύειν ἐν αὐτοῖς, ϰαὶ ὃ ἀφ' ἑϰάτου αὐτῶν τοσοῦτον διαφέρειν τὰ βδελυϰτὰ ὀνόματα. Atque huc refert Propheticum illud Zachariæ effatum, *Auferam nomina Idolorum ex ore illorum.* Concilium vero Nicænum ulteriùs progreſſum, in Canonibus ab Alfonſo Piſano editis, Can. XXX. Vt Fideles nomina Gentilium filiis ſuis non imponant: ſed potiùs omnis natio ſuis nominibus utatur, ut Gentiles ſuis utantur: imponanturque nomina Chriſtianorum in Baptiſmo, ſecundum Scripturas.

Longiſſimè ab hâc praxi, & ordinatione veterum receſſêre Itali præcipuè inter Chriſtianos: apud quos frequẽtiora ſunt nomina Paganorum & Idolorum, quàm Chriſtianorum. Nam & Herculem legimus in Gonzagarum & Eſtenſium familiis, Hippolitum Aldobrandinum, Camillum Borgheſium, in Petri cathedra nuper conſediſſe. Scipio Tettus, Hannibal Carus, Flaminus Nobilius, Fulvius Urſinus, Torquatus Taſſus: Sed & Cynthia Cervina, & Lucretia Urſina, Pallas, Venus, Iuno, in Italiâ frequentiùs audiuntur. Excuſat hoc Franciſcus Turrianus in notis ad Can: illum Nicænum: ſed ridiculè, *Non imponuntur à Fidelibus nomina Gentilium, ſi quando in Baptiſmo imponitur nomen Pompei, aut Octavii, & ſimilium. Non enim ut nomen Gentilis, ſed ut noſtrum imponitur.* Quantò rectiùs, & religioſiùs, Benedictus Pererius, *Verum enimverò animadvertere poſſumus,* ait, *& mirari Hebræos in imponendis nominibus religioſos fuiſſe, magis quàm ſunt Chriſtiani. Hos enim cernimus præſertìm in Italiâ ſpecioſum & glorioſum ducere, nominibus nempe Ethnicorum, hominum non impiorum modo, ſed improbandorum etiam, ac ſceleratorum liberos ſuos inſigniri & appellari: Chriſtianorum & ſanctorum virorum nomina relinquentes. At Hebræi, uſque adeò à nominibus Ethnicorum aſſumendis, ſibi imponendis abhorruêrunt, ut ejuſmodi nominibus Hebræum quempiam appellari, planè improbum, impium, execrandumque ducerent. Sed & ipſi etiam Gentiles religioſiores. Nam mali ominis nomina diligentèr cavebant: imponebãt illa, quæ boni ominis erant.* Hoc Heraldus obſervat ad Epig. X. Lib. 4. 100

Martialis: à quo si fides Casaubono, ad Persium Sat. 2. nec ipsi olim Christiani abhorrebant.

101 Quanquam Nomen per se nec malum est, nec bonum, οὐδὲν ὄνομα ἀφ' ἑαυτοῦ, οὐδὲ δι' ἑαυτοῦ, οὔτε πονηρὸν, οὔτε χρηστὸν νομίζεται. Sed ἐν τοῖς φύσεσι, ἢ τῷ σημαινομένῳ, ὃ καλόν, ἢ ὃ αἰσχρόν continetur. Illud autem ὃ σημαινόμενον, in Paganicis Nominibus, αἰσχρὸν habet apud Christianos: cum libentèr recolant ejus rei memoriam: illâ se profiteantur oblectatos: & habere, aut habere velle, ad illam οἰκειότητα quandam: cujus nomen in liberis suis usurpant quotidiè, tanquam amoris indicium & charactera. Nomina enim φιλικὰ sunt. Sunt μνημονευτικὰ, ἢ πατρόθεν, ἢ οἰκόθεν, ἢ ἐκ τῆς ἰδίας ὑποτηθιδίας, & πράξεων derivata, quod docet Nazianzenus.

Rhetor. 3. c. 2

Orat. 20.

102 Erat inter Ethnicorum pietates, à Deorum suorum titulis, sibi, & liberis nomina imponere: ita enim se Diis suis placere rebantur, quo in genere Ægyptii omnium hominum maximè superstitiosi eminebant. Vocabantur enim Mercurii, Dionysii, Hephæstiones, Zenones, Hermæi, Luciano narrante. Sed hujusmodi titulos inter Nominũ reatus, cum Tertulliano, referemus. Sed & nostri Novatores, in nominibus imponendis, non minùs ridiculè insanire solent, quam illa Alergalis apud Athenæum, quæ quod piscibus ad insaniam delectaretur, & esset inter omnes ὀψοφαγέστατον, etiam filium suum, ἰχθὺν, hoc est, Piscículum nominavit. Illi enim, qui vel Iudaismum affectant, vel Puritanismi novitatibus insaniunt, liberos suos duplicitèr nominando, vanitatem & impietatem suam satis produnt. Sabbatismos reponunt & ἀερμοσίας ἀποχὴν à suffocatis, & à sanguine: alios è Iudaismo ritus, ut non immeritò etiam de veteri Testamento denominationes muturentur, potiùs quàm de novo. Hinc Samueles, Isaacos, Abeles, Ezechieles, Elnathanas, &c. audies: rarò autem Petrũ, Paulum, Andream, Iohannem. Hinc ridiculè interdum Anglicas nomenclaturas imponunt, quales sunt *Gods-blessing*, & *in-defie*, *More-fruit*, *Merry-on high*, &c. Quis dubitat nomina tanta sequi? Quis non potiùs releget ad Antycyras, fanaticos Ardeliones? Longè alitèr prisci Christiani, ἀφ' ἧς πρὸς τοὺς ἀποστόλους ἔχουν τὰς κλήσεις τοῖς ἑαυτῶν ἐπιφέρουν παῖσι: propter suam in Apostolos propensionem, nomina

Pa. 229. *Edit. Ald.*

eorum

eorum liberis ſuis imponebant, quod è ſcriptis Dionyſii recitat Nicephorus, Lib. 6. cap. 22. Nec obſtat illud Nazianzeni Orat. 31. Καὶ τοι ἐ Πέτρῳ πιῶ. ἀλλ' ὐκ ἀχθω Πετρικὸς, ὐ Παύλῳ, Παυλιανὸς δὲ ὐκ ἤχθω. Non enim vult, nequaquam dicendos Petrum, Paulum, Chriſtianorum liberos: ſed non a Petro & Paulo, verùm a Chriſto, Chriſtianos profeſſione nominandos. Non vult ergo nomen proprietatis, ſed ſectæ & profeſſionis. Quod in tanto honore habebatur, ut apud veteres, Tertullianum imprimis, Nomen, indefinitè, ſignificet Chriſtianam religionem: & interdum Nomen veritatis. In quo iterum inſaniunt Novatores, qui ſe† Calviniſtas, Arminianos, Dominicanos dici malunt potiùs quam Chriſtianos. Atque hæc de nominibus, & nominum impoſitione dicta ſunto.

† Hos Tu mutatis, Adverſarii Reformatorum vocant Reformatos Calviniſtas, non Reformatos ſeipſos. Et quis major Reformator, qui Arminianiſmum 103 Jacobo Regi exoſiſſimum, cum Laudo induxit in Eccleſiam Anglicanam eo luſtri, de quo apud Fullerum in Hiſt. Eccl. Anglicanæ, et Tua libro, Appello Cæſarem, publice olim prohibito. De Idol. c. 16

A Domini ſcientiâ ſeparati ſunt Dies: ex ipſis quoſdam magnificavit Deus: et ex ipſis poſuit in numerum Dierum: Eccleſia. 32. Diem octavum a Nativitate circumcidendo infanti determinabat, quem nec prævenire quâvis occaſione, neque licebat ullatenus comperendinare. Habebant & Græci, Latinique dies certos & fixos, luſtrandis Infantibus & nominãdis. Romani *Nominalia* appellabant: Gloſſarium, nominalia, ὀνοματοθεσία: Et Tertullianus, inter privata & communia officia, Nominalium recitat ſolennitates. Frequentiùs verò *Luſtricus dies* appellabatur; qui fuit ſeptimus in femellis: octavus in maſculis. *Luſtrici dies infantium appellantur*, ait Paulus, Feſti mutilator, *puellarum octavus, puerorum nonus: quia his luſtrantur, at iis nomina imponuntur.* Et Suetonius in Nerone, cap. 6. *Ejuſdem futuræ infælicitatis (imò potiùs fælicitatis) ſignum evidens, die luſtrico fuit.* Explicat autem, quid intelligat per *Luſtricum diem*: *Nam Caius Cæſar roganti ſorori (Agrippinæ) ut infanti, quod vellet nomen imponeret, intuens Claudium Patruum, à quo mox principe, Nero adoptatus eſt, ejus ſe dare dixit.* Et Macrobius de deâ Nundina. *Eſt & Nundina Romanorum Dea, a nono die naſcentium nuncupata, qui Luſtricus dicitur. Eſt autem dies Luſtricus, quo infantes luſtrantur & nomen accipiunt: is maribus, nonus: octavus eſt fæminis.* Invitaſſe autem eo die ad *Epulum Nominale*, amicos & cognatos, è Capitolino obſervat, in primo Semeſtrium Petrus Faber: & poſt eum Caſaubonus, qui

illi pro

proNomina legit nominalia, rectè, omninò. Plutarchus in Quæst. Rom. VII. hujus consuetudinis rationes quasdam reddere conatur, satis infælices : Eum vide.

104 Græci ab eâdem notione Amphidromia appellabant. Est enim lustrare, circumire, circumferre, unde magnus Vates, *purâ circumtulit unda* : & notio nominis ἀμφιδρόμια idem sonat. Ἡμέρᾳ τῆς γενέσεως τοῖς νεογνοῖς παιδίοις, ait Harpocration, οἱ δὲ τὸ βρέφος περὶ τὴν ἑστίαν φέροντες κύκλῳ, ᾗ ἐπετίθεσαν αὐτῷ ὄνομα: ὅταν ἐκ τοῦ γένους οἰκείαν, ἢ φίλων δωρὰ ἐπέμπετο. Ait expressè, Nomina eodem die imponi solita. Negat Scaliger ad Festum, non eo die, sed decimo die à nativitate: rectè : nam hic dies erat decimus. Non affirmant hoc glossæ Græcorum apud Scaligerum (quæ non sunt aliæ, quam Hesychius) nam nulla mentio *decimi*, aut *noni*, aut cujuscunque diei : ut pronunciat Scaliger. Sed id affirmat expressè Harpocration : cui potiùs credendum, quam Scaligero, non probanti quod pronunciat. Suidas certè distinguit Amphidromia a Nominalibus, & illa, die quinto, Hæc autè decimo, celebrata narrat. Ἀμφιδρόμια ἦν παρὰ πᾶσιν ἄγνωστον ὅτι τοῖς βρέφεσι. οἱ δὲ ἐπικαθαίρονται τὰς χεῖρας, ἀπὸ σωματαφάλμης ἢ μαιώσεως ὃ βρέφος, περιφέροντες τὴν ἑστίαν, περέχοντες. Τῇ δεκάτῃ δὲ τὄνομα τίθενται. Epuli fercula, non dona missa, recitat Athenæus in 20. ex Eubulo : vel, vt in VIII. libro, rectius ex Ephippo.

105 Quemadmodum verò Deam Nundinam habebant Romani huic diei & solennitati præsidem, ita & Græci suum Deum ἀμφίδρομον : vel finxit saltem eum Æschylus in Semele, ut Hesychius prodit. Actionem certè illam ὀνομαθετικὴν, inter præcipuas celebrabant solennitates. Et mox εἰς φρατόρας, & tribules adscribendum referebant puerum : proprium nempè nomen tunc impositum : nam cognomina posteà ab occasione accedebant. Nomina autem familiæ, ut Corneliorum, Sulpitiorum, &c. apud Romanos, erant hæreditaria.

106 Christiani olim veteres in hoc ipso ritu variabant. Successit Baptismus Circumcisioni : sed non perinde nominum in Baptismo impositio successit illi in Circumcisione. Nam Iudæi, consuetudinem illam inviolatam observabant : quam non perinde tenebant Christiani. Nam baptizati apud Christianos, vel viri erant, vel infantes : &

illi

illi quidem vel converſi ad Chriſtum; vel de Chriſtianis geniti, qui tamen Baptiſmum differebant. Illi apud Eccleſiæ oſtium ſuſcepti ab Epiſcopo, vel Sacerdote, nomen rogati profitebantur: quod teſtatur in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ Dionyſius: quod acceptum à Sacerdote literis mandabatur, & in Eccleſiæ Diptychis conſervabatur non immutatum. Quam veteris Eccleſiæ conſuetudinem, optimo & utiliſſimo exemplo præeuntem ſecuti ſunt majores noſtri, qui nomina baptizatorum, parentum titulos, anni, menſis, diei additionem in Regiſteria quædam referenda cenſuerunt. Competentes vocabantur Catechumeni, qui nomina ſua ad Baptiſmum profitebantur. Hiſce vel non omninò, vel rarò admodum nomina nova in Baptiſmo imponebantur: præcipuè, ſi Clinici, hoc eſt, in extremis abluerentur: quemadmodum Conſtantinus (neſcio cur ab Aſſentatoribus ἰσαπόστολος appellatus) baptizabatur, qui nomen illud detulit in ſepulchrum Conſtantini, quo in Paganiſmo fuerat inſignitus. Sed nec Chriſtianorum liberi, etiam Sacerdotum, nomina in Baptiſmo ſortiebantur ſemper: nam Nazianzenus ille, ὁ μολὼν in Theologia, Chriſtianis parentibus ortus erat. Imò patre Epiſcopo naſcebatur, quemadmodum docet ipſe in vita ſua: ubi patrem ſe προσφάτως inducit, Plures ego annos Epiſcopatus mei numero, quàm tu vitæ tuæ. Ille ab ortu, Gregorius de patris ſui nomine dicebatur: qui tamen infans non baptizabatur. Imò jam exierat ex Ephebis, cum, quod narrat ipſe, vehementi marina tempeſtate jactatus, alii de temporali, ipſe de æternâ ſalute ſollicitus erat: quippe nondum baptizatus. Verùm in Romanâ, hoc eſt, Occidentali Eccleſiâ, ſolliciti magis erant de baptizandis infantibus: nec tam diù differebant: & conſtanter in baptiſmo imponebant nomina. Nam per ſacramentum illud regenerationis Deo mancipati, & illius militiæ adſcripti, nomina impoſita, in ſignum profeſſionis, recipiebant. Non tamen verum eſt, mutata in Baptiſmo fuiſſe nomina antea impoſita. Ambroſius enim, & Auguſtinus, inter alios, cùm jam adulti baptizarentur, non aſſumebant ſibi aliud nomen, ſed vetera illa ſua retinebant. Et Saulus qui fuerat in circumciſione, Saulus etiam poſtea

vocabatur, licèt rarò. Nam quod de Eunucho inſtant aliqui, qui & anteà, & poſt Baptiſmum vocabatur Eunuchus, ridiculum eſt: neque enim Eunuchus illi nomen erat perſonale, ſed conditionale & fortunæ: quemadmodum Centurionis nomen Cornelio fuit: qui fortè Iulius vocabatur, quod de alio Centurione conſtat. Sed de Nominis mutatione, accuratiùs adhuc diſpiciemus.

107 Nominum aliquando mutationes factas in ſacris Scripturis intelligimus; idque vel jubente Deo, aut hominum accedente conſenſu, vel de proprio hominis arbitrio contingere poteſt. De mutatis in Scripturâ nominibus, librũ ſanè eruditum & elegantem edidit Philo: in quo plura adducit hujus facti, in rem præſentem, exempla, orſus à magno Patriarchâ Abrahamo: qui primus omnium, Deo id jubente, nomen ſuum antiquum dereliquit Abram, & novum aſſumpſit Abraham. *Nec ultra vocabitur Nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham, quia patrem multarum Gentium conſtitui Te.* Ad eundem modum Iacobo dictum eſt, *Iſrael vocabitur Nomen Tuum.* Narrat Philo hanc factã nominis mutationem ludibrio & ſannis à profano quodam homine, exceptam. *Haud ita pridem,* inquit, *audivi impium & irreligioſum quendam virum, qui cavillando, & conviciosè deblaterando, auderet dicere, Magna verò, ampla & egregia ſunt merita, quæ Moyſes aſſerit, univerſitatis rectorem præbere. Huic unius Elementi,* A. *augmento & redundantiâ: Alteri rurſus adjectâ, & geminatâ litera* R. *mirum quantum viſus ſit beneficium contuliſſe: ſiquidem Abrahami conjugem Saram, nominavit Sarram, bis* R. *uſurpans. Hæc & hujuſmodi alia contexens, continentèr, & amarè ſimul jocans enarrabat. Atque is dignas certè veſaniæ ſuæ pœnas non multò poſt luit: quandoquidem levi de causâ ad reſtim venit.* At longè aliud, etiam de nudis literis Hebræi ſentiebant. *Dicunt Hebræi,* inquit Hieronymus, *quod de nomine ſuo Deus, quod apud illos Tetragrammaton eſt, He literam Abrahæ & Saræ addiderit. Dicebatur enim primò Abram, quod interpretatur Pater Excelſus: et poſtea vocatus eſt Abrahã, quod trãsfertur Pater Multarũ, nam quod ſequitur, Gentium, non habetur in nomine, ſed ſubauditur.* Sed nec adhuc videbitur aliquid eximium contuliſſe Deus, niſi & illud addatur, Hanc literam de ſuo nomine com-

De Nom. mut. pa. 815.

In trad. Hebr. in Gen.

communicari voluit Deus, cum nomine Abraham, primò quidem ut oſtenderet, non modò ſe bona ſua illi impertiturum, verum etiam *ſeipſum*. Adeò enim bonos diligit Deus, & in tantam evehit gloriæ poteſtatem, ut Divinæ quodammodo faciat conſortes naturæ. Litera autem *He* adjecta nomini Abrahæ, indicat ſingularem quandam, eximiamque datam ipſi Abrahæ prærogativam, fore aliquando, ut ipſemet Deus, ex ſemine Abrahami naſceretur: jamque tum præſignificabatur factum iri, quod factum admirabundus prædicavit Paulus: *Nuſquam Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. Atque hæc mutatio facta eſt, non poſt, non in, ſed ante Circumciſionem: ut ita intelligeretur, non propter Circumciſionem Abrahæ collatam eam prærogativam: ſed poſteaquam eo honore dignatus illum Deus fuerat, notam, ſigillum, & characterem Dei accepiſſe Circumciſionem. Proximus ab Abrahamo mutatum accepit à Deo nomen Iacob: & poſt illum Ioſeph à Pharaone, cum Dominus Ægypto conſtitueretur. Ioſue nomen mutavit Moyſes. Quos deinceps & alii eodem exemplo, ſecuti ſunt. Sed & in novo Teſtamento, nominum legimus mutationes. Nam qui Saulus erat, dicebatur Paulus: & ipſe ſe ſemper in Epiſtolis Paulum, nunquàm Saulum appellavit. Et Ioſephum è Cypro Levitam, Apoſtoli Barnabam vocavêre. Etiam ipſe Servator, non ſine myſterio, exemplum præivit diſcipulis ſuis. Marci enim 3. impoſuit Simoni nomen Petrus: & Iacobo Zebedæi, & Iohanni, fratri Iacobi, impoſuit nomina Boanarges, quod eſt, *Filii Tonitrui*. Quanquam nuſquam hoc nomine appellantur illi: at Simon, ſemper vocatur Petrus.

Quæri autem hoc in loco non ineptè ſolet, an liceat 108
hodiè, vel olim licuerit, Nomen Baptiſmale ſuum immutare cuicunque demùm Chriſtiano? Cujus quæſtionis ratio verſatur in illo, quod à multis, & olim legimus, & hodiè ſcimus factitatum. Nam Confirmationis Sacramento ſuſcepti: Religionis, ut appellant, profeſſionem ingreſſi: ad ſummum aſſumpti Pontificatum, vel ſemper, vel frequentiùs immutant nomina: & nobis vel titulis, vel appellationibus inſigniuntur. *Admonetur autem auditu*, Cyprianus ait, *ætas omnis, fieri poſſe, quod factum eſt*. Et cum

tot, & tales ac tantos uſurpaſſe, hunc morem intelligimus,
Philo. certè ἐμψυχοι δὲ λογικοὶ νόμοι ἄνδρες ἐκεῖνοι γεγόνασι. *Virum autem magnum ſequi, eſt penè ſapere.* Sit tamen hæc concluſio, apud me indubitata, nemini olim Iudæo licuiſſe, nomen Circumciſionis mutare: nulli hodiè, vel aliquando licuiſſe, aut licere Chriſtiano nomen mutare Baptiſmale. Dupliciter autem intelligi, ὃ *mutare* poteſt: Aſſumendo aliud: Abolendo & derelinquendo illud quod prius erat. Neque enim omnis mutatio apud Philoſophum eſt, εἰς ὃ ἀντικειμένως, ſed etiam εἰς ὃ μέταξυ. Per acceſſionem fit mutatio: ut in ætate, ſtaturâque humanâ, ubi manet quod erat: ſed accedit, quod non erat. Mutare licet nomen, aſſumendo aliud: mutare non licet nomen, derelinquendo illud, quod inditum fuerat in Baptiſmo. Hoc eſt enim Baptiſma, & profeſſionem quodammodo deſerere, abjurare, & in aliam familiam, clientelam, ac vitæ rationem tranſire. Sunt enim nomina ſigna, characteres, notæ, ἐκ ὑποκείμενα: ſigna dominii, & clientelæ; ab eo ſemper impoſita, qui jus, & titulum in rem nominatam acquiſierat: οἱ ἀρτιλφ, ἄρχοντες, Domini, reges, parentes liberis ſuis: ſubditis bello acquiſitis: ſervis pretio redemptis, nomina pro libito impoſuere. Neque licuit olim, aut etiamnum licet pietatem lædere, dominium refutare, imperium, & ſupremam poteſtatem contemnere, vel abnegare. Quod omninò fiet, ubi ſignum impoſitum, & impreſſum inconſultis, invitis, non annuentibus dominis ſaltem, non id agentibus immutatur.
Homil. 19. Eſt Nomen ὑπόμνημα, ut Chryſoſtomus loquitur, & quaſi depoſitum apud nominatum, derelictum, ipſius fidei, & curæ concreditum, & commiſſum, abſentis amici, domini, parentis, benemeriti: Hoc quoties revolvit, uſurpat ſermone, fando accipit, non poteſt fieri, quin memoriam ſubeat, amicitiæ, authoritatis, beneficentiæ recordatio: quam ſartam, tectam, & inviolatam, omni modo conſervare & tueri viri probi debent & Deo grati. ἀπὸ τῆς παραγραπτῶν καὶ ὀνόματος πίστεως, inquit Chryſoſtomus, ubi ſupra, τοῦτο δὲ ἐκ ἁπλῶς γίνεται, ἀλλ' ἵνα ἐν παρρησίαν ἔχωμεν ὑπόμνημα τῆς θεραπείας τοῦ θεοῦ· ἵνα μνήμην διηνεκῆ τῆς ὀνόματος ἀφθαρσίας, ἐπιλάβηται τοῖς ἀκούουσιν. Si ergo aliquis nomen illud magnum & auguſtum, noſtræ Profeſſionis, Chriſtianum,

anum, vellet abnegare, aut contemnere: & rem ipſam, nomine ſignificatam, hoc eſt, Chriſtianam profeſſionem, pietatem, cultum, religionem, eo ſuo facto depoſuiſſe is crederetur, & ad Paganiſmum, Iudaiſmum, Mahometaniſmum tranſiiſſe: eo enim nomine προσαγορευόμεθα καὶ ἐσμὲν τοῦ θεοῦ, ἐκ φίλοι, καὶ σῶμα reputamur, & nomine amiſſo, rem nomini ſubjectam deperdimus. Ita planè ſiquis nomen baptiſmale, ſignum fœderis, characterem imaginis tunc impreſſæ, notam profeſſionis, & ἐπίθεμα multorum beneficiorum, abjiciat, quantum in ipſo eſt, baptiſma irritum feciſſe, eidem abrenunciaſſe videtur. Ita enim olim ſub tyrannide Seleucidarum, Antiocho Epimane, (quod Polybio viſum, potiùs quàm Epiphane) in Iudæos crudeliſſimè ſæviente, qui ad paganiſmum, à cultu ſuo patrio tranſibant, nomina quoque mutabant, & qui Eli, Manaſſes. Ieſus fuerat, & dici voluit, & nominabatur Iaſon, Menelaus, Alcimus: quod docet Hiſtoria Maccabaica: quem morem & hodiè Apoſtatæ Chriſtiani, ad Mahometaniſmum tranſeuntes, ferè obſervant.

Poteſt tamen opponi, & veteres memoriæ, & recentioris uſus, ac conſuetudinis in contrarium allegatio. Chriſtus deinceps, ſub initio Euangelii, iiſdem inſiſtens veſtigiis pedagogiæ, nomina quibuſdam, etiam Circumciſionis, immutavit: quod & factum ab Apoſtolis, in Paulo, Barnabâ, & aliis ſcimus. Sed imprimis, non ſi & Deo licuit, etiam homini licebit, & Angelis. *Imperat Deus naturæ, non poſsibilitati obtemperat*, Ambroſius ait: *non menſuram colligit: non pondus examinat.* Et Zeno Veronenſi, appoſitè. *Solus Deus principium eſt, qui ex ſeipſo dedit ipſe ſibi principium. Solus ſui conſcius, quantus, qualis eſt: ſolus perfectus: quia non poteſt illi aliquid, nec addi, nec minui. Solus omnipotens, quia univerſa ex nihilo conſtituit: virtute regit: majeſtate conſervat: ſolus indemutabilis, ac ſemper æqualis in ſe, ætatem non admittens.* Fecit ergo quicquid voluit, & quemadmodum voluit, in cœlo, & in terrâ: αὐτοκρατορικῶς, & αὐτοκρατῶς prædituſ poteſtate. Domino licet mutare ſervis nomina: ſervo non licet, inconſulto Domino. Neque Deum imitari vel poſſumus, vel debemus, in illis quæ ſpectant ad *poteſtatem*, ſed quæ reſpiciunt *bonitatem*. Secundò, mutavit Deus

109

In Hexaem. 2

Serm. 1. de Gen.

nomina

nomina dupliciter: vel priora antiquando, vel poſteriora adjiciendo. Ita nomen Abram, & Sarai, abolevit. *Non vocaberis*, inquiens, *Abram: ſed Abraham erit tibi nomen: & Sarai, uxorem tuam, non vocabis Sarai ulteriùs, ſed Saram.* Erant autem hæc, non circumciſionis, ſed nativitatis nomina in circumciſione mutata: nec deinceps uſurpata. Non enim ab illo tempore Sarai, ſed Sara: non Abram, ſed Abraham appellabantur. Nomen Iacobi non abolevit: permanſit enim apud poſteritatem ab ipſo Domino, etiam ἀσυλέξει, & per Prophetas, ex inſpiratione, uſurpatum: vix autem Iſrael vocabatur ipſe, ſemper autem Iacob: cum poſteri, non Iacobitæ, ſed Iſraelitæ dicerentur: etiam poſtquam dictum ei à Domino fuerat Gen. 32. 28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael.* Atque iterum, Gen 35. 10. *Non vocaberis ultra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum.* Vel ut legit ex Hebræo Cajetanus, *Quod ſi Iſrael erit nomen tuum.* Ubi non minus videtur nomen illud circumciſionis, Iacob, abolitum: quam nomen nativitatis, Abram, abolebatur.

110 Ad hanc objectionem tollendam, ſufficeret reſponſio Auguſtini, ſi propriam, & Hiſtoricam adhibuiſſet, non autem figuratam, & Anagogicam. *Iterum Deus ei benedicit,* ait Auguſtinus, *& nomen Iſraelis iterum ei imponit. Quæ repetitio confirmat magnum promiſſum hoc nomine. Nam hoc mirum eſt, quibus ſemel dictum eſt, ampliùs eos non eſſe vocandos, hoc nomine, quo vocabantur, ſed novo nomine, quo eis imponebatur: eos non ampliùs veteri nomine, ſed novo appellatos: iſtum autem Patriarcham, & per vitam ſuam, & deinceps poſt vitam ſuam, appellatum eſſe Iacob, cui tamen non ſemel Deus dixerat, Non jam vocaberis Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Nimirum ergo nomen hoc, ad illam recte intelligitur pertinere promiſsionem, ubi ſic videbitur Deus, quomodo non eſt anteà patribus viſus, ubi non erit nomen vetus, quia nihil remanebit, vel in ipſo corpore, vetuſtatis, & Dei viſio, ſuum erit præmium.* Eſt ergo hæc Auguſtini expoſitio myſtica: & non hanc vitam, ſed futuram reſpiciens: nec tam ipſius Iacobi ſtatum præſentem, quàm poſterorum, futuram: atque illorum quidem, non ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum. Pererius ergo hiſtoricè reſpondet; *Iſrael vocaberis,*

Q. in Gen. 114.

hoc

hoc eſt, eris tu talis, qualem nomen illud indicat: addit autem, in Scripturis aliquando uſurpatum inveniri, ut dicatur, *Tu vocaberis*, cum tamen non eo nomine vocaretur, ſed res ipſa, nomine expreſſa, ei competeret, ut de Chriſto Servatore, ait Eſaias, *Vocabitur nomen ejus Emanuel*: cum tamen nuſquam eo nomine dictus reperiatur: ſed nomine eo, ſubjecta res ſignificata, ei competeret. Hoc quidem verum eſt: ſed ἀπροσδιόνυσον. Nam Iacob dictus Iſrael invenitur: & poſteri, ab illo nomine, Iſraelitæ, nuſquam Iacobitæ nominabantur. Quocirca, rectiùs reſpondent Cajetanus & Vatablus, eſſe orationem ellipticam, & ſubaudiendum, tantum: *Non vocaberis tantùm Iacob: ſed & Iſrael erit nomen tuum.* Quia non tantùm ut ſupplantator, contra homines, Eſavum puta, prævaluiſſet: ſed & cum Deo, benedictionem extorquendo. Neque obſtat illud *ultra*, quod urget Pererius: nam vox illa cum altera tantùm, ſtare poteſt ut ſenſus ſit, ulterius non vocaberis *tantum* Iacob, ſed & Iſrael erit nomen tuum.

Atque huc imprimis facit illa obſervatio, quam ex Riberâ reponit Pererius, per verba futuri temporis apud Hebræos, non tantum ἁπλῶς, τὸ μέλλον indicari, ſed τὸ πρέπον, quod congruum erat, & conveniens. Ut cum dicunt, *Filius honorabit patrem*, idem ſonat, ac ſi dictum fuiſſet, *Par, & æquum eſt, ut honoret.* Ita *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam*: hoc eſt, *Cuſtodire deberent.* Ita *Vocaberis Iſrael*, non aliud vult, *quàm dignus es, qui voceris Iſrael.* Atque ideo in Hebræo legitur, *Quod ſi Iſrael erit nomen tuum?* non autem, *Sed Iſrael erit nomen tuum.* Quod ſi nihil aliud, certè Dei ipſius interpretatio ſenſum confirmat, qui Iacobum deinceps & appellari paſſus eſt, & appellat ipſe, quod non fiebat in Abrahamo, nomen Circumciſionis, characterem, & ſignum profeſſionis, nec rejiciendum, neque rejectum aliquando, licèt additione, vel adauctum, vel explicatum. Et hoc ipſum deinceps in novo Teſtamento, conſtantèr obſervatum ſcimus. Neque Simon vocari deſiit, qui vocabatur Petrus: utcunque frequentiùs novo illo nomine inſigniatur. Et Paulus ipſe, licèt per Baptiſmum penitùs innovatus, non tamen reſpuit nomé Circumciſionis, Saul: nam & poſt Baptiſmum, ita appellatur: quod & ipſum in Barnaba obſervatur. Nec

111

112 Nec aliter obſervavi apud veteres Chriſtianos. Nomina illi ſemper Baptiſmalia retinuêre: quanquam non ſemper, quod notavimus, nomina ſibi nova in Baptiſmo imponebant: nec nomen aliquod baptizati aſſumebant: cum vel Chriſtianis, etiam Sacerdotibus & Epiſcopis nati, baptiſmum diù differre ſolerent: cum intereà tamen nominibus, etiam & cognominibus diſtinguerentur. Græci, quod notat longè eruditiſſimus Panvinius in doctiſſimo libello de nominibus Romanorum, unico nomine contenti erant: ut Platonis, Ariſtotelis, Demoſthenis, Miltiadis, Themiſtoclis, &c. Romani erant πολυώνυμοι: nam & nomine familiæ, ut Cornelii, Iulii, &c. dicebantur: & prænomine diſtinguebantur, Caii, Publii, Lucii dicti: & cognomine notabantur, Scipionis, Sullæ, Cæſaris: & agnomine adaucta honorabantur. Unde illud,

Martial. li. 2

Creta dedit magnum, majus dedit Africa nomen,
Scipio quodque auctor: quodque Metellus habet.

Nam Cretici titulo Metellus: & Africani, Scipio, à Cretâ ſubactâ, & Carthagine devictâ, Africâque ſubjugata dicebantur. Quæ deinceps ambitio, ad ridiculam interdum inſaniam proceſſit. Tranſiit hæc conſuetudo etiam in Chriſtianiſmum. In Occidentali Eccleſiâ, Nomina, Prænomina, Cognomina, etiam & Agnomina interdum habuêre. In Orientali Eccleſiâ, non extant quaſi Gentium & Familiarum Nomina: quædam interdum cognomina reperiuntur: variè indita, & diverſimodè diſtinguentia. Epiphanius, Baſilius, Cyrillus, Irenæus, Athenagoras, Tatianus, alii, monodici ſunt, nullis aliis nominibus, niſi forſan Epiſcopatus titulo, diſtincti. At nonnulli apud eos cognominibus leguntur inſigniti. Ita Dionyſium legimus Areopagitam, à profeſſione priori in Paganiſmo: erat enim Athenis, in Areopago, judex. Ignatius vocatur Theophorus, Iuſtinus Martyr, Origines Adamantius, Gregorius Theologus, Iohannes, & ante eum Severianus Gabalorum Epiſcopus, Chryſoſtomus, &c. In Eccleſiâ autem Occidentali, & Nomina, & Prænomina, & Agnomina inveniuntur, Lucius Cœlius, Lactantius Firmianus, Quintus Septimius, Florens, Tertullianus, Thaſcius, Cæcilius Cyprianus, &c.

Sed

Sed nec Græci omninò, nec vetustiores Latini, nomina mutâsse inveniuntur, vel in assumptione ad Episcopatum, vel ingressu & professione religionis, vel Sacramento Cõfirmationis suscipiendo. Quæ omnia secutis temporibus invaluêre. Itaque qui olim in Baptismo suscepto Iosephus vocabatur, professus in societate Iesu, Arthurus demum appellabitur, non Iosephus: quasi aliquam vitæ professionem Christianismo excellentiorem, & perfectiorem inveniisset: quasi Nomen dare societati, majori merito commendaretur, quàm Nomen dedisse Iesu Christo: *In eo sanè nimium sapientes, quòd se putant, Cœlo vel ipsi quandoque imperaturos*: quâ censurâ notantur, nec immeritò, à Papirio Massono, in vitâ Pauli quarti. Nomen porrò Baptismale depositum in professione, nunquam deinceps, quod sciam, assumunt: sed illo rejecto, & abrenunciato, professionis Nomini adhærescunt. 113

Mutatio Nominis in Romanis Pontificibus, tam solennis, ad annum abhinc sexcentesimum vix excurrit: Petrus enim Buccaporci, Albanus Episcopus, ad annum Christi Millesimum & nonum, Pontifex creatus, omnium primus, nomen suum mutavit: nescio quam ob causam. Nam Bucca porci, vel *os porci*, non erat nomen Baptismale, sed familiæ & Gentilitium. Frustrà ergo Massonus annotat: *Id nomen tam deforme & horrendum, non puto impositum fuisse puero, maximè tum Christianis temporibus: id enim impium & iniquum fuisset, alienumque à parentum voto, siquidem pulchra infantibus suis nomina imponunt.* Certè nec ego id putârim, quanquam tempora illa omni barbarie deformata erant; & non nimium Christiana. Sed quod dixi, Bucca porci, erat nomen Gentilitium: quippè de illâ familiâ oriundus erat. Petrus autem in Baptismate vocabatur: Petrus erat, & dicebatur, assumptus ad pontificatus honorem: Nomen autem Gentilitium, nihil ad Pontificis Nomen & titulum faciebat. Fortassis, quia Petrus vocabatur anteà, noluit in honorem Principis Apostoli, vocari Petrus: quam rationem retinuisse videntur successores: cum ad hunc usque diem, nullus, in Pontificum Albo, Petrus secundus usurpetur: cum tamen alii deinceps ante Pontificatum Petri dicerentur. 114

115 Quocirca nec prorſus conjuncta ſunt cum veritate, quæ profert idem Pap: Maſſonus, ex Annalibus Victorianis inſtitutum tunc, ut omnes, qui in reliquum tempus urbis Epiſcopi deſignarentur, in Conſecratione mutarent Nomina: ſed & ratio illius conſuetudinis inſtitutæ, ab illo triplex aſſignata, parùm quoque conſtat, quarum prima eſt, Quoniam Dominus B. Petro in Apoſtolum electo, novum nomen impoſuit. At hoc falſum eſt: Nam ante vocationem hoc inſinuavit: ante Electionem vocavit Petrũ. Secunda ratio fuit, Quia turpe eſt eum, qui ad tam decorum eligitur officium, ab aliquo nomine turpi, vel deformi & inhoneſto appellari. Sed futilis eſt. Non enim Buccaporci, ſed Petrus vocabatur: illud alterum familiæ fuit & Gentile. Tertia ratio, æquè futilis eſt; Quia ideo nomina mutari debent, eò quòd ad vitam perfectiorem aſſumantur. Sed imprimis, vita Pontificatus non eſt ſimplicitèr, & omnimodò perfectiſſima. Secundò, tum qui de vitâ Laicali, per ſacros ordines tranſeunt in Sacerdotium, nomina ſua deberent immutare; & quicunque cum Epiſcopatu Eccleſiis præficiuntur. Sed & priores Sergio pontifices, quique retrò, ad B. Petrum aſcendendo, ad eundem modum tenerentur: imprimis autem poſteri, ad illum obligarentur, quod nos ſcimus falſum eſſe, & fatetur in ſequentibus Papyrius ipſe, *Licèt aliquorum nomina fuerint immutata, non tamen omnium, nec hoc erat ex inſtitutione Generali.* Certè non erat. Nam patrum noſtrorum, vel avorum memoriâ, duo ſummi pontifices, viri optimi & doctiſſimi, nomina Baptiſmalia conſecrati retinuêre: Hadrianus Sextus, & Bellarmini avunculus Marcellus Secundus. Hic, cum Cardinales apud illum inſtarent, ut de more, ſibi nomen aliud aſſumere vellet, reſpondiſſe fertur: Marcellus eram: ero Marcellus: Nec nomen mutabit, neque mores meos pontificatus. Quocirca, probabilius judicaverim id quod à me poſitum eſt, Petrum illum Buccaporci, cum primus omnium poſt Simonem Barjonæ, ad Pontificatum electus, Petrus de nomine diceretur, nomen aliud aſſumpſiſſe, ne Petrus ſecundus diceretur: id nimirum tribuens, quod & cæteri obſervant, B. Petri dignitati, & Dominis celebritati, ut in nominis conſortium venire

noluerit

noluerit aut non audeat. Quanquam ſic aſſumpti ad pontificatum, non ita, opinor, immutant Nomen, ut abrogent illud Baptiſmale: ſed aliud aſſumant Profeſſionis.

116 De nomine mutando, vel aliquando immutato, in Sacramento Confirmationis, nulla occurrit, quod ego meminerim, authoritas, vel etiam mentio apud vetuſtiores: valdè etiam tenuis apud recentiores, inter ritus & ceremonias Confirmationis. In Concilio provinciali V. Mediolanenſi ſancitum legitur: Curet Epiſcopus & Parochus, ut qui turpe ridiculumvè nomen habet, neque planè conveniens Chriſtiano homini, illud mutet, ſumatq; in Confirmationis Sacramento nomen alicujus, qui veræ pietatis, ſanctæque religionis laude floruit. Ulterius progreſſi ſunt noſtri Legulei, & tantum non obliterant nomen Baptiſmale. Siquis enim in Baptiſmo Thomas dicatur, & progreſſu temporis ab Epiſcopo confirmandus, Iohannes nominetur, is per nomen hoc confirmationis terras ſibi & poſſeſſiones acquirere licitè poteſt. Quod, inquit Cocus in Comment: ad Littletonum, non ita pridem in Francisco Gawdy communium placitorum judice, vidimus verificatum. Baptizatur ille Thomas, confirmatus deinceps Franciſcus fuit. Quo deinceps nomine & non Baptiſmali, uſurpatur, eoq; ſe indigetabat: & per illud pacta, venditiones, emptiones tranſigebat: idque de conſilio omnium Iudicum in 36. Henrici VIII. Quod ab antiquo apud Legiſtas ita obtinuiſſe ſancitum, ut refert ille Cocus. In hoc ipſo, ut in multis, Novatores plane ſunt Cauſidici noſtri & Legulei. Sed de nomine ſatis in genere, tranſeo demũ in particulari, ad auguſtiſſimum, dulciſſimum, ſuaviſſimum Nomen Ieſu.

117 Multa, viri pietate & eruditione inſignes de ſuaviſſimo hoc Nomine in ſcriptis ſuis, tam Diegematicis, quam Exegeticis commentantur: ante alios autem bonus ille & pius Bernardus, plurifariam ſe diffundit in ſuis, de hoc mellito nomine, meditationibus. *Cum nomino Ieſum, hominem mihi propono mitem, humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordem, & omni ſanctitate conſpicuum: eundemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me exemplo ſanet, & roboret* *Serm. 15. in Cant.*

ret adjutorio. Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit Jesus. Quæ non ad hunc locum, aut nostrum pertinent institutum. Secundò, multi hoc eruditi, magna contentione proponunt, quod & Centuriatores observârunt, Nomen
111 istud Iesu, esse Nomen illud Dei *ineffabile*, ut Iudæi vocant, & Tetragrammaton, à quatuor literis, quibus exaratur, *Iod, He, Vau, He*, nempe Iehova. Quod docuit Galatinus, Lib 3. cap XX. Sed rectè rejicitur hæc opinio ab aliis, & imprimis à Sebast: Barradâ: principio, quod non iisdem literis scribantur, Nomen illud ineffabile, & Iesus. Illud enim, ut dixi, scribitur, per *Iod, He, Vau, He*: hoc autem per *Iod, Sem, Vau, Ain*. Secundo, diversissimam esse ait significationem. Nam Iehova vocem, Esse, vel Essentiam denotare: Nomen Iesum, non Essentiam, sed Salutem. Postremo, oriri illud à Verbo Substantivo Hajah, hoc est, esse; hoc à Iasach, quod salvare notat; quam nominis istius notationem probat testis omni exceptione major, Angelus, ubi reddit rationem ὀνοματοθεσίας. Frustrà est ergo, & λεπτολογεῖ Hosiander, qui pluribus disputat & contendit Nomen illud Iehova olim ineffabile, nunc tandem in Iesu factum effabile per insertionem literæ *Schin*: & illud indicâsse Euangelistam, dum pronunciat *Vocatum*, hoc est, voce prolatum in Nomine Iesu. Merum λεπτολόγημα, & tricivillitium! Vocatum Iesum certum est, & de divino mandato sic vocatum, redditâ per Angelum ratione, *Quoniam servabit populum à peccatis suis*, ut sit Dominus, salus nostra.

118 Nomina, ait Philosophus, quod jam dictum est, sunt Notæ rerum: quæ εἰς δήλωσιν, & εἰς διάγνωσιν, τῶν ὑποκειμένων χρημάτων: ait Iustinus Martyr, ad declarandas & distinguendas res nominibus subjectas & indicatas. Nec aliquid omninò extat in rerum naturâ, quin si nomen rectè impositum intelligatur, de naturâ ejusdem rei ratio probabilis reddi possit. Ita enim verè Gregor: Nyssenus, πᾶν ὃ ἐν τοῖς οὖσι νοήσῃς, εἰ μὲν τελείως ἔχῃ, ὅτῳ ἐστὶ κυρίως ἡ ὀνομασία, ἴσως λέγεις. Quod a Deo ab initio institutum, cum Adamo & facultatem & potestatem istam indulgeret, ab ipsomet præcisè observatur, quoties cœlitùs rebus nomina, vel hominibus attribueret. Ita enim reddit ipse rationem

nem, mutati in Abrahamo nominis, & Iacobo. Τί δ' ἄλλο τοῦτ' ἐστὶν, dicebat Euſebius, ἢ τὸν φόνον πεῖσαι τὰς ὀνομασίας. Eſt ergò Ieſous, ſalus, à haſcha, ſalvare. *Salvabit*, autem, non omnes, ſed populum ſuum: nimirum acquiſitionis populum: electos ſuos, pacto æternitatis, & Primogenitorum fœdere comprehenſos: modo quodam ſingulari: & ſalute non protritâ. Non à bello viſibili, nec gladio Barbarorum, Chryſoſtomus ait, ſed quod his longè majus eſt, à peccatis ſuis: quod præſtare nulli fuit homini aliquando poſſibile. Hoc nimirum, prædixerat Hoſeas, cap. 1. *Salvabo eos in Domino Deo ſuo: & non ſalvabo eos in arcu, & gladio: non in bello, in equis, & equitibus.* Rectè autem, in *Domino Deo ſuo*: nam quis à peccatis ſalvabit populum, præter Deum noſtrum?

Vocatum eſt ergo, nomen ejus Ieſus: magiſterio divino: humano miniſterio. Vocatum eſt enim ab iis, quibus erat hoc muneris delegatum: Ioſepho nimirum, & Mariâ, parentibus ejus. Nam ad Mariam, ait Angelus, *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Ieſum.* Delegatum ῥητῶς, hoc officium B. Virgini. Simili affatu, Ioſephum, in ſomnis, alloquitur Angelus, *Pariet filium, & vocabis nomen ejus Ieſum.* Quo indulto privilegio, Ioſephũ paternâ quâdam curâ, & authoritate inveſtitum ornat, cum, quod diximus, nominum impoſitio Dominiũ notet, & authoritatem. Ita enim qui venerat miniſtrare, atque ideò aſſumſerat formam ſervi, ſtatum ſervilem, & conditionem per omnia profeſſus, ſubjectionem admiſit, cum Domini ſervis: ut parentes liberis ſoleant nomina dare pro arbitratu. Quod autem vocatum erat a parentibus, de more, & conſuetudine generali, per alios acceptum, & propagatum, ad omnem poſteritatem derivabatur. 119

Porro nomen hoc cœlitus impoſitum puero, de more Iudæorum, Circumciſo, nomen novum dicitur, nec antea auditum apud mortales, cenſente Cyrillo Alexandrino. *Nomen novum*, ita ait, *verbo divino, eſt Ieſu, & concurrens cum carnis nativitate.* Et propheticum Oraculum aſtipulatur, Eſaiæ 62. Eſt autem ῥῆσις illa, quam indicat ille, Prophetica, hæc, verſ. 2. *Et videbunt Gentes Juſtum Tuum: & cuncti* 120 *Lib. 5. de Trin.*

cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Appoſitiſſimè ad eventum vaticinii: Nam à Domino impoſitum fuit nomen illud, nondum concepto infanti, per miniſterium internuncii Gabrielis. Nequaquam verò fuiſſe novum nomen ſunt qui contendunt, eò quod anteriores Chriſto Domino, aliqui in Scripturis, Ieſu nomine vocati inveniuntur. 2 Paralip. 31. 15. Ieſu quidam Levites, aut Sacerdos nominatur, unus inter alios, *Primitiis*, & *Decimis* diſtribuendis præpoſitus. Imprimis autem, & ante alios, duo maximè celebres, nimirum Ieſu filius Nave, qui Moyſis miniſter atque famulus, & ſucceſſor, Iſraeli ab ipſomet in poſſeſſionem introducto terram tributim dividebat. Et alter ab illo multis retro ſæculis poſterior, Ieſus filius Ioſedec Sacerdotis ſummi, inter Principes liberatæ captivitatis: & primus Pontifex in domo ſecundâ, poſt μετοικεσίαν. Ita minimè videtur, quod volunt tamen communi conſenſu Theologi, *Nomen novum*, Ieſu, cum fortaſſe plures, certè tres priores, eo nomine dicerentur.

121 Sed occurrit huic ſcrupulo Galatinus, vir in Hebraicis verſatiſſimus. Quanquam ſunt qui de plagio criminantur. Is, lib. 3. cap. 20. ita ait, *Nomine Ieſu, aliquos vocatos fuiſſe omninò nego. In hoc enim quamplurimi ex noſtris plurimùm falluntur, putantes eos hoc nomine fuiſſe appellatos: quod Hebraicarum literarum ignorantiâ proveniſſe certum.* Præcisè ergo negat, aliquem olim Ieſu nominatum: & annectit ſuperioribus, *Unuſquiſque enim eorum, quos hoc nomine Ieſu nuncupatos aſſerunt, non Ieſuah vocatus eſt, ſed Iehoſuah: quod non eſt idem nomen. Nam Ieſuah idem eſt quod ſalvator, ſalus, ſive ſalvatio. Iehoſuah vero, Deus ſalvabit, interpretatur: ut ipſo nomine pateſceret, quod ſalvare, nullius eorum intererat, ſed ſolius Dei.* Hæc Galatinus: de cujus ſententia ſi indubia eſſet, planè nomen novum erat, nomen Ieſu. Sed fallitur Galatinus. Nam quod dictum eſt, 2 Paralip. 31. 15. Ieſue quidam vocatus reperitur: & 1 Paralip. 24. Nona ſors Sacerdotum de familiâ Eleazari, per Davidem aſſignata, Ieſua erat. Et Ieſus Ioſedeci, ſummus Pontifex è captivitate redux, Hebraicè Ieſuah nominatur. 1 Eſd. cap. 3. & 5. Qui vir ab Aggæo: cap. 2. & Zachariâ, cap. 3. contemporaneis,

poraneis, Iesuah Hebraicè scribitur: quo nomine Iosua vocabatur filius Nun: ut inde omnino constare, & possit & debeat, pro uno eodemque, utrumque illud nomen usurpari. Nec injuria: cum *Salvator omnis, salus quæcunque, sit salus à Domino*: hoc est, Iesuah & Iehosuah.

Quocirca constare veritatem arbitramur, contra exceptionem Galatini, alios, fortè plurimos, sed certè aliquos Christo Domino priores Nomine illo Iesu nominatos: et tamen fuisse nomen novum. Primo respectu subjecti nominis Filii nimirum Dei Incarnati: Utcunque enim nomen nullum de Deo κυριολογίᾳ: cum sit incomprehensibilis, & ineffabilis Deitas: tamen ratione dispensationis suæ cum hominibus, ut illa οἰκονομία intellecta recolatur, πολυώνυμος in Scripturis, per ἀντιφρασιν, Deus noster & est, & intelligitur. Ab initio autem rerum, ab omni retrò antiquitate, nisi in hisce novissimis diebus, nunquam tali modo cum hominibus versabatur Deus: nunquam se patefecerat in carne Hypostaticâ subsistentem, ut esset reverà Emanuel, Deus nobiscum, Os de ossibus, Caro de carne humanâ: atque tam familiari modo, ad salutem procurandam appropinquaret: ut non immerito, novum hunc modum & mensuram salutis: novum actorem, & dispensatorem Redemptionis, novo nomine, cum nomina de naturâ suâ sint *notæ rerum*, expresserit Scriptura concurrente, ut Cyrillus loquitur, cum nativitate. Itaque eò quòd rem planè novam & inauditam, Dei nimirum Incarnationem, declarabat nomen Iesus: rectè nomen novum appellatur: cum ipsa illa Incarnatio *Novum in terris*, ut erat, per Ieremiam consignetur. *Creabit Dominus Novum super terram. Fœmina circumdabit virum.* 122

Secundo, erat nomen novum, utcunque præcedentibus temporibus usurpatum. *Omnia in figuris contingebant illis*, quod Apostolus ait: *sed figuris temporalibus promittebantur, & prænunciabantur æterna & ventura*, ait Augustinus. Illa familiaria, quotidiana: hæc erant aliena à communi sensu, itaque nova, atque inaudita. Quotiescunque igitur veteres illi typi adimplebantur, novum in terris faciebat Dominus: atque ita *nova nomina* usurpabantur: quoad literas, apices, syllabas minimè nova, sed antiqua: verum quoad 123

rem

rem, nomine ſignatam, nova. Erant autem uterque, tum Ioſua filius Nave, tum Ieſus filius Ioſedec, Chriſti venturi τὰ μυστήρια. De Ioſuâ ita Auguſtinus, Homil. 27. de verbis Apoſtoli, *Hoc placuit Deo, certi myſterii diſpenſationiſque gratia, quod ipſe in terram promiſsionis non introduceret populum. Eligitur alius, filius Nave: & iſte homo non hoc nomine vocabatur, ſed Ioſes. Cum ei introducendum populum Moyſes commenderet, vocavit eum & mutavit ei nomen, & appellavit eum Ieſum: ut non per Moyſen, ſed per Ieſum: id eſt, non per Legem, ſed per gratiam populus Dei in terrã promiſsionis intraret.* Atq; ita novũ nomẽ innotuit Ieſus: A ſummo cœlo egreſſio ejus: & occurſus ejus uſq; ad ſummũ ejus: ut in Nomine Ieſu flectatur omne genu Cœleſtiũ, Terreſtriũ, & Inferorũ.

124 Diſputant hic, & quærunt Interpretes, an nomen *Ieſu* ſit illud nomen ſuper omne nomen, de quo ſtatuit Apoſtolus ad Philip. 2. Plerique recentiores non admittunt nomen Ieſu eſſe illud nomen ſuper omne nomen. Mihi magis placet Origenis ſententia Homil. 1. in lib. Ioſua, *Eſt autem nomen, quod eſt ſuper omne nomen, Ieſus.* Quem Bernadus, & alii ſecuti ſunt. Nec obſtat, quod è Ianſenio in contrarium protulit Eſtius, loqui hoc in loco Apoſtolum de nomine aliquo donato poſt victoriam crucis, & reſurrectionis in Aſcenſione, cum nomen illud Ieſu, longè antè in Circumciſione donaretur: *Apices enim juris*, ut loquuntur, *non ſunt jura*. Neque enim conſtat de ullo nomine tunc impoſito: neque id ſtrictè in Apoſtolo urgendum eſt, eum velle, nomen aliquod tum ei impoſitum, quo antea non agnoſcebatur: ſed ad mentem, & ſententiam Apoſtoli reſpiciendum, quæ non eſt alia, quam illum dictum Ieſum in Condeſcenſione, potentèr declaratum

1 fuiſſe filium Dei per Reſurrectionem, & in Cœlos Aſcenſionem: ut ſit nomen ejus, *gloria ejus*, quemadmodum Chryſoſtomus interpretatur. *Dedit* ergo *illi Nomen*, non eſt aliud, quam dedit illi, ut nomen illud ipſius, quo vocabatur Ieſus, eſſet nomen ſuper omne nomen glorioſum: nomen humanitatis aſſumptæ, carnis interfectæ, ſervi exinaniti, Ieſus ultra omnes Angelos attolleretur. *Quo actu Naturæ noſtræ humilitas*, ait ſanctus Leo, *in Chriſto ſuper omnem cœli militiam, ſupra omnes ordines Angelorum, & ultra*

Homil. 2. de Aſcenſ.

omnem

omnem altitudinem poteſtatum, ad Dei Patris eſt provecta conſeſſum. Qui igitur erat verus homo, & verus Deus, τῇ σαρκὶ τὸ ὑψίστου ἐχαρίσατο ὄνομα, ait Athanaſius, Ὃ ὑπῆρ πᾶν ὄνομα, καὶ οὐχ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ κτίσει ἔλαβε, Ὃ καλεῖσθαι θεὸς, ἀλλ' ἡ σὰρξ αὐτῆς σὺν αὐτῷ ἐθεολογεῖτο. *Cum vero Nomen Ieſus eſſet Nomen Incarnati, & ſubjectum Nominis, ſervi forma Deus potenter declararetur, non eſt cur tantopere averſemur, Nomen Ieſu eſſe Nomen illud ſuper omne Nomen*: quod utcunque diù antea illi imponebatur, at tunc primum, tam potenter declarabatur, cum, aſcendens in altum, ad dextram Dei Patris conſideret. Certè ἀνακολουθία perinſignis eſſet, quod per Apoſtolum additum erat, Ut in nomine Ieſu flecteretur omne genu, Terreſtium, Cœleſtium, & Infernorum. Hoc eſt, ut illi Ieſu reverentiam omnimodam exhibeant, ſe ſubmittant, illum adorent, agnoſcentes illum hominem, qui Ieſu vocabatur, eſſe filium Dei.

Homil. 2. de Aſcenſ.

De Hum. Nat. ſuſcept.

Nomen ergo illud, *humanitatis aſſumptæ*, Ieſus, omni laudis præconio majus: ultra omnes omnium titulos & lemniſcos glorioſum, confecto formidoloſiſſimo bello, tot habet triumphos, quot terrarum oræ, cœlorum ſpatia, & inferorum extremitates. Ubique enim laureæ, & coronæ, expoliatis principatibus, & poteſtatibus, quas traduxit confidenter, palàm triumphans illas in *ſemetipſo*. Et ipſe, & caput corporis Eccleſiæ, principium, primogenitus ex mortuis: ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens: quia per eum complacuit reconciliare omnia in ipſum: pacificando per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris, ſive quæ in cœlis ſunt. *Quoniam autem per Chriſtum excellentiſſima gratia apparuit, totus orbis eum diligit: adoratur modò ab omni gente, quoniam ipſius eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium. Tanta eſt autem ejus gratia, ut multi, qui in eum non credunt: laudent eum; & propterea dicant, nolle ſe in eum credere, quia nemo, quæ jubet, implere poteſt: amatur ab omnibus, prædicatur ab omnibus*, ait Auguſt. in Pſal. 103. Quid tandem habent illi currus (de Romanorum veterum triumphis loquor) quod cum iſtius ſplendore comparari queat? quid vincti ducti ante currum duces? quid ſimulachra oppidorum? quid argentum, quid aurum Capitolio illatum? quid Legati in equis, & Tribuni? quid clamor militum,

125

Lego ἐν αὐτῷ. non ἐν αὐτῶ. h. e. cruce.

& ἐνδημιουργοὶ? quid tota denique illa pompa, & pomparum fercula laureata? Ὅταν ἐκ νεκρῶν ἀνέρχηται ὁ Χριστὸς, καὶ ἀνέβη πρὸς τὸν
Iust. Mart. ὑψηλὸν καλθόνται οἱ ἐν τοῖς ὑψηλοῖς ὑπὸ τῦ Θεῦ τεταγμένοι Ἄγγελοι, ἀνοίξατε τὰς πύλας τῶν ὑψηλῶν: scilicet illa Μακελευσμῷ, *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.*

126 Quocirca ex intuitu personæ tam illustris, tam excellenti modo, ultra omnes Angelorum Hierarchias, Thronos, Principatus, Potestates; Cherubin, Seraphin, quodcunque nomen, in cœlis, aut terris nominatum: quicquid est ubique quo Reverentia, subjectio, obedientia, honos habeatur, illius meritis & dignitati: illius personæ debetur, exhibendus est honos, atque cultus. Erant, quod apparet è
De penit. c. 5 Tertulliano, qui dicerent olim, *Satis Deum habere, si corde & animo suspiciatur, licet actu minus fiat.* Et sunt apud nos etiamnum, qui cum *spirituales* ipsorummet opinione sint, & ultra omnem mortalitatis conditionem tantum non elevati, in colendo *Deo* nihil corporale admittent, omnia sub spiritu & intellectu, acsi cum Angelis versarentur redigunt. Gestus, ritus, ceremonias omnes, in cultu divino abrogatas volunt: & certè, quod ipsos attinet eliminant quàm longissimè: sedentes ergo, vel stantes, fortè ambulantes, sacram participant Synaxin: nam de geniculis vel adorare, vel communicare, superstitionem, papismum, idololatriam redolet. Homines ad amussim exasciatos, & undiquaque perfectione consummatos! sed *ista ingenia, de semine Hypocritarum pullulare consueverunt*, ait ibidem Tertullianus. Scimus & nos Deum Spiritum esse, & spiritu recolendum. Sed intereà scimus, Deum per condescensionem se ad nostras infirmitates accommodare: atq; ideo nobiscum velut balbutire interdum, nostræ se infantiæ insinuando: velle etiam, ut nosmet nos, quantum possumus, ad ipsius perfectiones elevemus. Quod quia τῷ ἀδυνάτῳ τι, dum carne hâc mortali circundamur, is qui dixit, *Fili da cor*, etiam propalavit, *Mihi flectetur omne genu.* Oportet omni tempore, & omni loco memores legis incedere, paratos, & instructos ad omnem Dei mentionem. *Qui si fuerit in pectore, cognoscetur, & in capite*, ait Tertullianus: cujus quoque phrases illæ sunt, *De geniculis adorare:*

geni-

geniculationibus, & jejuniis ſiccitates depellere. Et eodem ſenſu Chryſoſtomus dixit, τῆς γονάτων κάμψεως λειμένων ὅτι τὴν ἀγροικίαν πλανώμεθα. Quo ſigno veluti proteſtabantur, & apud Dominum profitebantur, omnem ſe fiduciam propriæ virtutis, & fortitudinis abrenunciare: ſunt enim *genua*, & dicuntur *viri fortiſsimi*, Eccleſiaſt. 12. *In Pſal. 4.*

Hinc factum, ut de conſuetudine univerſali, Reges, & 127
ſummo in honore poſitos, genibus poſitis ad terram, vel inflexis adorarent. *Quoniam Alexandrum gentes genu poſito non adorarunt*: ait Seneca pater, Declam. IX. Erat autem conſuetudo à temporibus antiquiſſimis uſurpata. Animadvertere quippe licet, inter honorum inſignia, decora, & ornamenta, quibus homines maximè honorari, & decorari ſolebant, *genuflexionem* uſurpatam. Gen. 41. legimus ſanctum Ioſeph fuiſſe honoratum a Pharaone, anulo regio, ſtolâ Byſſinâ, torque aureo, curru regio ſecundo, & ut, clamante præcone, omnes ante eum *genu flecterent*. Quem morem & apud Perſas obtinuiſſe, conſtat è prophanis authoribus, & ſacrâ Eſtheris hiſtoriâ, cap. 3. Quibus enim Deus, titulos, & elogia ſua communicavit, *Ego dixi Dii eſtis*, quidnî & elogiorum inſignia, & ornamenta impertivit? Quocirca, rectè in exaltatione Ieſu Chriſti, ſuper omne nomen nominatum, illud etiam elogium uſurpatur, ut in nomine Ieſu curvetur omne genu, Cœleſtium, Terreſtrium, & Infernorum.

Hoc non alio ſenſu, quam literali intellectum, populo 128
Chriſtiano commendat Eccleſia: ita ut quoties, loco præſertim ſancto, actione ſacrâ, nomen illud auguſtiſsimum, de lectoris ore, ad aures audientium pervenerit, ſtatim, in ſignum humilitatis, ſubjectionis, obedientiæ, inclinato ad προσκύνησιν corpore, genua ſua incurvent, & Dominum profiteantur. Quod veteris Eccleſiæ inſtitutum, uſurpat per Parochias Eccleſia Anglicana, & ringentibus, atque obloquentibus Sectariis & Puritanis, lege latâ Eccleſiaſtica accuratè propugnat & tuetur. Can. etenim XVIII. ſancitum legimus in hæc verba. *Atque etiam, quoties in ſacrâ Liturgiâ, Dominus Ieſus, ut ſit commemoratione nominetur, debita & humilis reverentia, ab omnibus tum præſentibus exhibeatur, quod de veteri conſuetudine obtinuit per externas illas ce-*

remonias, & geſtus, atque habitus corporales, præſe ferant, & teſtificentur, internam humilitatem, Chriſtianam perſuaſionem fixam, & firmatam, debitam etiam profeſsionem, eſſe Dominum Ieſum verum & æternum Dei filium, unicum mundi Servatorem: in quo ſolo, miſericordiæ, gratiæ, promiſſa divina humano generi univerſo facta, cum de hâc præſenti, tum de futurâ vitâ, plenariè, & totaliter comprehenduntur. Atque hactenus de Nomine Ieſu.

129 Cum itaque in Circumciſione nomen impoſitum accepiſſet, cenſu Cæſaris deſcriptus eſt. Ita verè arbitratur Illuſtriſſimus Baronius: & ſecundum mentem ſcripturæ ſacræ, non modo Virginis & Ioſephi, ſed & Infantis etiam nomen, tabulis erat inſcriptum Cenſualibus. Ideo enim, occultiore quodam modo, diſponente divinâ providentiâ, exierat edictum ab Auguſto Cæſare, de *univerſo Romano orbe deſcribendo*, ut ſic, relatâ, in Tabulas Cenſuales, & in Capitolio depoſitas, illa apographe, certiſſimis conſtaret Teſtimoniis (publica enim inſtrumenta ſunt ἀναντίρρητα) talem olim Ieſum, nimirum filium Mariæ, de domo & familiâ David, tali anno, menſe, die, editum in lucem Bethleemi, *pendentibus adhuc*, ut ait Tertullianus, *recentibus Auguſtianis cenſibus*: hoc eſt, nondum finito cenſu, & profeſſione, apud quos, genus ejus inquirere poſſent, qui deinceps oblaturi eſſent Incarnationi, eamque qua poſſent profligaturi, Hæreticorum filii. Quocirca doctiſſimus ille idem pater, Cenſum Auguſti, teſtem fideliſſimum Dominicæ Nativitatis, Romana archiva cuſtodire dixit. Non id opinor dicturus, niſi ſuiſmet ipſe oculis illa archiva luſtraſſet, & manibus tractaſſet, quod benè illi licuit, cum juris olim prudentiam, ante ſacros ordines, in illâ urbe profiteretur: & per illa tempora in vivis eſſet, quibus adhuc illæ tabulæ Cenſuales, in Romanis archivis cuſtodirentur. Ad quas, nullo quidem modo, aut voluit, aut potuit provocare, niſi compertum habuiſſet, nomen Ieſu, Filii Mariæ, de domo David, in illis tabulis deſcriptum contineri: & tempus nativitatis iiſdem conſignatum. Citat autem iſtas tabulas Cenſuales, & Archiva Romana frequentèr Tertullianus, eò quod negotium illi intercedebat, cum profanis, impiis impoſtoribus, Marcione, &

Docitarum

Docitarum natione: qui veram Ieſu Chriſti ἀνθρωπότητα, omnibus machinis oppugnabant. Marcion imprimis, eò quòd divino Euangeliſtæ teſtimonio premeretur, illam Cyrenii ἀπογραφὴν, de ſacris illis ſcriptis deleverat. De quo, nequiſſimi Hæreticorum, flagitio, capiendum eſt illud ejuſdē Patris pronunciatū, *Auſer hinc moleſtos Cæſaris cenſus.* *Cap. 2. de car. Chriſti.*

Totam porrò iſtam de Chriſto Domino in lucem edito, & circumciſo, de more & lege Iudaicis, hiſtoriam: & Cæſareo Romanorum Cenſu, Pauli Oroſii verbis, nobiliſſimi rerum noſtrarum Hiſtorici concludam, quibus ille librum ſuum ſextum explicuit. *Eodem tempore, eodemque anno, quo firmiſſimam, veriſſimamque pacem, ordinatione Dei, Cæſar compoſuit, natus eſt Chriſtus. Cujus adventum pax illa famulata eſt: in cujus ortu, audientibus hominibus, Angeli cecinerant, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eoque tempore, hic, ad quem rerum ſumma omnium, concedente Deo, fuerat devoluta, Dominum ſe bonum appellari non eſt paſſus, imò nec auſus: quòniam verus Dominus totius humani generis, inter homines natus eſt. Eodem etiam anno, tunc primum idem Cæſar, quem his tantis miniſteriis præſignaverat Deus, Cenſum agi ſingularum ubique provinciarum, & cenſeri, omnes homines juſſit: quoniam Deus homo, & dici, & eſſe, dignatus eſt. Quamprimum igitur natus eſt Chriſtus, Romano Cenſui aſcriptus eſt. Et hæc eſt prima illa, clariſſimaque profeſsio, quæ Cæſarem omnium principem: Romanos, rerum Dominos, ſigillatim cunctorum hominum, editâ deſcriptione ſignavit. In quâ, ſe & ipſe qui cunctos homines fecit, inveniri hominem, aſcribiq; inter homines voluit: quod penitus nunquam ab urbe conditâ, atq; ab exordio generis humani in hoc mundo, nec Babylonico, nec Macedonico, nedum minori cuiquā regno conceſſum fuit. Nec dubiū, quin omnium inſpectioni, fidei, cognitioni pateat, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, hanc urbem, vultu ſuo, & authoritate defenſam, in hunc rerum apicem provexerit, cujus potiſſimè voluit eſſe, cum venit, dicendus Civis, Romani Cenſus profeſsione.* 130

Prætereūi non debet in Hiſtoriâ ſacrâ, ſingularis illa, & eximia Illuſtriſſimi Baronii, ad annum primum, de hoc Chriſti Domini opere Cardinali obſervatio. *Qui in hunc mundum,* inquit ille, *venit, ut diſſolvat opera diaboli, ipſas Calendas Januarias, prè cæteris anni diebus, Gentilium ſuperſtitio-* 131

nibus

nibus pollutas fuſo ſanguine conſecravit: ſibique ipſas primitias temporis, diaboli tyrannide occupatas, primitiis ſui ſanguinis vindicavit. Quod myſterium, Symbolicis quibuſdam verbis olim in-
Eſaie 11. *volverat Eſaias, cum diceret delectabitur Infans ab ubere ſuper foramine aſpidis.* Cujus ſuæ expoſitionis & applicationis prophetiæ authorem aliquem vellem laudaſſet nobis vir eruditus: certè eò faciliùs in ſententiam & libentiùs deſcenderemus, quanquam planè ut videtur, ἀπροσδιόνυσῳ. Allegoricè reſpondet Bulengerus, ad Caſauboni exceptionem, referri poſſe locum illum Prophetæ ad diem Circumciſionis Chriſti. Certè fortaſſis: ſed novâ, inauditâ, & portentosâ quadam allegoriâ. Nam quid commune habet, *foramen aſpidis*, cum calendis Ianuariis, primo die novi & incipientis anni? Ridiculum eſt enim, quod in rem affert Bulengerus, Quaſi dixerit Propheta, *Diem primum anni ineuntis nefaſtum ſanguine ſuo puriſſimo expiabit Infans. Vt enim è foramine aſpis, ita ex hoc anni initio omnes veterum profani ritus exibant.* Et cur non æquè de ferarum luſtris: de foraminibus vulpecularum: de cavernis draconum: nidis corvorum? Si hoc non ſit ludere, & ineptire, neſcio quid ſit. Tacuiſſet de vaticinio, ejuſdemque applicatione Baronius, cætera παυδρόμως amplectimur: de ritibus impuris Paganorum, ſacratiſſimis Chriſtianorum obſequiis & ſolennitatibus permutatis.

132 Dies quoſdam, ſpeciali quâdam religione Romani, ut cæteræ ferè omnes gentes, obſervabant: & quidem ſuperſtitioſiùs. Hoc, ἀισιοδαιμονεῖν τὰς ἡμέρας appellant: quod in Galathis reprehendit Paulus, IIII. X. *Dies obſervatis, & menſis, & tempora, & annos. Timeo vos, ne fortè ſine causâ laboraverim in vobis.* De quorum dierum, & temporum ſuperſtitiosâ obſervantiâ, Ambroſius. *Diem Sol facit: menſem, curſus Lunæ. Tempora verò ſunt Ver, Æſtas, Autumnus, Hyems; Quatuor hæc, completo numero proprio, faciunt annum. Dies ergo obſervant, qui dicunt, ut puta, Craſtino proficiſcendum non eſt: poſt craſtinum enim non debet aliquid inchoari, & ſic ſolent magis decipi.* Ejuſmodi dies erant nefaſti: ἀνεξόδιοι: ἀποφράδες: Poſtridiè Calendarum infauſtus dies erat. Nundinæ vel Novendiales dies, inauſpicatæ rebus incipiendis vel gerendis. *Numquam noctem intermiſit*, ait de Tacito Vopiſcus,

piscus, quâ non aliquid, vel scriberet, vel legeret, præter posterum Calendarum. Quâ vanitate tenebatur Augustus Cæsar. *Observabat & dies quosdam, ne aut postridiè Nundinas quoquam proficisceretur: aut Nonis, quicquam rei seriæ inchoaret.* Et de Romanis in genere ait Dio, eos ab antiquissimâ consuetudine, si dies novendialium, in Calendas Ianuarii incidisset, unius diei extraordinariâ intercalatione (quem ille vocat τὴν τὰ καθαρσικὰ ἐμβόλιμον) anticipasse, ne dies ille omnium festivissimus, omine infausto fædaretur. Prosequitur Ambrosius, loco quo supra. *Hi autem colunt menses, qui cursus Lunæ perscrutantur: dicentes, ut puta, septimâ Luna, strumenta confici non debent. Nona iterum Luna servum emptum, ut puta, domum duci non oportet. Et per hæc faciliùs solent aduersa provenire. Tempora verò sic observant, cum dicunt, hodiè Veris initium est: festivitas est: post cras Vulcanalia sunt: & talia iterum aiunt, Posterum est: domum egredi non licet.* Has autem superstitiones observabant, cum in negotiis obeundis, tum in religione procurandâ. *Sueton. c. 92.* *Lib. 47.*

Inter dierum solennium δεισιδαιμονεστάτους ritus, & obser- 133
vationes, Calendarum imprimis sanctitas habebatur. Calendæ omnes sacræ habebantur: hoc est, ut Græci & Iudæi appellabant, Neomeniæ: de quibus Hieronymus ad Saniam, & Tritillam. Neomenias non habent Latini, ut nec Græci, Calendas. Neomenia, mensis exordium est, quod nos secundum linguæ Latinæ proprietatem, Calendas possumus dicere. Neomeniæ, vel Novilunia Hebræis solennia erant: quod è sacris literis constat. Indicere autem illam solennitatem, tubæ clangore solebant: Psal. 82. Et Philo alicubi, τὴν ἱερομηνίαν, ἣν σάλπιγξιν ἐκκαινοτομοῦσιν. Quem à Iudæis morem derivatum, ut pleraque in sacris alia, Pagani usurparunt.

Calendas porrò omnes Iunoni dicabant generali quadam notione Romani: hinc Ovidius: 134

Excipit Ausonias Iunonis cura Calendas.

Sed interdum ad partes alii accedebant. Martiæ Calendæ Matronis specialiùs dicabantur: & per eum diem agebantur Matronalia. Unde fœmineæ Calendæ Iuvenali dicuntur hoc versu,

Munera

Munera fœmineis tractas secreta Calendis.

Iuliis Calendis, in alias ædes commigrabant, quicunque μετώκεσαν. Plurimis autem nominibus, Calendæ Ianuariæ apud Romanos præsertim præferebantur. *Quia Calendis Ianuariis novus est annus: ut Iani illius recolant memoriam*, ait Ambrosius in 4. ad Galatas, *Bifrontis illa superstitione utuntur, quæ longè debet esse â servis Dei.* Et Prudentius:

——Iano etiam celebri, de mense litatur
Auspiciis, epulisque sacris, quas inveterato,
Heu miseri, sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Calendarum.——

Fausts ominibus: bonis verbis: precationibus fælicibus: strenis & muneribus se invitabant: Plin. lib. 28. cap. 2. Primum anni incipientis diem lætis precationibus invicem faustum ominantur. Et Ovid. 1. Fastorum ad Ianum:

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis,
Et damus alternas, accipimusque preces.

Lucian. in ψευδολογίστ. Ἡ μὲν ἡ τοῦ ἔτους ἀρχὴ, ἐν ᾗ (1) Ῥωμαῖοι καί τι ἀρχαῖον ἐνέχονταί τε αὐτοὶ γὰρ ἅπαντα τοῦ ἔτους θυσίας ποιοῦσι, καὶ φύσει Νόμα τοῦ βασιλέως καταστησαμένου τὰς ἱερουργίας αὐτοῖς, καὶ πεπιστεύκασι τοὺς θεοὺς, ἐν ἐκείνῃ μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ χρηματίζειν τοῖς εὐχομένοις. De strenis & muneribus nota sunt omnia. Ταύτης δὲ τῆς ἑορτῆς πομπεύουσι, ait Herodianus, ἐν ᾗ μάλιστα Ῥωμαῖοι δεξιοῦνται τε ἀλλήλους, καὶ προσαγορεύουσι νομισμάτων τε ἀντιδόσει, καὶ κοινωνίᾳ τῆς γῆς καὶ θαλάττης καλῶς εὐφημοῦσι αὐτούς. Qui mos laudatus, sed alio fine & intentione apud Christianos, nos saltem Anglos, ab antiquissimâ memoriâ obtinet. Nam & populus se invicem, primo anni incipientis die, novi anni initio, ut loquuntur, muneribus missis invitant, & una cum muneribus faustum & fælicem annum apprecantur. (Quam tamen consuetudinem, ut pleraſque alias, olim ad faciendum populum usurpatas, Puritani allatrant, & de vitâ communi, ubi possunt obtinere, excusserunt.) & Barones regni, qui appellantur, singuli crumenâ & aureis quibusdam nummis donant Regem, qui singulos vicissim, singulis argenteis scyphis inauratis re-

donat.

donat. Quam conſuetudinem Auguſtum introduxiſſe in Romana Rep. volunt. Stipem enim, quam ſic dicebant, populus viritim Imperatori, per Calendas Ianuarias donabat. Lapis, apud Fulvium Vrſinum, Laribus publicis ſacrum. *Imper: Cæſar Divi F. Auguſtus Pontifex Maximus Tribunic. poteſtat.* XVIII. *ex ſtipe, quam populus ei contulit K. Ianauriis Abſenti. C. Calviſio Sabino. L. Paßieno Ruſo Coſſ.*

In Calendas Ianuarias antiqui Patres vehementius in- 135
vehebantur, non propter iſtas miſſitationes ad invicem, & mutui amoris pignora: ſed propter diem Idolis dicatum: propter ritus quoſdam profanos & ſacrilegos in illâ ſolennitate adhibitos. Tom. 5. operum Chryſoſt. pa. 220. Titulus Orationis eſt, μὴ τὰς Καλάνδας τῇ ἑξῆς τὴν Ἀντιοχείαν λεχθεὶς &c. *Oratio habita Antiochiæ, poſtridie Calendarum, contra ebrioſos, & cauponas, ingredientes: & choreas per urbem ducentes: qualia per illos dies frequentabant.* Quem diem ἑορτὴν ille appellat ἀγαθολικὴν. In Concil. Trulliano, Canone LXII. Τὰς ὕπω λεγομένας Καλένδας, καθάπαξ ἐκ τῆς πίστων πολιτείας ἐξαιρεθῆναι βουλόμεθα, *Calendas, quæ vocantur: & quæ dicuntur vota, & Brumalia quæ appellantur, & qui in primo Martii menſis die fit, Conventum ex Fidelium civitate omninò tolle volumus. Sed & publicas mulierum ſaltationes* (erant hæc quæ ſequuntur, illius Feſti σεμνεῖα, unde deteſtabantur illud Patres) *multam noxam exitiumque afferentes: quinetiam eas, quæ nomine eorum, qui falsò apud Græcos, Dii nominati ſunt, vel nomine virorum, ac mulierum fiunt ſaltationes, ac myſteria, more antiquo, & à vitâ Chriſtianorum alieno, amandamus, & expellimus: ſtatuentes, ut nullus vir deinceps muliebri veſte induatur, vel mulier veſte viro conveniente. Sed neque Comicas, vel Satyricas, vel Tragicas perſonas induat: neque execrandi Bacchi nomen, uvam in torcularibus exprimentes, invocent: neque vinum in doliis effundentes, riſum moveant, ignorantia, vel vanitate ea, quæ à dæmonis impoſturâ procedunt, exercentes.* Hæc erant illa Paganorum ludicra, impia, profana, per Calendarum ſolennitates procurata, quæ (quod apparet) in Chriſtianorum mores, & uſum ſe inſinuaverant; ut non immeritò, tam vehementer in Calendas Ianuarii, ſancti Patres invehantur.

136 Ridiculus ad hunc Canonem Interpres Balsamon, Calendæ dicuntur, inquiens, decem primi dies mensis: Nonæ secundi: Idus tertii. Rectius Zonaras, Καλανδαί εἰσιν αἱ πρῶται ἑκάστου μηνὸς ἡμέραι. Magis adhuc ridiculus in causâ nominis indagandâ. *Sic appellatæ sunt Calendæ à tribus prudentissimis Romanis, qui Romanos à malo famis eripuerunt. Mos ergò erat apud Romanos, in eorum memoriam, Festum paulò Gentilius celebrare, & quædam indecora facere. Quod etiam hucusque à quibusdam fit Circulatoribus, primis Ianuarii mensis diebus: non quidem eo fine quo Romani Calendas observabant, sed eò quod Luna tunc temporis renovetur: & ejus fundamentum ab hujus mensis principio statuatur: & quod existiment se lætè ac jucundè totum annum transacturos, si in ejus principio festum celebraverint.* Hæc Balsamon, ab omni ratione pleraque aliena. De Noviluniis autem extat & alter Canon, huc quoque spectans in eodem Concilio, *Qui in Noviluniis à quibusdam, ante suas officinas, & domos accenduntur, rogos, supra quos etiam antiquâ quadam consuetudine salire ineptè, & delirè solent, jubemus deinceps cessare.* Quos nos Angli *Bonefires* appellamus, & in publicâ lætitiâ & gaudiis adhibemus, non obstante isto Canone.

137 Extat autem inter sermones Beati Maximi Taurinensis Homilia inscripta, *In Circumcisione Domini*, sive, *de Calendis Ianuarii increpatio*: quæ B. Ambrosio quoque ascribitur: quam qui totam hanc rem illustrant, & dignissimã indicem, quæ ubique, si fieri posset, legatur, huc transcribendam duxi. *Quanquam non dubitem, vos charissimi, per paternam solicitudinem instructione Divini sermonis edoctos, universas Calendarum supervenientium vanitates declinare penitus & horrere. Ad perfectioris tamen emendationis augmentum, non me piguit usitatum vestris auribus inferre sermonem. Necessarium, nec superfluum reor, si pro commonitione sanctâ dudum habitâ, præcedentium patrum vobis repetantur alloquia. Et revera quid fastidii, quid oneris habet pro salutis profectu, utilia ac Deo placita sæpe dicere: frequenter audire? Et ideò fide ac devotione solitâ, religiosi itineris vias, ac veritatis semitas gradientes, magis magisque errorum devia ac diabolica calcate figmenta. Nec enim debet fidelis anima, quæ Angelorum consortia concupiscit, Dæmoniorum lusibus delectari. Neque vero*

luci

luci ac tenebris: veritati atque mendacio: turpitudini ac honestati apud Dei servos ulla potest esse communio, sicut nos Ecclesiarum doctor instruit.

Quicunque ergo credentium, vel est templum Dei, vel esse 138
desiderat, sollicitè caveat, ne mortua ac vana sectando desinens esse templum Dei, fiat habitatio tenebrarum, fiat Dæmonis monumentum. Ait gloriosissimus Propheta David, Beatus vir cujus est Nomen Domini spes ipsius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas. Itaque qui sperat in Deum, ac toto corde in ejus gloriam luminum suorum defigit aspectum, ad insanissimas vanitates, consecratos semel Deos, non debet oculos retorquere: qui, ut ait Dominus, nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Omnis enim arans si retrò respiciat, aut tortuosum & inutilem faciet sulcum, aut arantum boum suorum vestigia vulnerabit. Ita ut qui directo tramite, & spirituali vomere vitia mundana persulcans incedit ad Dei regnum, si aspectum suum ad impia & vana converterit, & juges suos, hoc est, corpus atque animam vulnerabit, & optimi itineris periculosum incurret errorem. Et non respexit, inquit, in vanitates & insanias falsas. Quomodo beatus David falsas insanias dicit? cum verè insaniant, qui rejecto retrorsum timore Dei, ad dæmonum respiciunt vanitates. Sed vir fidelis, propriè naturam impiæ falsitatis expressit, quia insana sunt omnia, quæcunque diaboli fallente mendacio, Dei in se non habent veritatem. Et illorum gravior, atque immedicabilis languor est, qui superstitionum furore & ludorum suavitate decepti, sub specie sanitatis insaniunt. An non omnia, quæ à ministris dæmonum illis aguntur diebus, falsa sunt & insana? Cum vir, virium suarum vigore mollito, totum se frangit in fœminam, tantoque illud ambitu atque arte agit, quasi pœniteat illum esse, quod vir est. Nam quid non universa ibi falsa sunt & insana, cum se à Deo formati homines, aut in pecudes, aut in feras, aut in portenta transformant? Numquid non omnem excedit insaniam, cum decorum vultus humani, Dei specialiter manibus in omnem pulchritudinem figuratum, squalore sordium & adulterinâ fœditate deturpant? Quomodo non sanum sapientibus patet, nihil ibi inesse sanitatis, ubi impia, ubi inhonesta, inversaque omnia, & faciunt & loquuntur, non audientes clamantem quotidiè in Ecclesiâ Beatum David, & dicentem, Filii hominum usquequo gravi corde?

Vt quid eligitis vanitatem, & quaeritis mendacium? Grave utique eorum cor eſt, atque omni impietate depreſſum, qui per ſacrilegos joces, Divinis monitis illudentes, vana diligunt, & falſa ſectantur, & poſt omnia, ad offenſionis plenitudinem Dies ipſos annum novum vocant.

139 *Quanquam non inconvenienter ſecundum ſe novum appellant annum, quoniam per nefandas ferias de honeſtate falsâ, turpitudo & perverſitas innovatur. Novum vocant annum, quaſi novi aliquid, aut cœlum tunc oſtendat, aut terra. Novum annum Ianuarias appellant Calendas, cum vetuſto ſemper errore, & horrore ſordeſcant. Auſpicia etiam vaniſsimi colligere ſe dicunt, ac ſtatum vitæ ſuæ, inanibus indiciis æſtimantes, per incerta avium, ferarumque ſigna, imminentis anni futura rimantur, cum utique apud Deum ſolum ſit notitia futurorum, & legalis authoritas iſta prohibeat, dicens,* (Deut. 18.) *ne auſpicemini, ne auguriis intendatis. Sed miſeri ac miſerandi homines, rapti erroribus Paganorum, & minus provido corde cæcati, cum impietate de domibus ſuis prodeunt, & cum ſacrilegio revertuntur. Aut quomodo Chriſtianum ſe putat poſſe vel dici, qui in tali obſervatione videt ſe perfidis eſſe conſortem.*

140 Hactenus ſanctus Maximus, inſanias Chriſtianorum à Gentibus acceptas, & per Calendas omnium menſium ferè, præcipuè autem Ianuarii, uſurpatas, ſtylo & oratione perſtrinxit: quas decreto ſuo Trullani patres confodêre. Ad cujus inſaniæ manifeſtationem, plurimum conferunt, quæ fuſiùs ſunt à Balſamone in Canon. LXI. LXII. & LXV. adhuc diffuſiùs diſputata. Qui poſtremo loco hæc inter alia ſcribit: *Novilunii quidem feſtum, ante tempus immemoriale ceſſavit: cujus loco, per Dei gratiam, ad Deum placandum preces ac ſanctificationes in Eccleſia, à fideli populo fiunt in uniuſcujuſque menſis principio: & aqua Benedictionis, non Contradictionis aſpergimur. Rogorum autem Dæmoniacum myſterium, ſorteſque fiebant, uſque ad tempus Patriarchæ Domini Michaelis, qui fuit Philoſophorum Princeps in hâc urbium regina* (Conſtantinopoli) *hoc modo. Viceſimo tertio menſis Iunii, veſpere, cogebantur in littoribus, & quibuſdam ædibus viri & mulieres, & primogenitam puellam inſtar ſponſæ ornabant. Poſtquam vero convivati erant, & Bacchantum ritu ſaltaſſent, & choreas duxiſſent, in Feſtiſque conſuetas exclamationes uſurpaſſent,*

paſſent, in vas oris contractioris marinam aquam injiciebant, & res quaſdam ad unumquemque eorum pertinentes, & tanquam puella illa à Satanâ facultatem accepiſſet futura prædicendi, ipſi quidem de bono aliquo, vel etiam averſando ac fugiendo quopiam, interrogando exclamabant. Puella autem ex rebus in vas injectis eam quæ incidiſſet eductam oſtendebat. Quam etiam accipiens ſtultus ejus Dominus, certior fiebat de proſperis vel adverſis ex eo eventuris. Poſtridiè autem cum tympanis & choris, una cum puellâ ad littora venientes, & aquam marinam nullâ voce editâ accipientes, ædes ſuas aſpergebant: Sed & per totam noctem, rogos ex fæno accendentes, ſupra eos ſaliebant & ſortiebantur, ſeu divinabant de fælicitate & infælicitate: & de quibuſdam aliis, planè dæmoniacè. Eorum autem hinc & illinc aditus, & domunculam, in quâ ſors illa fiebat, unà cum iis ſub Dio locis quæ propè erant, aureis veſtibus & ſericeis textibus exornabant. Quinetiam arborum foliis coronabant, ad honorandum, ut veriſimile eſt, & excipiendum ſathanam, qui illos ſibi familiares effecerat. Quæ omnia ſanctiſſimus prædictus Patriarcha, cum omnia diligentia prohiberi, & penitùs aboleri curavit.

Cum igitur tam multifariam, per impoſturas & impietates, pietati & religioni Chriſtianorum illuderet, & in perniciem animarum technas machinaretur diabolus, non eſt mirum, ſi vetuſti patres, vigilantiſſimi gregis Chriſti paſtores & præpoſiti, vehementius in dierum obſervationes, feſtorum ſolennitates, conſuetudinum turpitudines inveherentur, adeò ut alias licita & commendanda, de medio tollere, quam nefandas ſuperinductas vanitates & impietates tolerare vellent. Nec poſſe Chriſtianum vel eſſe, vel dici, qui in tali obſervatione videt ſe perfidis eſſe conſortem, ait S. Maximus. Hinc ſunt illa Nazianzeni illius in Theologiâ Λόγος β'. *Ac primum quidem fratres, feſtum celebremus, non corporis nitore, non veſtitus mutatione, ac magnificentia: non commeſſationibus & ebrietatibus, quarum fructum cubilia & impudicitias eſſe didiciſtis: nec floribus vicos cinganus: nec unguentorum turpitudine menſæ & veſtibula ornemus: nec viſibili lumine ſplendeſcant domus: nec tibicinum cantu plauſibuſque perſonent. Hoc enim more Gentiles Novæ Lunæ Feſtum celebrant. At nos, ne committamus, ut ad hunc modum Deum honoremus: ac præſens tempus iis rebus, quis minimè*

141

Orat. 4. p. 129.

nimè decent, extollamus: verum animi puritate, ac mentis hilaritate, & lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est, Divinis contemplationibus & cogitationibus, quæ super sanctum candelabrum excitentur, atque universum terrarum orbem luce perfundant. Parva, meo quidem judicio, si cum hoc lumine comparentur, ea omnia lumina sint, quæ homines, qui festos dies agunt, privatim publicèque accendunt. Quas Paganorum vanitates, Tertullianus ad eundem modum perstringit. *Grande videlicet officium, focos & choros in publicum educere, vicatim epulari, civitatem Tabernæ halitu obolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudicitias, ad libidinum illecebras. Siccine exprimitur publicum gaudium per dedecus publicum?* Et paulo post, *Sed & qui nunc sceleratarum partium socii, aut plausores quotidiè revelantur, post vindemiam parricidarum racematio superstes,* (hoc est, reliquiæ conjurantium in caput Imperatoris) *quam recentissimis & ramosissimis laureis postes præstruebant: quàm elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilabant: quam cultissimis & superbissimis thoris forum sibi dividebant.* Ubi morem describit Paganorum, qui natalitia Imperii, hoc est, annos suscepti Imperii, dies, principum suorum vanis, ut loquitur, mentientibus, & temerariis honoribus dicabant.

Apolo. ca. 35.

142 Has impuritates, lascivias, ineptias, prisci Ecclesiæ patres, in festis Paganorum usitatas, quam longissimè remotas volebant, à sanctissimo pietatis cultu: non quod dierum solennium dedicationes, & separatorum à profano & cõmuni usu Festivitates, simplicitèr & planè condemnarent, aut à moribus Christianis ablegarent. *Congruit enim & veritati ridere,* ait Tertullianus, *quia lætens: de æmulis suis ludere, quia secura est. Curandum, ne risus ejus rideatur, si fuerit indignus. Cæterum, ubicunque dignus risus, officium est. Festos dies nos quoque agitamus,* ait Nazianzenus: *verum ut spiritui gratum est.* Id autem ita videtur, ei gratum, ἡ λήροντας πτῶσ διόντων, ἡ φράτλοντας. Quam rem fusius prosequitur, loco quo supra, Orat. IIII. & Theodoret. in 9. Therapeut. Ανὶ ἡ παλαιᾶ πομπείας, ἢ ἀιχρυρίας, ἢ αἰχροῤῥημοσύνης σώφρονες ἑορτάζυσι, παννύρεις, ἢ μέθιν ἔχυσας, ἢ κῶμ@, ἢ γέλωτα, ἀλλ' ὕμνυς φέιυς, ἢ ἱερῶν λογίων ἀκρόασιν. ἢ σεσοβυχλιὼ ἀξιεπαίνοις κοσμυμθύλιω διάκρισι. *Loco pomparum antiquitùs usurpatarum, pro turpissimis factis,*

Con. Valen. 6

pro

pro turpiloquiis, nunc festa, & paneg yres sobrii celebrant, in quibus nulla extat ebrietas, nullæ commessationes, non risus aut ridicula, sed hymni in honorem Dei, sacrorum auditio oraculorum, preces condignis lachrymis adornatæ. Nazianzenus quoque Orationem in sanctum Baptisma sic exorditur. *Quoniam heri splendidum luminum diem celebravimus. Salutem etenim nostram, lætitia prosequi conveniebat, ac multò quidem magis quam carnis amici, dies eos quotannis celebrant, quibus vel nati vel matrimonio juncti sunt, vel nomen acceperunt, vel certè inter juvenes censeri ceperunt, vel locum aliquem primi incoluerunt, vel quacunque tandem alia de causa, festum diem mortales agunt.*

143

Omnino autem splendidos quosdam dies, uti vocat Nazianzenus, ab ipsis rei Christianæ primis initiis & incunabulis, solennes quosdam & festos dies, ad Dei gloriam, populi institutionem, sanctorum commemorationem introductos, & per hilariorem animorum corporumque dispositionem celebratos, scimus, agnoscimus, & profitemur. Cujus modi, etiamnum contra Catharos sectarios, & Separatistas, prodigiosũ genus hominũ, in Ecclesia Anglicana tuemur, juxta illam Clementis antiquissimam Ἀγαπητὲ, τὰς ἡμέρας τῆς ἑορτῆς φυλάττεσθε. Observate autem dies Festivitatum. Quæ plures erant, etiam per illa tempora primitiva: & non tantum obtinente demum Papismo & superstitione, quod deblaterant, introductæ. Quorum festorum solennitatem piam & religiosam, allusione ad ritus & ceremonias Paganorum, ita describit Nazianzenus. *Vnguentum quoque quoddam habeo (sed quo soli Sacerdotes & Reges ungantur) utpote vario, exquisito, & nostrâ causa effuso, magni unguentarii arte confectum. Mensam habeo, sed spiritualem ac Divinam. Hanc scilicet, quam Dominus paravit mihi in conspectu meo, adversus eos, qui tribulant me, in quâ reficior ac delicior, ne propter saturitatem petulantiâ efferar. Quin potius omnem turbidarum animi commotionum impetum consopio. Habeo etiam flores, vernis omnibus virentiores & fragrantiores: agri nempe illius pleni, quem Dominus benedixit. Hoc est, Sacerdotes & suaviter olentes Pastores ac Magistros: ac quicquid in plebeio ordine purum est atque eximium. Hisce redimiri ac pompam agere cupio, postea quam bonum certamen certavero,*

quos et Reformatæ tam Confessionis Bohemicæ quam Helveticæ in Polonia sollicitè observant.

tavero, & curſum meum conſummavero, fidemque, inſtar ſacri Apoſtoli, ſervavero. Hymnos pro tympanis aſſumamus, pſalmodiam pro fœdis modulationibus & canticis, plauſum, grati animi indicem, & canoram manuum actionem pro Theatricis plauſibus, mœſtitiam pro riſu, prudentem orationem pro ebrietate, gravitatem pro laſciviâ. Quod ſi Te etiam, ut lætæ celebritatis, & feſtorum amantem ſaltare oporteat, ſalta Tu quidem: ſed non inboneſtæ illius Herodiadis ſaltationem, quæ Baptiſtæ necem intulit: verum Davidis ob arcæ requiem. Ita Feſtivitates non averſabantur Patres: ſed tantum profanas: Quas, non minus nos φιλέορτοι, quam Cathari poſſunt, deteſtamur.

144 Sed ne prorſus Novum quem vocant annum, principium anni, Calendas Ianuarias averſabantur. Viri eruditi, neſcio cur, niſi quod proniores ferebantur in partes νεωτερίζόντων, & Eccleſiaſticos ritus, atque antiquitatem, niſi ἐκπλαγίως, aut inviti amplectantur, neſcio, inquam, cur Cardinalem ſugillant, quaſi perperam ſtatuiſſet, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, Feſtum Circumciſionis fuiſſe in Eccleſia inſtitutum; cum tamen recenter admodum introductũ ſit, &, ut loquuntur, Non ante multa ſæcula, ejus mentio fieri cepta fuerit. Verum inique primum cum Baronio agitur. Non ille ita ait. Non illud inſinuat. In Annalibus hoc tantum affirmat. Quibus autem ritibus Eccleſiaſticis dictum diem Chriſtiani conſueverint ſolenniter celebrare, alibi pluribus diximus. Per illud Alibi, intelligit, quod etiam in margine annotavit: Notationes ſuas ad Romanum Martyrologium. Quo in loco ſolennem fuiſſe hunc diem, etiam ab antiquiſſima memoria docet, in uſu & ritibus veterum Chriſtianorum. Utcunque non eo modo & menſurâ ἑορταστικῶς, quo quædam alia feſta, quo Natalem, Pentecoſten, Paſcha celebrabant: ſed tamen precationibus, litaniis, jejuniis celebrem, ut per illas, veluti quaſdam expiationum hoſtias, Divinum numen, Paganorum ſceleſtis impuritatibus irritatum placarent. Et paulo poſt, *Per duravit hujuſmodi religioſus ritus in Eccleſia, quouſque Gentilium ſuperſtitio permanſit. Qua demum abolitâ, de illâ veluti triumphans Eccleſia ſancta Dei, ſpirituali gaudio exultans, coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, & pallium laudis pro ſpiritu mœroris accepit.*

Nomen

Nomen huic festo solennitatis, vel diei, fuisse octavam Nativitatis solummodo, & non Circumcisionem volunt. Fuisse & hoc nomen, in confesso ponitur: sed non solum. Nam & Circumcisio, & Octava Nativitatis dicebatus, sed non antiquius. Nam potius quam Octava, Circumcisio dicebatur. Est enim vox octava usus in Ecclesia recentioris: & prius necesse est Festum ipsum fuerit in usu, quam Octava festi Chrysologus, Maximus, alii, Circumcisionem commemorant: non autem Octavam Nativitatis. Et apud Chrysostom. To. V. Homil. 53. Titulus est, Εν καλάνδαις μὴ δεῖν μεθύειν καὶ ἐπισκόπου τῆς Ἀντιοχείας τὰ φλαβιανὰ ἐλέχθη, illa Oratio contra observantes Novilunia, & choreas per urbes ducentes. In quo sermone apparet festũ hunc diem Christianis fuisse: sed Christiano more, non Paganico, celebratum. Quem ille Rhetor cum paucis nominandus, luculenti sermonis penicillo depingit.

Concludam verbis Augustini, Serm. 253. de Temp. 146
Recte festa Ecclesiæ colunt, qui se Ecclesiæ filii recognoscunt. Illa autem ita descripsit alibi, nempe Dominica 1. Adventus, *Quotiescunque aut Natalem Domini, aut reliquas solennitates celebrare disponitis, ebrietatem ante omnia fugite, &c.* Sed illustrissimè, & ad præsens institutum appositissimè contra Adimantum. *Et quod dicit, Dies observatis, & Sabbata, & solennitates, timeo vos, ne frustrà laboraverim in vobis. Non sic scriptum est, ut Adimantus ponit. Non enim nominat ibi Sabbathum Apostolus: dicit autem, Dies observatis, & annos, & tempora. Sed putet esse & de Sabbato dictum: Nunquid & nos non dicimus ista non esse observanda, sed illa potius, quæ his significantur. Illi enim ea serviliter observabant* (ut & nostri Iudaizantes, & quidni Apellæ, Cathari) *non intelligentes ad quarum rerum significationem & prænunciationem pertinerent. Hoc in iis culpat Apostolus, & in omnibus qui serviunt Creaturæ potius quam Creatori. Nam nos, quique & Dominicum diem, & Pascha solenniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum festivitates; sed quia intelligimus quo pertineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus. Manichæi autem sic ea reprehendunt* (ut hic agnoscant majores suos & προγόνους Puritani) *quasi nullos dies & tempora observent ipsi, sed cum de his interrogantur, secundum opinionem*

sectæ fuæ, omnia conantur exponere, ut non ipsa tempora, sed res quarum illa signa sunt, observare videantur. Quas quidem res fabulosas esse atque falsissimas, aliis locis ostenditur. Nam, ad hoc dictum est, ut ore suo cogantur fateri, posse talia, rationabiliter celebrari, & ideo Circumcisionem carnis, ut rectè impositam servis, ita rectè à liberis repudiatam. Φιλοῦσι γὰρ αἱ παννυχίδες, inquit Gregorius Nyssenus, ὃ ἴδιόν ἐστι γάμου τῆς ἑπτὰ λαμπάσιν ὠδαῖς δεξιούμεθα. πῶς δὲ τὰ νεκρούμενα τοῖς ἐπιτηδείοις θρήνοις εἰσφερόμεθα: ὅταν πράγματα ἀπράγμονα ὑπὸ ἀθυμίας, λύπης καὶ ψυχῆς. ὃ πεπονθότες ἡμεῖς αὐτόν. ἑκάστου δὲ καιροῦ πρᾶγμά ἐστι, τῆς ἀλλοτρίων ἀνεπιτηδειότητος. appositè, ad nostrum institutum singulis festis suum proprium amicum est. Nuptias ita cantiunculis conjugalibus incipimus, at luctu pendimus debita sepulchralibus: serio versamur in negotiis tractandis. Festis diebus, animam incrassatam curis & intentam solvimus. Tempus quodlibet, minimè contrariis pollutum custodimus. Atque hæc de Christi Domini Circumcisione dicta sunto, qua temporis annui initium sanguinis primitiis consecravit. Quod ejus immortale beneficium anniversaria solennitate Ecclesia recolit θυμηδίως. Atque huc usque sine ullis celebrarum impedimentis, aut offendiculo in historiâ Iesu Christi Incarnati, secundum ordinem & seriem dispositæ apud Euangelistas narrationis progressi sumus. Hic jam verò siste gradum paulisper, Lector, nam ulterius nequaquam ita inoffenso pede, eodem tenore progredi possumus. Sedulo etenim disquirendum nobis est, inter illa quæ post circumcisum Infantem octavo die, apud sacros rerum Narratores habentur, quidnam imprimis commemorandum venit. Vtrumne Magorum ab Oriente ἀποδημία, & accessus Bethleemum, cujus narratio contexitur apud B. Matthæum: an verò, quam descripsit Lucas, secundum Legem, pueri in Templo præsentatio, & matris puerperæ Purificatio, Ἔνθεν μάλα θυμός.

To. 2. Orat. in baptismũ Christi.

147 Opinantur plerique omnes, & vulgo quoque obtinet hæc opinio per Ecclesiam, proximam post consummatam Circumcisionem, historiam à Matthæo mandatam esse literis, nimirum de Magorum accessu Bethleemum, & adoratione, locum in Historiâ Euangelicâ debere obtinere.

nere. Ita ſentiunt ex utraq; litigantium hodie parte Chronologi, Annalium collectores, Interpretum turba, & Homiliaſtarum, vel Prædicantium σύμφωνον. Et quod mirere magis, breviſſimo temporis intervallo interjecto, quatuor nempe, aut ad ſummum quinque dierum, ὀκταήμερον illam & περιτομὴν Magorum, Circumciſionem volunt conſecutam. Et hoc, ad hunc modum ſtatuunt, quaſi rem planè deciſam: minimè juris aut ſtatus controverſi: adeo ut de aliqua aliquorum diſcrepantium ἀσφαλείᾳ, alto res ſilentio obruatur: cum tamen inter vetuſtiſſimos Eccleſiæ proceres nonnemo, in alia omnia deſcenderit: & illam B. Lucæ narrationem de Purificatione, Præſentatione, & quæ in Templo acciderant, Magorum adventu anteriora fuiſſe ſtatuat. Cui ego illorum ſententiæ libenter ſubſcribo: utpote rectæ omni rationi, Hiſtoricæ veritati, Circumſtantiis neceſſariis, literis ſacris intertextis magis convenientia inter ſe & probabilia complexæ, quæ viſitantes Magos, viſitatum Infantem, matrem, locum, &c. reſpiciunt plurifariam. Quocircà, veriſſimè doctiſſimus, & diligentiſſimus Chemnitius ſtatuit, *Hæc eſt prima Hiſtoria, de cujus ἀκολουθίας ordine, ſed quo loco, in Hiſtoria Euangelicæ harmoniæ collocanda ſit, ſententiæ variant.*

Antiquiſſimus author, & temporibus Apoſtolicis proximus Tatianus: vir, undecunque doctiſſimus, & in omni Hiſtoria verſatiſſimus, nondum, ut poſtea, quod ſummopere deplorandum eſt, lapſus, circa annum Domini CLXX. uti narrat Euſebius, è quatuor Euangeliſtarum, ſeparatim deſcriptis narrationibus, unum perpetuum Hiſtoriæ contextum, certo quodam ordine collectum, digerebat: atque ita Harmonicam quandam conſtituebat συμφωνίαν, vel σύναγωγὴν Euangeliorum, quam διὰ τεσσάρων appellavit. Ille autem, in illa ſua Harmonia, Magorum hiſtoriam ita diſpoſuerat, ut Purificationi, Præſentationi, & illis, quæ narr antur tunc temporis geſta in Templo Hieroſolymitano per Annam Phanuelis & Simeonem, poſtponeret. Extat autem hæc Tatiani Harmonia, in Orthodoxographiâ ſanctorum Patrum. Euſebius in Chronicis Magorum adventum retulit in annum Auguſtalem XLIII. hoc eſt, in annum ſequentem Nativitatem ſequutus, nec 148

 dubito,

dubito, Iulium Africanum, quem in illis suis Chronologicis tantum non exscribit. Tertiò, Epiphanius, postquam verba illa Euangelii recitaverat de Herode, ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, statim hæc annectit, *Cui non apparet, quod quando venerunt Magi, duos annos puer natus erat?* Quasi extra omnem controversiam statuit. Tuetur hanc sententiam Author operis imperfecti in Matthæum: non ille quidem Chrysostomus, sed Latinæ linguæ Author: Chrysostomo antiquior. Qui tamen non innititur Scripturæ, uti Epiphanius, aut communi sensui & Traditioni Ecclesiæ, sed Traditioni cujusdam, ut ait, innominati Authoris, suspectæ fidei & apocryphæ authoritatis. Narrat autem ille, ἀπὸ δυσμῶν Magos hosce, ab extremo orientis advenisse: nimirum de Calecutana regione, ut recentiores quidam fabulantur illos Oceani extremi accolas fuisse Orientalis. Extitisse porro apud ipsos Sethianum quoddam σύγγραμμα, in quo mentio ferebatur de tali olim stella, Regis Iudæorum oriturâ. Quam Magi stellam ut primo conspexerunt exorientem, venerati ἀφορμὴν ad iter, è vestigio versus Iudæam, sese accingebant. Cum verò, à remotissimis mundi plagis profecti, peregrinationem instituerent, biennii ferè spatium interveniisse, priusquam iter illud suum, Iudæam versus institutum, conficerent. Interea autem vestes, calceos, commeatum, utensilia, viaticum, omnia usui, victui, vitæ necessaria, miraculosè id disponente Divina Providentia, nullum planè patiebantur intertrimentum, sed, ut olim Israëli per desertum XL. annos peregrinanti, integra, illæsa, sarta tecta persistebant. Cui fabulosæ narrationi addunt aliqui fulcimentum è Matthæo, nempe ideò posuisse Euangelistam, ab Oriente advenisse, indefinite, nullâ certâ regione Orientali nominatâ, quod esset illa tam remota à Iudæâ, ut eam nemo unquam Iudæorum vel fando accepisset, vel de tabulis Geographicis cognovisset.

149 Quod postremum inepte dicitur & ridicule. Nam ut nullus Iudæorum, qui certè non erant admodum eruditi, illum tractum noviſſet Orientalem, sanctissimus tamen Dei Spiritus, ubicunque terrarum sitam regionem, & intuebatur, & agnoscebat. Nomen noverat, & posteritati

poterat

poterat commendare. Quod præterea etiam voluit ut legerent & admirarentur. Pietatis studium, & Christum Deum adeundi desiderium, in illis Magis, adsimiles ipsi affectus inflammarentur: præcipue cum minimo labore, ut in proximo constitutus, & agnosci posset & adorari. Quod si autem ob illam causam, quod volunt, Orientem indefinite nominabat Euangelista, tum certe sequetur, ad eundem modum, ut ubicunque per Scripturas sacras, Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies nominantur, non intermediæ quædam plagæ, sed extremæ terrarum plagæ, & non nisi extremæ partes intelligi debeant, non autem aliquæ viciniores, & Palæstinæ propinquiores. Et hoc modo, Rex Austri apud Danielem, & Rex Aquilonis, non erit aliquis ab Ægypto egressus Ptolemæorum: aut è Syria Principum Seleucidarum, sed ab Arimaspis Hyperboreis, ab ultima Thule, nova Zembla, vel aliqua remotiore regione advena de Æthiopibus, qui olim ἐχάτου ἀνθρώπων audiebant. Aut si quæ Gens sit Nascenti conscia Nilo: vel ultra caput, ut vocant, Bonæ spei vir ille justus, id est, Abraham, qui Esaiæ XLI. dicitur, *Suscitatus ab Oriente*, non de Chaldæâ, Charris, Mesopotamia, sed de China in Canaan, vel insulis Philippinis adveniebat. Eant autem hæ fabulæ, Traditiones, Apocryphæ in Gemonias, quo dignæ sunt: Authoris tamen sententia, quam Epiphanius, Eusebius, & imprimis Tatianus, omnium antiquissimus, amplexi sunt, non tam facile contemni, aut rejici, vel potest vel debet.

Imprimis autem urgens est, & οὐδὲν ὑγιὲς plane Adamantinus, quod è textu B. Matthæi ducitur argumentum: videns Herodes, ὅτι ἐνεπαίχθη, ludibrio habitus esset à Magis illis Orientalibus, qui minimè ad ipsum, quod & expectabat & imperârat, revertebantur. *Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem & finibus ejus, à bimatu & infra, juxta tempus quod sedulò exquisierat à Magis.* Hoc scelus ille statim perpetravit. Magi, confecto itinere & expeditis negotiis, sine mora revertebantur. De fuga, statim inaudivit Herodes: & quis credat, post tubas hasce motas per XXV. plus minus dies Bethleemi consistere indemnes potuisse Iosephum, Mariam, Infantem? aut tuto, in 150

Templo præſentari? ſed de iſtis deinceps particulariùs. Huic invicto, invincibili, urgenti argumento, nihil eſt omnino alicujus momenti, quod opponatur, præter morem receptum, Traditionem & Conſuetudinem, ut arbitrantur, Catholicæ Eccleſiæ, ad omni retro, quod volunt, antiquitate, obſervatam. Equidem Αἰδοῦμαι, πόθεν, ſiquis alius. Et ſem per per me, τὸ ἀρχαῖα ἤθη κρατέτω. Id quod antiquiſſimum, mihi ſemper viſum cum Tertulliano, optimum. Libens Eccleſiaſticæ Traditioni aſſurgo, de via cedo, ſubmitto faſceis: nec Novatorum δεκεσιτόφρων petulantiam & importunitatem in Eccleſiæ Proceres, Mores, Ritus, Traditiones ferendam arbitror. Sed fruſtra ſunt hic Ὁ ἐξ ὑπαρτίας. Non eſt hæc Traditio, quod volunt Catholicæ Eccleſiæ: eſt, fateor, communior opinio in Catholica Eccleſia apud nunc Interpretes & ſcriptores, atque ab illis in vulgus pervagatum. Non autem dogma fidei, non indubitatæ authoritatis. Imo nequidem aliquâ ſubnixum, cum ratione, probabilitate. Hoc imprimis patet, è multis illis variis, & multum diſcrepantibus ſententiis, quibus, qui proponunt & tuentur illam opinionem, contextum Euangeliſtæ ſacrum de Bimatu, eludere potius ſatagunt quam refellere. Quæ quidem diſcrepantes & diverſæ ſententiæ, fieri poteſt, ut omnes falſæ ſint & commentitiæ ſint, ut plures unà veræ ſint, fieri non poteſt. Illud autem præmittimus, ſententiam, quam tuemur, contra communem opinionem de XII. dierum itinere & adventu Magorum tam citato, non eſſe contra veteris Eccleſiæ Traditionem: quod in loco comprobabitur.

151 Ad illam ergo de bimatu, & infra, objectionem, ſunt qui reſpondent & arbitrantur, Herodem tanquam dubium & hæſitabundum de Magorum quæſtione conſtitiſſe, de nato nempe Rege Iudæorum. Volunt enim cogitabundū apud ſe, ultro citroque differentem addubitaſſe, utrum Magi, de concepto, an de nato Rege loquuti fuerant. At hoc ridiculum eſt & Scripturæ contrarium. Quærunt enim illi, Ubi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum. Et preſſe dicunt, Qui natus eſt. Secundò, utrum illa ſtella, quam prædicabant, utero conceptum, an in lucem editum Infantem, Iudæorum Regem deſignabat. Verum & hoc

plane

plane ſtultum & ἀλόγιστον: Vidimus enim, inquiunt, ſtellam ejus: Nati nimirum, natum, non naſciturum, deſignantem. Tam frivolis adducti argumentis, diſtuliſſe ad biennium Infanticidium, poſt diſceſſum Magorum arbitrantur. Ridicule, ut dixi, imperite, & tantum non impie comminiſcentes. Nam ſi poſt Magos domum reverſos, fluctuabat animo, incertus & dubius quid faceret, ecquem poterat invenire, qui poſt illos ſatisfacere poſſent, aut ipſius animo ſcrupulos omnes eximere. Sed, ut addidi, planiſſime recedunt à Scripturâ: idque dupliciter. Ait enim Euangeliſta, illum, ubi de nato Rege Iudæorum inaudiſſet: hoc eſt, Meſſia, quem illi cum imperio venturum, & de victis hoſtibus triumphaturum gloriosè, expectabant, ſedulo, ut par erat, percunctatum à Magis, ac ſummâ diligentiâ, & accuratâ ſingulorum inveſtigatione. Rem illam, ſe & ſuum regnum tantopere concernentem, cum omnibus ſuis circumſtantiis intellectam & perſpectam habuiſſe. Natus autem fuerat, & de nato illi ſciſcitabantur, Herodes cogitabat de nato Infante, id quod vel cæco apparet, ante Magorum adventum Hieroſolymas. Venerant Natum adoraturi, non naſcendum expectaturi. Nec veniſſent adoratum, niſi compertum habuiſſent, jam tum in lucem illum editum, quem quærebant adorandum. Solent enim homines adorare, qui jam ſunt, aut eſſe putantur in natura rerum: non autem, qui nondum ſunt, & fortaſſis non ſunt futuri. Certè oportet valde ſtupidum fuiſſe Herodem, qui cum à Magis audierat, *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum*, in dubium vocaret apud animum ſuum, utrum illi de nato Rege, an Concepto loquerentur.

Alii ergo, concedunt de jam nato, non autem concepto 152
Rege, Magos locutos, & ita pro certo ſtatuiſſe Herodem, qui tamen, ad annum unum vel alterum, diſtulerat Conlium ſuum de Infantum cæde, tam crudele, barbarum, immane, inhumanum. Quaſi horreret ei animus, & obtorpeſcerent manus. Vel ſi non eam ob cauſam de induſtria & deſtinato conſilio diſtulerat, ſaltem fortuito, ἐκ ὡς ἔτυχε. Quod & ipſum gratis dicitur. Sine probabilitate etiam plane obſurdum eſt & ridiculum: ſi Herodis ingenium, Tyrannidis exigentiam, morem communem attendamus.

mus. Sed videri volunt, nec sine ratione insanire. Quocircà, allegant in causa rationes. Imprimis, quod sub idem tempus morbo gravissimo & truculentissimo conflictaretur. Verum hoc falsum est, juxta rationes, & calculum Baronianum, qui vitam Herodis ad annum Christi octavum producit: ut nullo ille morbo laboraret in Magorũ ἐπιδημία. Sed nec nos concedimus verum esse, qui licet cum Baronio non consentiamus, certò tamen scimus Herodem, aliquot annos, nato jam Servatore, supervixisse: quatuor scilicet, aut circiter. Quod afferunt de turbis domesticis, de factionum tumultibus in regia, inter privatos parietes, magis est conjunctum cum veritate. Neque enim postquam corripiebatur morbo Herodes, sed sæpe prius, diu, & vehementer, Tragædiis domesticis, ut nequissimus, ita infæliciſsimus mortalium exagitabatur: Deo juste in illum, etiam tum in hac vita, judicium, severitatem, pœnas horrendas exigente. Quid si autem, sub adventu Magorum, si, & morbo illo graviſſimo, ac truculentissimo laboraret; & ulterius, ὀίκοθεν ὀίκαδε Tragediis & furoribus domesticis vexabatur, ille tum eo magis cædes, sanguinem, vivicomburia, crucifixiones, carnificinas inauditas, & ἐξολοθρεύσεις spirabat: *homo sanguinum*, si quis unquam alius! Quocircà verosimile est, accedente ad dolorem corporis & animi anxietate, de elapsis Magis, excusâ speratâ præda, ludibrio quo habitus, Infanticidium potius præcipitasse, quam dilatum comperendinasse. Illorum autem inter tot ab illo editas strages, fuisset quasi παρεργον quoddam, aut σκιαγράμμα. Dum furor in cursu est, & habenæ laxantur immanitati, de cæde, sanguine, jugulis hominum sicarii ludunt & assassini: qui sedatiores aliquantulum, & cædibus vel satiati, vel obtusi, ita solent tormenta comperendinare & homicidia. Certè nullum tempus magis opportunum & congruum huic sceleri & Tragædiæ peragendæ accidere poterat, quam illud erat, quo, ut disputatores volunt, manus istius belluæ, furiæ, truculentissimi monstri, calebant adhuc, recenti domesticorũ, & subditorum sanguine imbutæ. Ita quod ipsis in causa præcipuum reputabatur argumentum, omnium maximè & efficacissime in sententiam ipsorum militat.

Præterea,

Præterea, in eo quod comminiscuntur, morbos, dolo- 153
res, cruciatus illos vehementissimos; quibus ille sub finem vitæ excarnificabatur, obstaculo fuisse aliquandiu, & impedimento, quo minus cogitationi de homicidio perpetrando vacaret: aut conceptam animo stragem, perpetrandam differret, bestiam illam penitus ignorant: naturam ignorant morborum cum doloribus & tormentis truculentissimorum. Ejusmodi monstrorum sævitia & immanitas, morborũ tormentis & cruciatibus, quasi flabello quodam adhibito, accenduntur. Et tamen, haud inficias ivero, cum probabilitate conjunctum esse posse, ut voluerit ille sanguinarius furcifer, astutè differre aliquantisper consilium & propositum suum de mactandis Infantibus, ut eventum negotii expectaret quid rerum novarum illud Euangelium, de Rege nato, hoc est Messiâ & Liberatore, operaretur: motus Iudæorum volebat observare fortassis, & affectiones attendere. Sed tamen multo majori probabilitate innititur, & pluribus fulcitur conjecturis, nec voluisse differre, nec distulisse, æmuli, quem rebatur in regno, exitium. Sunt illi Tyrannorum mores & βάσανοι πολιτικαὶ. Politicorum rationes, & consilia eo tendunt. Herodis conditio, status, natura, τέχνη persuadent, ut simul ac accepit recessisse Magos, continuò apud animum suum inierit rationem, quo se modo de Competitore securum redderet. Cumque nullis speciatim indiciis, delusus à Magis, Regem illum natum deprehendi posse speraret, visum est tutissimum, omnes infra bimatum mactare, atque ita, inter cæteros, illum Regem. Misit ergo statim milites, & patratum facinus dedit. Neque aliud videtur innuere contextus sacer. Nam sequuntur se invicem, quasi actu quodam continuo copulata. τότε, ἰδὼν, ἀποστείλας, ἀνεῖλε. Tunc. Videns. Mittens. Occidit.

Huc spectat & illud Chrysostomianum. Herodem, 154
pueros à bimatu, & infra interfici jussisse: neque esse illud mirum. *Siquidem*, ait, *conveniunt in illum Tyrannum, Timor & Furor. Pro abundantia cautionis, majus tempus includit, ne quis, vel proximæ ætatis, effugeret.* Certe modum omnem & mensuram plerunque in exercenda sua crudelitate, ἐξαίρετον Tyranni, nedũ Herodes ille, qui πυραμειστάτους

immanitate, feritate, truculentia, & omni barbarie ſuperabat. Sunt Tyranni timidi, & ſuſpicionum pleni. Vtpote quos diri conſcia facti, quod Poeta ait,

Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit.

Intimos ſibi, & familianiſſimos: conjuges, liberos ſuſpectos habent, ut ille qui ardente carbone capillos ſibi adurebat, ne quidem filiabus confidus, ut novacula abraderent. Semper aliquid innovandum violandumve commiſcuntur. Inter cætera firmamenta & præſidia potentiæ, procurant imprimis, ut omnia, cautè, ſuſpenſo animo, & quaſi pedetentim expediant. A *bimatu*, ergo, & inferius Infantes occidi juſſit Herodes Bethleemiticos, ex abundanti cautus, ut illum ſuis caſsibus irretitum & incluſum teneret, quod rebatur, quem, infra illam ætatem bimatus, non extra, diligentius à Magis rem totam ſciſcitatus, natum fuiſſe intelligebat. Hac enim abundantiori cautelâ, ſibi, regno, rebus ſuis conſultum iri arbitrabatur. Et qui, nec mœnibus & portis, imò nec pomeriis Bethleemiticis ſuam truculentiam volebat circumſcribi, ad vicos ſuburbicarios, & agros limitaneos, vel, ut nos loquimur, parochiales, ulterius progrediabatur. Quocirca, metu, peſsimo illo in dubiis conſultore, furori flammas ſubminiſtrante, tempus à Magis cognitum & circumſcriptum volebat, potius anticipare, ad biennium excurrendo, quam per negligentiam & incuriam [illegible].

155 Quæ ita tamen vera ſint, ut nullo modo in XIII. à Nativitate die, Infantum cædem ſtatuere debeant & determinare. Satis enim caviſſet Herodes timori ſuo, ſi per ſemeſtre ſpacium, & quod excurrit, Natalitia anticiparet. Subductis calculis rationem iniverat, & ipſum momentum φαινομένης ἀστέρος, exactè à Magis inquiſitum didicerat, & apud animum ſuum conſtituerat, certò, cujus ætatis puer ille tunc eſſe poſſet, cumque fieri poſſet, ut illa Magorum ſupputatio præcisè & per omnia momenta non cohæreret, ſed vel deficeret, vel abundaret in aliquo, cautionis gratia aliquid adjecit. Poteſt ergo, ſubductis omnibus, rectè conſtare: ut non obſtantibus, Herodis, metu, furore, cautelâ, cæteris quibuſcunque affectibus ſuis Magi, non

infra

infra XIII. dies, sed post annum advenerint Bethleemũ, cum muneribus adoraturi natum Regem.

Et certè post annum expletum advenerunt, non, quod 156
voluit Epiphanius, post biennium. Hæc enim certa sunt, venisse illos, priusquam migraret Christus in Ægyptum: hoc. Priusquam Nazaretham se conferret: dum adhuc hæreret Bethleemi: jam finita τῇ ἀπογραφῇ. Omnia illa priora certissima sunt. Hoc liquidissime videtur comprobari. Profecti enim, invenerunt puerum, non jam in stabulo divertentem, non in præsepi reclinatum, sed in domo: hoc est, vel ædibus conductitiis, vel diversorii illius parte quadam. Abierant enim advenæ, finita descriptione, in suas quique civitates: &, ut fieri solet, vacua erant hospitibus diversoria. Nam quod S. Lucas, in oppositum videtur statuisse, Ca. 2. 39. non stringit. Ait ille, *Et cum perfecerant omnia secundum Legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth.* Quasi non iterum Bethleem profecti fuissent, post Purificationem, sed rectà Hierosolymis Nazaretham. Profecti sunt Nazaretham certe post Purificationem: sed non rectà, non statim, sed postquam complêssent omnia: hoc est, Quicquid ipsis erat faciendũ. Omnia qui dicit, nihil excipit. Secundum Legem Domini: hoc est, & illam Leviticam, de *purificatione, præsentatione,* &c: & illam Æternã, per quam multa erant ab initio determinata. Brevi igitur compendio Beatus Lucas, illa omnia complexus, quæ adimplenda erant. Quæcunq; illa fuerant, plura, proculdubiò quam quæ literis mandata legimus, ad exitum festinus, ita suam narrationem terminat, *Et cum perfecerant omnia.* Secundò verisimè respondetur, Nequaquam Annales scribebant Historici sacri, nec suas illi narrationes ad exactas Chronologiæ rationes exigendas tradebant. Conjungunt igitur illa, neque rarò, per κρύψιν, secundum continuam narrationem, quæ multis interjectis, & tempore, & eventu, disterminabantur. Idem itaque Euangelista, cap. IIII. ver. 14. habet, *Et consummatâ omni tentatione, Iesus reversus est spiritu in Galilæam*: quasi statim, & è vestigio profectũ eò voluisset: cum constet nihilominus ex Euangelio Iohannis, non pauca, neque parva interveniſſe.

157 Epiphanius autem hoc ῥητῷ Euangelicum, ita accepit prout verba ſonãt. Et comminiſcitur, illos quotannis ſolitos Bethleemum commeare, ut memoriam rerum in ea urbeculâ geſtarum, in locum præſentes, recolere melius poſſent & celebrare, μνήμης ἕνεκα τῶν ἐκεῖ γεγενημένων. Epiphanii narratio, hæreſi 51. quæ eſt Alogorum, hæc habetur: *Poſt cenſum finitum, unuſquiſque eò, ubi domicilium collocârat, reverſus eſt. Vnde laxius ad habitandum ſpatium fuit. Itaque priore jam anno finito, & altero inſuper, ob eorum, quæ geſta illic erant, memoriam, eo ſe Parentes Nazareto, velut ad eandem celebritatem, contulerunt. Quo tempore, Magorum adventus, ejuſmodi quadam opportunitate contigit. Tametſi, non in eodem illo fortaſſis diverſorio verſabantur, in quo, Mariam & Ioſephum, deſcriptionis tempore manſiſſe Lucas teſtatus eſt.* Et hoc quidem ἀδέσποτον, nec alibi, opinor, recuſum commentum.

158 Quod tamen duplici injuriâ, à duobus doctiſſimis viris, afficitur: Maldonato & Cardinale Annaliſta. Ait Maldonatus, mirari ſe, quorſum Epiphanius exiſtimaret, Ioſephum & Mariam ſingulis annis eo die ex Ægypto, in Bethleem venire conſueviſſe: ſecundo autem anno finito, cum illuc de more adveniſſent, Magos ibidem reperiſſe. Hoc commentum abſurdiſſimum, nunquam Epiphanio in mentem, ne quidem per inſomnium venit: nollem Maldonato in buccam veniſſet; quod notatum doctiſſimo animadverſori, non debuit tantopere Petavio diſplicere, ut iccirco in Caſaubonum tantâ ſævitiâ detonaret, de inclementer, & putide notatis: de virulentis calumniis & hæreticis opinionibus. Voluit, opinor, ut Maldonati ſubſcriberet hallucinationi: Nam quod Maldonatum κακηγόρον, & virulentiſſimum appellet, verum: nec negari poteſt, niſi ab illo, cui os ferreũ, cor plumbeũ. Maldonati certe ſententia eſt cum abſurda & ridicula, tum falſiſſima & in Epiphanium inſarioſiſſima: Sed & graviſſimus Annalium Author, Epiphanii nomen læſiſſe videtur, dum referat in Hiſtoriam, Quoſdam, (nam de nomine non citat Epiphanium) arbitratos, iterum, parentes cum puero, per occaſionem cujuſdam Feſti, fuiſſe reverſos Bethleem. At non hoc dixit, ſcripſit Epiphanius. Quale enim

enim feſtum illud fuit? ſi de Legalibus aliquod, Hieroſolymam, non Bethleem, eundum fuerat. Si Gentilium aliquod: præterquam quod exemplū Feſti alicujus Gentilitii per illa tempora, in terrâ Iſraëlis celebrati, deſideramus, non aliqua tenebantur eò veniendi neceſſitate. Imò abſit ut vel domo pedem efferre voluiſſet beata Mater, ad tale aliquod profanum & impium σωμάτρισμα: nedum ut Chriſtum Ieſum eò deduceret. Verba Epiphanii aliud tinniunt meis auribus. ἦλθον ⟨τ⟩ γονεῖς ἐκεῖσε ἀπὸ Ναζαρὲτ: ὡς εἰς τὴν παύηγυειν ταύτην. *Velut ad eandem celebritatem*, vertit reſtè Petavius: hoc eſt, quaſi eadem illa quotannis ageretur, quæ Chriſto in lucem edito agebatur. Hoc voluit Epiphanius: quod & ipſum eſt à veritate alienum. Sed valeant logi iſti, & putidæ ineptiæ Traditionales. Lucas Magorum Hiſtoriam omiſit. Purificationis narrat, quam non attingit Matthæus. Deſcenſus non meminit in Ægyptum. Nimirum Matthæus, Iudæus ortu, illa præcipue refert, quæ ad Gentes ſpectabant: Lucas, origine Gentilis, erat enim Antiochenſis Proſelytus, præcipue narrat, quæ Legem & Iudæos attingebant. Quibus expeditis, continuò ſubdit, Reverſos in Galilæam, Nazarethæ habitâſſe. Venerant ergo Magi Bethleemum, ubi Chriſtum cum parentibus reducem, poſt peractam Præſentationē, inventum adorant.

Nec obſtat huic aſſertioni, dies Ianuarii ſextus, ab omni retro antiquitate, & præſentis Eccleſiæ recepta conſuetudine, Epiphaniæ vel Magorum adventui deſtinatus. Fateor libenter, ita verum eſſe: & illam Eccleſiæ Traditionem amplector, de menſe, de die; ultra quos non progreditur Traditio. Nulla fuit olim: nulla hodie extat talis modi de XIII. à Nativitate die Traditio: quæ recentiore quodam errore, & populari, neſcio quomodo, apud pleroſque eruditos invaluit. Non ita olim obtinuiſſe docent Epiphanius, Tatianus, alii in ſuperioribus vel commemorati, vel etiam commemorandi. Citat doctiſſimus Petavius in XII. magni operis de Doctrinâ temporum, Origenem, Auguſtinum, alios, qui non niſi à biennio veniſſe Magos putarunt. Quibus ego adderem Scholiaſten meum Græcū Manuſcriptum. Quæ igitur opinio hodiè paſſim omnia 159

pervaſit, non habet perpetuum & conſtantem Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, ſed ab errore quodam populari videtur originem traxiſſe: cum qui audierant, ſic edocti, illos adveniſſe adoratum, die Ianuarii ſexto, ita intelligerent, acſi proximo ſtato die adventâſſent, qui non niſi decurſo anni ſpatio advenerant.

160 Quod commentũ de adventu infra duodecem vel tredecem dies, ulterius cum omni ratione pugnat. Imprimis enim fieri non potuit, ut tam exiguo temporis ſpatio, totũ hoc negotium exequerentur. Unde undè (certè de remotis, non de proximo, ſed de longinquo:) venerant. De Perſia, Media, Chaldæa, Meſopotamia, vel Arabicis gentibus, non poterat iter illud, eo modo, illorum hominum, illis circumſtantiis, tam breviſſimo temporis intervallo, tranſcurrendo confici. Hic enim, priuſquam ſe in viam dare poterant, plurima fuerant expedienda. Ubi enim primò viſa comparuerat ſtella nova viſu, nitore, loco, motu, ſingulis admiranda, hinc, ut fieri amat, inter Aſtronomiæ peritos, ſtupor, & συζήτησις ac diſquiſitio (neque enim paradoxa, miraculoſa, inſolita, admiranda, ſimul & viſa ſunt, & perfectè cognita.) paullatim eos ad verã rei cauſam, &, ſi non plenam, certè probabilem rei cognitionem deduceret. Quod ſi autem Balaam, quod opinantur, vel mandaſſet literis, quod non eſt credibile: vel per Traditionem tam antiquam, patroparadoton, eos commonefacerat: tamen nequaquam videntur potuiſſe paratos in viam ſe dediſſe, ſe & iter totum tantillo tempore expediiſſe. Verum non videtur, illos ex aliqua Traditione Balaamiticâ fuiſſe de ſtella edoctos, quæ per tot annorum curricula, non poterat ad illos, niſi manca, mutila, aucta, minuta, inverſa, obſcura pervenire: potius æſtimârim, cœlitùs edoctos hoc myſterium, & Divinâ quadã revelatione. Nam κατ' ὄναρ dicuntur χρηματισθέντες, in ſomno admoniti ab Angelo, ne reverterentur ad Herodem: unde videtur illos jam prius huic mori modoque aſſuefactos, ſecretiorem hanc ἀποκάλυψιν, & μυσταγωγίαν admiſiſſe: & divinæ admonitioni obtemperaſſe. Quod ſi autem porrò, Tres, Quatuor, plures Magi, in illud iter (erant certe numerus, qui numero multitudinis compellantur) condixerant: atque iidem illi, quod

Magi, nullo Balaami vaticinio docti de ſtella.

quod multis placuit, de diversis locis advenirent: adhuc certè, opus erat morâ, & multò diuturniore. Erat enim causa cognoscenda, consultatio adhibenda, consensus firmandus, res præparandæ, comportandæ, comites ordinandi, plurima prius expedienda, quam se in viam dare possent comparati. Et post hæc omnia, tempore quàto quanto expedita, licet Dromedariis, Cisiis, Pegaso aliquo veherentur, tamen ulterius necessum fiisit aliqui dies ut interlapsi præterierint, priusquam Christum in cunis natalitiis convenirent. Quod sic ulterius patefiet.

161 *Nonnisi ad 13. dierum spatio advenire.*

Certum est, non secundum rectam lineam, Bethleem profectos advenisse. Nam qui viderant *stellam ejus*, Nativitatis locum stellæ inscriptum non legebant, nec Deo adhuc revelante nôrant. Adeunt enim, ut incerti, Ierosolymas: humano more, humanitùs ignari, ibi interrogant, ποῦ ἐστιν; *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* regni totius metropolin petunt: quasi locum regiis fasciis congruentem: hic interrogant & scisciantur, obvios forte percurrunt, quos fors obtulerat, aut hospites saltè, apud quos diverterant in καταγωγίῳ. Hinc rumor foras emanavit, non ipso, opinor, primi adventus momento, ad regias aures, incertus imprimis, quod fieri assolet, tum varius: postea cum tumultu, terrore, magna satagentia defertebatur, conturbatus erat valde rex Herodes. Non accessu vel motu primo, non levi insusurratione, non in certo afflatu, sed vocibus repercusso repetitis: & tum demum investigatis, inventis, comparentibus, interrogatis authoribus. De summa rei Herodianæ, agebatur: de Iudæorum illa σφοδρῷ & magnificentissimâ expectatione: utpote quibus omnia de Messia suo magnifica, grandia, gloriosa, & spei plena amplissimæ promissa expectabantur. Ecquis hac rerum scæna, his conditionibus, rerum omnium vel tam ignarus, vel tam præfractæ perversitatis fuerit, qui hæc, & multo etiam plura, intervenientia, XII. dierum spatio transigi potuisse putaverit, vel accommodari?

162

Quod ad iter arreptum & confectum attinet è Mesopotamia non negaverim Dromedariorum vel Camelorum ope, licet vehementius soleant succutere & exagitare vectores, vel alia etiam aliqua excogitanda ratione, potuisse illud

illud iter confici XII. dierum spatio, vel angustiori. Scimus enim Persarum reges, per dispositos equos, Græcos, per Dromocetucas vel Hemerodromos suos, quos vocabant, magna itinera confecisse. Vel, ut Livius loquitur, *Ingens die uno, cursu emetiri spatium.* Novimus quid nostra memoria præstiterit, is, qui inter solis ortum & occasum, partim terra, partim mari, Londino Caletum & Caleto Londinum excucurrit, allato secum magistratus Caletensis testimonio. Quid alter etiam, qui quinquies, quibusque dierum spatio, inter Londinum & Eboracum, hoc est centum & sexaginta pene, milliaria quotidie cursitavit. Legimus in Græcorum Historiis, puerum duodennem LXX. millia passuum cucurrisse inter Solis ortum & occasum. Cutionem refert Appianus, tribus diebus 3300. stadiorum millia confecisse: & in Punicis ait idem Annibalem victum à Scipione & profligatum, patriâ profugum, licet jam annis gravior esset & ætate confectus, diebus duobus, totidemque noctibus 3000. stadiorum fuisse cursu emensum. Sed omnem pene superat fidem, quod relatam à Plutarcho legimus in vita Galbæ, Icelum quendam, libertum Galbæ, ut Neronis interitum, & Galbæ imperium annunciaret, venisse ἑβδόμαις ἀπὸ ῥώμης in Hispaniam ulteriorem, Italiam, Gallias, & Hispaniam, universas cursu superantem. Neq; quispiam dubitaverit, quin è Persida vel Mesopotamia, duodecim dierum spatio potuerit perveniri. Sed ut Magi illi, inde tot remoris retardati & impedimentis, tot impliciti negotiis, id præstarent, nemo sanus, opinor, arbitrabitur.

Lib. 4. dec. 4.

In Xerxe.

163 In re tam clarâ & perspicuâ, multi multa turbant. Chrysostomus Homil. VII. in Matth. Christum ait, per dies quadraginta post nativitatem, hæsisse Bethleemi, ut rerum curiosis spatium, quod sufficiebat, daretur, ad veritatem investigandam. Interim advenisse Magos, & per eos, ἀνεπιφόρητον ἦν πᾶσα ἡ πόλις. quod ab omni abhorret ratione recta. Quasi toto illo tempore obdormierat Herodes, vel abfuerat domo, vel aliud agens de rerum suarum summa non cogitaret. Idem adhuc iterum turbat, dum stellam vult, non in

ἀλλ' τοι. τοῦτο γὰρ οὐδὲ θεοῦ τεχνεῖς ἐξῆλθεν ἐκεῖνον, ἀλλ' ἐποίησεν ἡμέρας τεσσαράκοντα τοῖς βαλομένοις θεραπεύειν διὰ μὲν ἀκριβείας ἐξετάζειν ἅπαντα. pa. 43.

in ortu primum apparuisse, sed [illegible], quod bis falsum ab illo ponitur. Inconsulto, ne quid gravius dicam. Nam [illegible]. Verum de tempore stellæ apparentis, deinceps. Casaubonus, ab arte sua, hoc est, Critica, quam ille veram & genuinam cum oppido paucis profitebatur, Grammaticalem destinam sententiæ apponit. Urget, vim Participii γενηθέντος, ut sit, *cum paullò ante natus fuisset*. Nam ea vis est, inquit, Aoristi participii, ut de actione nuperrimè transactâ, & adhuc pendente, usurpetur. Et ab hac, ut appellat, observatiunculâ, quæ certe est, litem determinari posse arbitratur. Sed imprimis sciat Lector, non esse hanc observatiunculam ὀπόθεν profectam. Philologus eximius, excellenti Theologo Chemnitio illam debet, qui in Harmonia præoccupatam posuerat. Ille enim vult perficere, Magos venisse ante Purificationem, primò quod apud Euangelistã legatur, γενηθέντος τοῦ παιδός. Nam de puero recens nato, rectius dicitur. Atque ita Heb. 11. 12. de Moyse, qui γενηθεὶς ἐκρύβη. Statim, nimirum, atque natus fuit, occultabatur. Sed non propter vim participii, verùm violentiam regii edicti. Nam Herodes, alloquitur hosce ipsos Magos, πορευθέντες, profecti, investigati: non tamen voluit ut sine ulla morâ, sine diverticulo, vasorum collectione, de ipsius conspectu extrusi, se in viam darent, atque statim revertentes, nuntiarent quæ de puero resciverant: sed ut postquam eò profecti, rei veritatem agnovissent, reverterentur: & priusquam in patriam suam redirent, ipsum facerent certiorem. Hæc syllabarum, tanto cum rigore, carnificina, in rebus sacris, & momenti magni, satis est interdum importuna: ne dicam improba & sacrilega. *Apices juris, non sunt jura*, Legistæ aiunt. Nec debet Grammaticalis argutiola vehementioribus objectionibus planissimæ & accommodatissimæ veritati præjudicare.

Quod Purificationem attinet, illa Legis latæ præscripto ad certum, nec differrendũ diem astringebatur. Quod si die XIII. ab ortu suo, adorabatur Dominus Iesus Bethleemi à Magis, qui & urbem Hierosolymam, & Herodis aulam, tumultu, de Rege nato, compleverant, necesse fuit, ut per dies XXVII. post rumorem per Magos sparsum, in Terra Israëlis substiterit Iesus, priusquã migraret in Ægyptum. 164

tum. Nam Levit. 12. dies XL. purificandæ mulieri puerperæ, poſt maſculum in lucem editum, præſcribuntur. Hoc autem à ſenſu alienum eſt: ut totos XXVII. dies, nec quæſitus ad necem, tutò, & ſine periculo, in patriâ verſaretur. Certè fieri non potuit, quin Herodes ad necem illum quæſiviſſet. Præcipuè, ſi, quod ſtatuunt, poſt Magorum quæſtiones & rumores, Simeon & Anna novis ſubinde furiis hominem exagitaſſent.

165 *Ordo Hiſtoriæ.* Quocirca, ſic de ſerie atq; ordine hiſtoriarū ſtatuendū ſentio, Magos omnino adiiſſe Bethleē, & Dominū Infantē adoratos, ad VI. diem Ianuarii, quemadmodum recolitur ab Eccleſiâ Anglicanâ, cum Catholicâ, contra omnes omnium Enthuſiaſtarum, Puritanorum, Separatiſtarum, Genevenſium, aliorum quoruncunque innovationes. Non autem infra XIII. aut XII. dies à Nativitate: ſed poſt annum elapſum & duodecim dies, qui excurrunt, à Natalitiis, Conſulibus Cæſare ac Paulo. Hoc eſt, anno ſecundo jam incarnati Domini currente. Neque enim eludi, vel debet, vel certe poteſt, Euangeliſtæ teſtimonium illud, quo proditum, ἀπὸ διετοῦς & κατωτέρω Infantes illos occiſos occidione. Quos non ſic Herodes interemiſſet, niſi edoctus à Magis reſciverat, τοῦ χρόνου, id ætatis, Regem Iudæorum natum.

? An non licet Novatori Genevenſibus in talibus aliunde a Teſtimonio cum Tibi licuit diverſum ab ipſis?

166 Neque iſthac opinione mea Eccleſiæ authoritas, quam ego ſartam tectam, imo & ſacroſanctam eſſe cupio, violatur, ſi, de die conſtanter teneatur, quem ſolum curat & deſignat Eccleſia: de anno, inſuper habeatur, quo de, nihil illa mandavit alumnis ſuis. Ad diem Ianuarii VI. per memoriam antiquiſſimam Feſtum Epiphaniæ celebravit Eccleſia, ſtellæ apparentis. Sed contra mentem & ſententiam Eccleſiæ, annum integrum anticiparunt μεταγενέστεροι. Ea mens Epiphanio, Euſebio, Origeni fuerat, totius hiſtoriæ ſacræ & prophanæ ſcientiſſimis. Hanc in ordinandâ ſua harmonia πολυμαθέστατος Tatianus ſequebatur: quos immerito reprehenſos, viri eruditi variè rejecerunt, tanquam praxin Catholicæ Eccleſiæ convellentes, cum ſoli, vel præcipui, veritati, atque ita Traditioni genuinæ, atque veræ, ὁμόσε χωροῦσι. Ita igitur, Loco dimoveri Purificatio non debet, quæ eſt anterior adventu Magorum,

rum. Neque Magorum adventus in alium diem debet comperendinari: ut ἐπὶ τὸ βαδίζοντες, purificationis primum, tum Magorum Hiſtoriam obeamus. Illam purificationis ſic exequitur ſanctus Lucas.

167 *Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis ejus ſecundum Legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, ut ſiſterent illum Domino, ſicut ſcriptum eſt in Lege Domini. Quia omne maſculinum adaperiens vulvam, ſanctum Domino vocabitur, & ut darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in Lege Domini, Par turturum, aut duos pullos columbarum.* Duplicem à Deo datam legem, per Mariam & Dominum obſervatam, Euangeliſta hac periodo inſinuat: bis enim memorat Legis diverſæ, in re diſſimili, conſummatæ: prior, puerum natum concernebat: poſterior, ſpectabat matrem puerperam. Non uno ſimul loco, aut tempore edebantur: utcunque una & eadem inſtantiâ peragebantur. De puerperæ purificatione ſancivit Moyſes Levit. 12. de primogeniti oblatione, præſentatione, redemptione, ſecundum debitum variis in locis habetur traditum. Exod. 13. 2. Exod. 34. 19. Num. 3. 45. & 8. 16. Num. 18. 16. Lex de puerperæ purificatione ita ſe habet; *Mulier, ſi ſucepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus juxta dies ſeparationis menſtruæ.* Hoc eſt, eo loco & numero habebitur, quo fœmina menſtruata: quæ, Levit. 15. ſecluſa per VII. dies, & ſola tenebatur. Quicquid illam tetigerat, immundum fuit. Sequitur autem: *Et die octavo circumcidetur infans. Ipſa vero* XXXIII. *diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget: nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis ſuæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, juxta ritum fluxus menſtrui, &* LXVI. *diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Cumq; expleti fuerint dies purificationis ſuæ, pro filio, ſive pro filia, deferet agnum anniculũ in holocauſtũ, & pullũ columbæ, ſive turturem pro peccato, ad oſtium Tabernaculi teſtimonii, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro illa, & ſic mundabitur à profluvio ſanguinis ſui. Quod ſi non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocauſtum, alterum pro peccato, orabitque pro eo Sacerdos, & ſic mundabitur.* Quam

Purificationis hiſtoria.

legem exactiſſimè B. Virginem adimplêſſe beatus narrat Euangeliſta: & unam hoſtiam ὠλοκαυτικὸν, pro ſuſcepto ſcilicet filio: alteram ἱλαστικὸν expiatoriam: utramque ὁλοκάυτωμα, obtuliſſe Deo.

168 Lege hac ceremoniali purificationis, non tenebatur B. Virgo: Nam *peperit* certe: ſed non *ſuſcepto ſemine*. Non erat immunda, juxta ritum ſeparationis menſtruæ: nullis illa ſordibus contaminabatur: clauſtrum virginitatis illæſum cuſtodiit. Virgo concepit: virgo peperit. *Totum negotium erat plenum gaudio*, ait Cyprianus, *nullus dolor, nulla naturæ contumelia in puerperio.* Ubi ergo deerant res purgandæ, quid opus ulla purgatione? Hoc autem totum factum fuerat, ut adimpleretur *omnis juſtitia*: ut exemplo præiret humilitatis & obedientiæ nobis: quo totos nos ipſos Deo offeramus. Eſt hæc communis, quod ego quidem arbitror, partium inter ſe litigantium ſententia, quam per Proſopopœiam. Virgini matri Bernardus affingebat: Serm. de purificatione. *Quid mihi opus purificatione? Cur abſtineam ab ingreſſu templi, cujus uterus nieſciens virum templum factum eſt Spiritus Sancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu, impurum fuit, nihil purgandum: nimirum quia proles iſta puritatis fons ſit. Quid in me legalis purificet obſervatio, quæ puriſſima facta ſum ipſo partu immaculato?* Sed & ſanctum virum Moyſen, quaſi ſpeciale privilegium Chriſti, vellet Spiritu Sancto ſuggerente indicare; & Mariæ matris immunitatem, legalia illa verba velut de induſtriâ, non communi quodam modo, attemperavit. *Putas ne, quia dicturus Moyſes*, ait idem Bernardus, *Mulierem quæ peperiſſet filium immundam eſſe, non timuerit ſuper matre Domini blaſphemiæ crimen incurrere, & iccircò præmiſerit, ſuſcepto ſemine? alioquin, niſi parituram prævidiſſet ſine ſemine virginem, quæ neceſsitas erat de ſuſcepto ſemine fieri mentionem?* quo modo omnes naſcuntur.

Serm. 3. de Purific.

169 Cum veniſſent Ieruſalem, ſecundum Legis præceptum *purificanda* mater, & *præſentandus* puer, quid ibi acciderit, narrat ulterius beatus Lucas. *Et ecce erat homo in Ieruſalem, cui nomen Simeon; & homo iſte juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſrael: & Spiritus ſanctus erat in eo. Et reſpon-*

ſum

sum acceperat à Spiritu Sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in sp. in templum: & cum inducerent puerum Iesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit in ulnas suas, ac benedixit Deum, dicens, Nunc dimittas, &c. Et erant pater & mater ejus mirantes super his, qui dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem ejus, Ecce positus hic est in ruinam & resurrectionem multorum in Israel: & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius, & revelentur ex multis cordibus cogitationes. Hanc & superius commemoratam historiam anniversariâ festivitate celebrat Ecclesia Dei: diem, ab illa solennitate celebrem, vocant Præsentationis, vel Purificationis: nos Anglicè, *The Purification of our Lady*: vel communi sermone potius, *Candlemas day*: à distributione & gestatione cereorum ardentium: vel etiam, quod per illum diem cereorum usus in vespertinis precibus & litaniis, per totum hyemem adhibitus, cessare soleat, usque ad Sanctorum omnium Festum anni insequentis. Graeci passim appellant Hypapantem: nimirum ex occursu illo Simeonis & Hannæ prophetissæ: cujus frequens habetur mentio in inscriptionibus & titulis Homiliarum, per illum diem habitarum: quem titulum, ut & festum eo titulo insignitum, non posse ultra tempus Iustiniani Imperatoris extendi, verissime non opinor, censuit ad Martyrologium, Cardinalis. Nicephori testimonium illa de re hoc habetur. Τὰ δὲ, καὶ τὸν τοῦ Σωτῆρος ὑπαπαντὴν ἀρτὶ τρόπως, τῆς γῆς ἑορτάζεσθαι. Quæ dupliciter intelligi possunt: nempe ut tum primum illud festum fuerit institutum, quod nequaquam prius in Ecclesia frequentabatur: aut, ut tum primum, per Edictum Imperatoris, ubique terrarum observabatur, quæ non nisi τοπικῶς prius celebrabatur. Nunc ego sensum veriorem arbitror. Nam statim subnectit, ὥσπερ Ἰησοῦ τοῦ τοῦ Χριστοῦ ἁγίαν γένεσιν. Cum certum sit, vel Chrysostomo teste, Genethlia Domini Servatoris, ad diem Decembris XXV. per totum occidentem, à vetustissima Christianitatis memoria peracta, licet apud Antiochenos, ante paucos annos.

Candlemas day.

Lib. 17. c. 28.

Vult ergo Iustinum Imperatorem, omnium primum edicto 170

edicto sanciviſſe natalitia: & Iuſtinianum Hypapantem: cum tamen utrumque feſtum anterius in Eccleſia, licet non per Eccleſiam agerentur. Extat apud Chryſoſtomum To. V. inter ἀμφιβαλλόμενα, Oratio forte Chryſoſtomi, εἰς ὑπαπαντήν: certe authoris antiqui ſatis, & ultra ætatem Iuſtiniani. Et certe juſtiſſima cauſa feſtivitatis. Majeſtas enim Domini complevit domum, quod 2 Paralip. 7. de Templo Salomonis conſtructo & dedicato dicebatur. Magna erat gloria domus illius prioris: ſed hujus tamen poſterioris major: ut Agg. 2. *Venit enim ipſe dominator Deus ad domum ſuam*: & illam præſentia ſua honoravit. Multi divitum filii, multi nobilium & magnatum, multi regum primogeniti, fuerant Deo Hieroſolymis addicti, conſecrati, & redempti: ſimilem tamen oblationē Hieroſolymitanū Templum vidit nunquam. Chryſ. to. 5. 873. Ἐλίνετο δὲ ταῦτα τυπικῶς ἵνα ὁ νόμος, ἵνα μηδὲν ἐλλείπῃ εἰς συμπλήρωσιν ὁ νόμος. Ταῦτα ἀινίγματα ὄντι νομικά, ἤλθομεν εἰς τὰ εὐαγγελικά. Sed prius tamen neceſſe eſt, ut Euangelica à Legalium imputatione hinc arreptâ occaſione vindicemus.

[171] Extat in publica Anglicanæ Eccleſiæ Liturgia forma Purificationis Puerperarum, cujus repræſentanius Latinè converſam ἄτυπον. *Primum ordinatum eſt, ut genu flectat mulier ante ingreſſum chori: cui aſtans Sacerdos, iſta dicat: Cum Deo viſum fuerit, propter infinitam ipſius bonitatem, te in partus periculis cuſtodire, & ſalvam præſtare: atque puerum ex te natum perducere ad baptiſmum, debes ei ex animo gratias agere, & ita orare: Levavi oculos meos in montes, unde veniat auxilium mihi, &c.* uſque ad finem Pſalmi 121. *Kyrie eleeſon. Chriſte eleeſon. Kyrie eleeſon. Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Et ne nos inducas in tentationem.* Reſponſio. *Sed libera nos à malo.* Sacerdos. *Salvam fac famulam tuam Domine.* Reſponſio. *Quæ confidit in te.* Sacerdos. *Eſto ei turris fortitudinis.* Reſponſio. *A facie inimici.* Sacerdos. *Domine exaudi orationem meam.* Reſponſio. *Et clamor meus ad te veniat.* Oremus. *Omnipotens Deus, qui liberaſti hanc famulam tuam à periculis parturientium, præſta, quæſumus, ut per gratiam tuam fideliter inſerviat ſuæ vocationi in hoc ſtatu conjugali, ut particeps fiat vitæ æternæ, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.*

Quæ

Quæ, quod Bucero cenſori etiam viſum eſt, ſcripturis conſentanea, calumniis, cavillis, & ridiculis quibuſdam ſannis inteſſunt, noſtri, à Genevenſibus orti, Puritani volunt ortam à Iudæis hanc ceremoniam. Quod ſi verum eſſet, non magis reprehendi debuit, quam quod Dei cultus, in locis ſacris, hoc eſt, Eccleſiis, videatur à Iudæis derivatus, cum in templo illi, & non in lucis, montibus, agris, convallibus, Deum Patrum ſuorum venerarentur. Non omnia Iudaica reprehendenda, ſed more & fine Iudaicis obſervata. ἑορτάζει Ἰουδαῖος, ait Nazianzenus. ἀλλὰ χὴ τὸ πάσχα. ἑορτάζει Ἕλλην, ἀλλὰ χὴ σῶμα, ἡ τὸν ἑαυτῆς θεὸν τὸ δὲ δαίμονας, ἑορτάζομεν ἡμεῖς, ἀλλ' ὡς δοκεῖ τῷ πνεύματι. Ita non eſt piaculum, ad exemplum Iudæorum rem quamlibet Divinam agere. Secundo, calumniantur, morem iſtum merè Iudaicum eſſe: quaſi mulier à partu levata, uſque ad expletum menſem ſuum incubationis, tanquam polluta vel profana, à ſacris, & Eccleſia prohiberetur. Impiè & malitiosè. In Lege præcipiebatur, apud Canoniſtas legitur, ut mulier, ſi maſculum pareret, quadraginta, ſi fœminam, octoginta diebus, a Templi ceſſaret ingreſſu: nunc autem ſtatim poſt partum Eccleſiam ingredi non prohibetur.

172 *Purificatio fœminarum in Anglica Liturgia.*

Orat. in S. Penter.

Diſt. 5. c. Hæc qua.

Apparet autem è Conſtitutione Leonis Imperatoris, nonnullos ad Iudaiſmum illum olim inclinaſſe: & mulierem à partu pollutam & commaculatam veluti ab omni ſacrorum participatione, etiam cupientem, etiam in extremis conſtitutam, arcuiſſe. Ita enim ille, λίαν ἐμοί γε δοκεῖαι φρονεῖν ὑπεναντία τῇ ἐκείνῃ σωτηριώδει φρονήσει, καὶ τῇ σοφίᾳ, ὅσοι μὴ τὸ φωτισμοῦ ἀξίαν ὑπολαμβάνουσι τὴν ἄρτι μὲν τεκοῦσαν καὶ ἐπάλληλον, καταλαμβανομένην δὲ ὑπὸ τοῦ φανάτου τοῦ πόλας ἐφεστῶτος, καὶ τὴν τοῦ ἁγίσματος, διὸ αὐτοὺς ἀναμένειν δίκη) (φημὶ δὲ τὴν μὴ τὴν λύσιν τῆς ὠδῖνος τεσσαρακοστὴν ἡμέραν) οὐκ ἀναβιβάντος, ἀλλὰ πάντως τοσαρπάζοντος. καὶ διὰ τὴν σωματικὴν ἀκαθαρσίαν, ἀκάθαρτον, ὡς ἀληθῶς, ἐξ ἄνω ἀπέναι καὶ τοσαυτοραβδίζεσθαι ταύτην ἀμυσταγώγητον ὄσαν, &c. Tam ſancito edicto ſtatuit, *Quocirca ſtolidiſsimam hanc fatuitatem, omnino, & penitus, futuris temporibus abolitam eſſe cupientes, de mulieribus partu levatis, & menſtrua purgatione laborantibus ſi minus ipſarum ſalus aliundè, morboſa quadam diſpoſitione, non infirmetur, ut*

173

Pag. 442. Libri à Stephano excuſi.

quæ

quæ baptismo initiatæ non sunt, expectent baptismum: quæ jam lavacro sint regeneratæ, communionis participatione abstineant, usque ad terminum XL. *dierum constitutum. Quod si ægritudine corripiantur, adeò ut de vita periculum adeant, omni modo volumus, ut sacrorum mysteriorum participes fiant.* Addit deinceps & ista, ex animi sui sententia, de legali illa veteri constitutione. Quod profectò, non tam propter muliebrem immunditiem, quam ob alias causas, in intima Legis ratione reconditas, & veteri prohibitum esse lege, & Gratiæ tempus Traditionis loco suscepisse puto. Existimo, siquidem, antiquam legem ita præscripsisse, qui protervam eorum, qui intemperanter viverent, concupiscentiam castigaret. Longè ergo abhorret à Iudaismo, & non tam *necessitatis*, quam *convenientiæ* rationem in hoc instituto, Ecclesia observat: quo recluſa domi ad tempus, & negotiis libera, magis Deo vacet: & vicinarum visitationibus refocillata cum iisdem, ut solet, sæpius interveniente occasione, de Divina bonitate, providentia, protectione, sermones serat: & Ecclesiam, post mensis recessum, ingressa, quasi de novo admissa, ardentius amplectatur. Ita enim fieri, humanitus solet, ut illa quibus caremus ambiamus. Atque ita in viam tandem de diverticulo.

174 *Simeon non Sacerdos.*

Quæsitum est, an Simeon ille Iustus, qui Dominum Iesum Christum, in Templo præsentatum ἐγκαλίσατο, Sacerdos fuerat, & tanquam, qui de familiâ Aaronicâ esset, Sacerdotale aliquod officium in templo exercebat? sunt qui affirmant, sunt qui negant: sed sectâ potius fuisse Pharisæum, & in Divina lege Scribam exercitatum. Illustrissimus Baronius videtur inter illos suum nomen profiteri, qui pronunciant Sacerdotem: Imo plus quam videtur: certò statuit, & illam sententiam extra omnem contradictionis & controversiæ aleam positam; utpote B. Lucæ insinuatione & communi Patrum sententiâ stabilitam. Probaturus enim Simeonem non fuisse cæcum, quemadmodum in fabulis quibusdam ferebatur, ad locum illum provocat, Legis Divinæ, Levit. 21. ubi luminibus captus, ad altare, vel sacrum ministerium in Templum Domini non admittebatur. Hæc autem probatio, Simeonem nempe haud fuisse cæcum, non proceder, nisi concedatur,

tur, fuiſſe illum è tribu & ſodalitio ſacerdotum.

Figmentum illud de cæcitate Simeonis eat, quo meretur, ad cloacas. Baronius aſſertionem ſuam de Sacerdotio Simeonis rotundè confirmat, teſtimonio omnium fere Patrum et Eccleſiæ, in Imaginibus. Patrem non nominat, nedum patres. Citati patres non reſpondebunt: niſi forſan Carthuſianus aliquis, Lira, Ludolphus, ſimiles. Non quidem Patres, tamen conditione, & ſtatu digniores, quam neſcio qui Græculi pſeudopigraphi: Cyrillus Hieroſolymitanus, homilia in Hypapantem, aut Epiphanius in vitis Prophetarum, vel ſimilis notæ hibridæ. Certè, nihil refert, fuerit, annon fuerit Sacerdos. Ianſenium, Barradium, Caſhium ſequer potius, qui non fuiſſe rentur Sacerdotem. Quod & Theophylactus, & Enthymius, ſequuti vetuſtiores arbitrantur. Imaginaria illa ἀποθέωσις de parietibus eſt probatio quædam fundata in Pictoribus & Poëtis: indigna quidem Annalium gravitate, & authoris multiplici eruditione, ac judicio ſolidiori. Euthymii argumentũ majoris multò eſt momenti, & Imagines deturbat in latrinas. *Non erat ergo Simeon*, Theophylactus ait, *Sacerdos, ſed homo Deum amans*. Ille autẽ ſequebatur vetuſtiores. 175

Verũ Simeon dicitur ab Euangeliſtâ, benedixiſſe B. Virgini. Quid tum vero? Hoc nunquã feciſſet non Sacerdos, cujus muneris portio non poſtrema fuit, Populo in Dei Nomine Benedicere. Plumbeũ en autẽ pugionẽ! Erat quidẽ olim, & etiamnũ eſt, inter rationes ſacerdotales, ut in ſacris, peracto Sacrificio, Populo Sacerdotes, & vellent, & poſſent, & ſolerent, ac deberent etiã Benedicere. Neq; populo tantũ & Plebeculæ, ſed Magnatibus & Monarchis, qui non inviti capita ſua ſummittebant manibus Benedicentiũ Sacerdotũ. Forma Benedictionis in Iſrael uſurpatæ Sacerdotalis, à Deo præſcripta extat Num. 6. ad finẽ Capitis. Quæ, & dicitur ab iiſdem etiamnũ retenta adhiberi; manibus elevatis in quatuor mundi plagas, ſurſum, deorſum, ſiniſtorſum, dextrorſum. Verũ, non ſoli benedicebãt olim Sacerdotes. Pharaoni dicitur benedixiſſe Iacob: qui, utcunque fuerat, jure Primogenituræ, ante Levi ſe paratũ, Sacerdos: erat tamen illo munere fungens intra ſolos privatos parietes, non extra, vel per totã terram Ægypti: Sed 176 *Benedictio ſacerdotalis.*

benedixit Iacob Pharaoni: hoc eſt, omnia, bona, proſpera, fauſta, fœlicia, eidem apprecabatur. Eſt quidem omnis benedictio poteſtatis cujuſdam indiciũ & character: *Major*, ſiquidẽ, *benedicit minori*, ſed non *Deſpoticæ* vel *Abſolutæ*.

177 Benedixit ergo Simeon Illis: hoc eſt, πάντα καλὰ, θεοφιλῶς, ἱερὰ de Parentibus & Puero, (nam Benedictio hoc in loco, includit illum) prædicabat. Summa & eximia omnia illis annunciavit de puero, Spiritu dictante & dirigente. Rectè Barradius Ieſuita: *Benedixit Simeon Virgini, Ioſepho: fortè & Infanti omnium benedictionum fonti: non benedictione Sacerdotali; ſed laudis & proſperitatis.* Cuncta enim fauſta, proſperaque precatus laude illos proſecutus eſt, fælices appellans & beatos.

178 Lucas igitur ne quidem inſinuat Simeonis Sacerdotium. Patres non agnoſcunt: contrarium potius: quod & illud inſinuat apud Chryſoſtomum. Τo.5.p.873. Ἔμενεν δὲ τῷ ναῷ, ἐκεῖνο λέγων, παρ' ἑαυτῷ ὅτι, ὅπου ἐὰν γενηθῇ, πάντως συζῆθα ἀπαντᾷ. πολλάκις ἦλθεν, ἀλλὰ καθ' ἰδίαν προσῆλθεν. De eo loquitur, cujus vitæ rationes non illum neceſſario Templi miniſteriis adſtringebant. Imagines ergo illæ, per Eccleſias conſtitutæ, cæcæ, de cæco Simeone, ſi quæ ſunt, (noſtræ enim feneſtræ & parietes, quæ furorem effugerant Iconoclaſtarum) nec cæcum repræſentant, nec Sacerdotem. Et tamen fatendum eſt, vel impietatem, vel inſcitiam aliquorum, diverſimodi, per parietinas & feneſtrinas imagines, luſiſſe & illuſiſſe hominum ſimplicitati: Nam diabolum Chriſti πειράζων, Monachum nobis cucullatum, Chriſtum inferni triumphatorem, tanquam Iovis alicujus pocillatorem; aut Cæſaris alicujus Romani ἀποτεθεωμένου animam, Aquila ſubvectore, in cœlos ſublatum comminiſcuntur. Sanctiſſimam Trinitatem, ineffabilem, inviſibilem, incomprehenſibilem, tricipitem nobis, tricorporem, triformem neſcio quem, horreſco referens, repræſentant. Quæ cum ſexcentis aliis deliris blaſphemis, pictorum luſibus & impoſturis, credulæ plebeculæ, & inhianti, imponerent, non ſunt ad Simeonis ſacerdotiũ applicanda. Utar itaque tua concluſione, graviſſime Baroni, de Cæcitate, *Cum nullus antiquorum Patrum, Simeonis cæcitatis, vel ſacerdotii reperiatur aſſertor illam hiſtoriam, velut apocryphum, rejectam fuiſſe, argumento eſt.* Sequitur apud Euangeliſtam. Et

Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser: hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem à virginitate suâ: & hæc vidua, usq; ad annos LXXXIIII. *quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die. Et hæc, ipsâ horâ superveniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo, omnibus, qui expectabant redemptionem in Israel. Anna, interpretatur Gratia,* inquit Hieronymus ad Furiam; *Phanuel, resonat Vultus Dei: Aser, vel in beatitudinem, vel in divitias, vertitur. Quia igitur ab adolescentia usque ad* LXXXIIII. *annos, onus viduitatis sustinuerat, & non recedebat à templo, diebus ac noctibus, insistens jejuniis & obsecrationibus: iccirco meruit Gratiam spiritualem, & nuncupari, Filia vultus Dei: & atavi Aser beatitudine ac divitiis censeri.* 179 18.

Hanc viduam, divino testimonio ita commendatam, doctissimus Annalista, à Cyrillo Catechismo X. *religiosissimam monialem* appellatam narrat. In quo dupliciter peccatum est. Primum, quod secutus interpretis vitiosam versionem, *Monialem* vocat: tum quod sine interprete, *religiosissimam* dixit *monialem*, quasi religionem, ut vocant, ingressam. Cyrilli verba sunt: μαρτυρεῖ ἡ Ἄννα προφῆτις, ἐγκρατὴς, θαλαβεστάτη, & ἀσκήτρια, περὶ αὐτοῦ, interpres vertit, *Et Anna Prophetissa continens, religiosissima, & monialis testatur de ipso.* Laudat illam Cyrillus à professione: erat ἐγκρατὴς, & ἀσκήτρια, & à professionis sanctitate: erat in utraque, tum alcesi, tum continentiâ, summa cum religionis curâ, versata: talis omnino & per omnia, quales deinceps, futuris temporibus ἀσκηταὶ & ἀσκήτριαι, rigidissimæ regulæ sectatores visebantur. Non omnes professæ Moniales, una cum religione, stola indutæ, aut velatæ, tanquam de Circæo aliquo poculo statim immutatæ, religiosissimæ dici vel censeri poterant. Monialē male vertit interpres: solitariam vox, vitam & sequestratam significat: non illam Anna profitebatur. Professionem solennem illa indicat: hoc est, votum & convictum conventualem ad summum: ut illa μονότης etsi non totalem, tamen vulgarem indicet sequestrationem. Multi olim ἀσκηταὶ, ad miraculum in stadio pietatis & studio professi fuerant, qui tamen nec voto obligati, nec cucullo induti, nec inclusi parietibus, vitam 180

Anna num Monialis?

agebant ſolitariam, ſed duriſſimam illam ἀναχωρησιν, & difficillimam carni συμπαθειαν libenti animo amplectebantur, & rigidiſſimè in ſeipſos, per totum vitæ curſum, exercebant.

[181] Hanna fuit ἀσκήτρια, & σκληρόδωρος, mundum ſibi, ut nos loquimur Chriſtiani, ſe mundo crucifixerat. γραῦα καὶ σώφρων, quo titulo illam ornat Nazianzenus, in templo, non recluſa, ſed frequens, exercitiis vacabat pietatis. Non ita, ut tanquam Nonnæ, vel Recluſæ potius, nunquam inde digrederetur: aberat enim, quæ ſupervenit. Rectè Barradas Ieſuita: *Quæres an Hanna in Templo habitaverit? ſiquidem à Templo non recedebat: Reſpondeo, hunc loquendi modum, maximam frequentiam indicare, ac quotidianam.* Cum enim Hanna vidua eſſet, curis vacua, ἄπαις proculdubio, nec implicita negotiis ſæcularibus, vitam ſuam Deo conſecrabat, ita ut pietatis exercitiis omni tempore in Templo, qua fœminis licitum, adeſſet. Hæc illius ἄσκησις & θυλάκεια. Templum quotidie ventitabat: hoc eſt, in atrium fœminarum, ibiq; vacabat orationi, ita tamen, ut intereà ſomni aliquid cibique caperet, domumque ſuam ſubinde repeteret. Ieiunantes, vacantes orationi, Deum frequentius adorantes, condictis quaſi horis & ſtatis temporibus, vel quibuſcunque potius arreptis occaſionibus, ἀσκηταὶ erant & dicebantur, ἀσκήτριαι fœminæ, iiſdem exercitiis aſſuetæ, vidit hæc ita eſſe Bulengerus. Quocircò, deſertis hìc Annalibus tranſivit in partes Caſaubonianas. Hiſce autem omnibus ad hunc modum tranſactis: ſecundum præſcriptum Moſaicæ legis, de Ieruſalem reverſi ſunt Bethleem: ubi uſque ad Magorum adventum, & abſceſſum, in conductâ, ut credibile eſt, domo habitârunt. Atque ita primus annus Ieſu Chriſti incarnati ad finem perductus eſt: in quo Nativitas, Circumciſio, Præſentatio continentur: ad Magorum jam hiſtoriam progrediamur.

ANNUS

Annus JESU CHRISTI *ſecundus, à* XXV. DECEMBRIS.

SEquitur annus JESU CHRISTI ſecundus, cujus maxima pars ſub Conſulatu C. Cæſaris Auguſti filii, & L. Æmylii Pauli decurrebat. Magna autem ejuſdem pars, cum anno XLIIII. Imperii τῆ ὅλῃ, Auguſti & XXXII. Actiacæ victoriæ cõgruebat. Quem, Magorum, ab Oriente adventus, & Chriſti coram adoratio: Chriſti demum in Ægyptum fuga & ἀποδημία. Infantum denique Bethleemiticorum cædes & laniena nobilitârunt. Quibus, in ſpeciem tantum, Hiſtoricè narratis apud Euangeliſtas, Iudæorum interitus & rejectio, Gentium acceſſus ad Deum & adoptio, myſticis quibuſdam involucris deſignabantur. Τὰ γὰρ μικρὰ & φαινόμενα, ſunt plerunque in ſacris literis, ἀπὸ μεγάλων & μὴ βλεπομένων. Protritum eſt, quod ſcribitur Iudic. 6. de vellere Gedeonis; Priore quidem nocte, vellus ovinum, cœleſti humore madefactum, aquam ſatis copioſam, in tellurem ſuppoſitam, ſed deſiccam prorſus aridamque, exinde expreſſam derivabat. Vice versâ, per ſequentem noctem, ne guttulam humoris vellus imbiberat, cum tamen ſubjecta tellus, humore perfuſa irrigaretur. Omnia olim, illi populo, quod Apoſtolus ſcivit, contingebant in figuris. Et inter illa, Omnia, etiam hoc ὁ τύπος ferebatur: umbræ erant, nimirum, futurorum. Vellus autem Gedeonis, eſt populus Gedeonis: hic eſt Iſrael ſecundum carnem & literam. Erant enim Iſrael, tanquam ovis in montibus, & pecus in paſcuis Divinæ bonitatis. Illum Dominus, præeundo, induxit in terram Repromiſſionis, mellis & lactis fœcundiſſimam. Interea Gentium horrida & inculta Corda, erant quaſi terra ſubjecta velleri Gedeonis, quam Divini

roris & favoris, quoad spiritualia, ne guttula tenuissima, nec Gratiæ Divinæ fœcundantis levissimus humor, de cœlo madefecerat. *Quippe notus erat tantum in Iudæâ Deus, & magnum in Israel Nomen ejus; Gentes autem, neque Legis, neque Nominis Divini scientiam ullam habebant vel cognitionem: sedentes in tenebris & umbra mortis.* Verum dispersio illa Gentium, congreganda in caulas Israëlis, miserationis Divinæ, illo rore perfusæ & à Deo recreatæ, ad æternam salutem confirmabantur. *Quid vellus complutum, areâ siccâ? & posteà, compluta area, vellere sicco? nisi primò una Gens Hebræorum, habens occultè in sanctis mysterium Dei, quod est Christus, quo mysterio totus orbis vacuus erat: nunc autem in manifestationem, totus orbis id habet, illa autem vacuata est.* August. c. Faust. 12. 32. & iterum, Serm. 2. de verbis Apostoli, Cap. 10.

2 Præclaræ istius sortis possessionem: Magi, omnium principes & primi adierunt: Gentium primitiæ & Patriarchæ. *Hoc signum gratiæ illius,* ait 5. Lev. *sine dubio Sacramentum fuit, & illius vocationis exordium, quâ nimirum, non in Iudæâ tantum, sed in toto etiam mundo Christi fuit Euangelium prædicandum. Manifestatus est autem Christus,* ait Augustinus, *iis, qui propè sunt, & iis, qui longè. Iudæis, in Pastorum propinquitate. Gentibus, in Magorum longinquitate.* Longinqui scilicet, & remoti erant, tam locorum disparatione, quam Religionis affectu. De Magis autem istis hunc in modum narrat Euangelista sanctus Matthæus. *Cum ergo natus esset Iesus, in Bethleem Iuda, in diebus Herodis Regis, Ecce Magi, ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes, Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.*

3 Magorum Historiam enarraturus, mellitissimus pater Iohannes Chrysostomus, ad ista velut capita disquisitionem suam omnem restrinxit,

To. 2. pa. 35. *Qui genus? unde domo? quibus aut venistis ab oris?*
Quove tenetis iter? ———

hoc est, Τίνες ὅτοι; πόθεν ἦλθον; πῶς; πινὸς ἀυτοὺς πείσαντος; ἢ πίσο ἀσπὶρ; Quod ad primam Chrysostomi quæstionem attinet, Τίνες; Qui genus, quales ortu vel conditione? cum Scriptu-

ra

ra diſertis verbis Magos appellet; & nomen illud plerunque in malam partem, pro malefico accipiatur, rarò autem, atque illud etiam τυπικῶς in partem bonam, quæſitum, & anxie diſputatum eſt, an fuerant illi Magi, qui appellantur reverà malefici & præſtigiatores? Cui quæſtioni, ut melius & plenius ſatisfiat, de nominis Magi notione, altiùs quædam paulo repetemus.

Vox illa Magus, origine videtur Perſica. Ridiculum eſt quod legitur apud authorem Etymologici Μάγος, παρὰ τὸ μαίεσθαι, τὸ μαλάσσειν ἀφ' ἧς μαγεῖαι ἐμπλάστρων τε μέλλοντα προλέγειν. quaſi Chirurgi fuiſſent Magi, & per emplaſtra, ἐπῳδὰ φάρμακα, magicis quibuſdam incantamentis ſacrata, futura prædicerent: rectiùs Heſychius, Μάγους οἱ Πέρσαι οὕτω λέγουσι. & Suidas, Μάγοι παρὰ Πέρσαις οἱ φιλόσοφοι. Et Cicero, *Hoc genus ſapientum habebatur in Perſia*: & in 4. περὶ ὑποχῆς clariſſimè Porphyrius, παρά γε μὲν τοῖς Πέρσαις, οἱ περὶ τὸ θεῖον Σοφοὶ, καὶ τοῦτο θεραπεύοντες, Μάγοι μὲν προσαγορεύονται. τοῦτο γὰρ δηλοῖ, κατὰ τὴν ἑκάστων αὐτῶν ἀφέλειαν, ὁ Μάγος. *Apud Perſas illi, qui in rerum divinarum ſcientia verſantur, appellantur Magi, & divinum cultum attendunt. Hoc enim patria ipſorum linguâ ſonat vox Magus.* Ideo Magus apud Heſychium, Grammaticorum doctiſſimum, exponitur, θεολόγος, θεοσεβὴς ἱερεύς. Idem docet quoque Suidas, qui φιλοσόφους reddit, & φιλοθέους: ſed quod addit, ὧν ἦρχε Ζωροάστρης καὶ κατὰ τοῦτον, κατὰ Δαδοχὴν Οσάνας καὶ Ασπάμψυχος, non perindè verum eſt. Non enim Magorum, φιλοσόφων, & φιλοθέων, & θεοσεβῶν, impii & impuri, Zoroaſter, Oſtanes, & Aſtrampſychas, vel imperitabant, vel præſidebant, ſed malificis: nec ſacerdotes erant illi, ſed ſacrilegi. 4 *Magi nomen*

Et quidem de Zoroaſtre, ponitur in confeſſo. Eſt enim ille, nominatiſſimus Græcorum memoriis & Romanorum, quem Nino σύγχρονον, Abrahamo faciunt vetuſtiorem: ipſummet Cham Noachi filium maledictum. Ζωροάστρην, τὸν Μάγον, τὸν Πέρσην Πυθαγόρας ἐδήλωσεν, ait Clemens in ſ. ρωμ. quaſi ante Pythagoram Zoroaſter Græcis penitus ignotus fuiſſet. Magos enim & Chaldæos audivit Pythagoras. Χαλδαίων, non χαλκιδέων, quemadmodum ridiculè editum eſt ab eo, qui Iamblychum fœdiſſimè verſum in lucem dedit. Scripſiſſe autem Zoroaſtrem βίβλους ἀπο- 5

κρύφους,

χρύφως, retulit idem plurimos, qui apud Prodici ſectatores in magno numero & pretio habebantur: nimirum, vicies centum millia verſuum, ſi Hermippo fides apud Plinium. Lib. 30. ca. 1.

6 Oſtanis & Aſtrampſychi nomina, non ſunt tam celebria apud Græcos, quam Zoroaſtris: nedum apud Latinos. Sed, quod videtur, erant apud Perſas nominatiores: utpote, à quibus Magi Oſtanæ & Aſtrampſychi dicebantur. Οζάναι, φρώτιν τῶν Πέρσαις μάγοι ἐλέγοντο κτλ. Μαγδολήν Οζάνης. Magi apud Perſas Oſtanæ dicebantur, utpote ab Oſtane derivati. In quo loco apud Suidam male legitur ὁ παύνης, pro Οζάνης. Cujus aliud teſtimonium ita lege & diſtingue in voce Αστρονομία. Πρῶτοι βαβυλώνιοι ταύτην ἐφεῦρον ἀφ' Ζωροάστρου μεθ' ὃν ἦν ὁ Οζάνης. οἱ ἐπέσησαν τῇ ἀστρονομίᾳ κατόπιν τὰ περὶ τὰς πικτομένους συμβαίνοντα. Erant ergo Apoteleſmatici, & Genethliaci.

Suidas correctus.

7 Videntur porro Magi, nomen hoc derivatum à Gente aliqua, & inclitum accepiſſe, quemadmodum & Chaldæi ſuum ſuſceperunt. Magos autem inter Mediæ populos recenſet Herodotus, Muſa primâ: & Strabo in XVI. Stephanus breviter. Εἰσὶ καὶ Μάγοι, ἔθνος τῶν Μηδικῶν. Origen. li. VI. in Celſum. Ἐξ ἧς δὲ τούτοις συνθεότητα, ἐξ ἀρχῆς ἔδοξε. Κέλσῳ λεγεῖν ἔθνη, χαλδαίους, ἀφ' ὧν ἡ ἀπάτηλος γενεθλιαλογία νενέμηται τοῖς ἀνθρώποις. ἀλλὰ καὶ μάγους τοῖς συνηθεστάτοις καταξιοῖ, ἀφ' ὧν ἡ παρανόμος τῶν ἐθνῶν αὐτῶν μαγεία, καὶ τοῖς λοιποῖς ἐθνεσιν, ἐπὶ διαφθορᾷ καὶ ὀλέθρῳ τῷ λεγομένων αὐτῇ, ἐπιδεδήμηκε. Et Suidas in voce Aſtronomia. Μαγεία καὶ ἀστρονομία ἀπὸ Μαγουσαίων ἤρξαντο. οἱ γάρ τοι Πέρσαι, Μαγῶν υἱοὺς τοὺς ἐγχωρίων ὀνομάζουσι. καὶ Μαγουσαίους αὐτούς. Vult Magos ergo, & Maguſæos, unam & eandem fuiſſe gentem: quam & ipſam, patria ipſorum linguâ, appellatam Magog. Bardeſanes, Syrus origine, in libro contra Fatum, apud Euſebium lib. VI. de præpar. ſcribit, Maguſæos vocari illos Perſarum, qui nefanda matrum connubia frequentabant: de quibus plura dicemus in ſequentibus. Quod vero ſcribit, appellatos Magog, alludit ad nominis & appellationis originem. Magi erant Magog: hoc eſt, ſacri vel ſancti: id enim Magog apud Syros indicabat: & colligitur è Plinio lib. 5. ca. 23. *Cœle Syria habet Apamiam, Marſya amne diviſam à Nazerinorum Tetrarchia & Bambycem: quæ alio nomine*

mum Hieropolis vocabatur: Syris vero *Magog*. Itaque Magi Magog erant, hoc eſt, ſancti apud Perſas, quos ideo Græci ἱερεῖς, ἱερὰ ἐπιδεδεικότας, ἢ ἱερεῖς indigitarunt, ſive autem a Gente, ſive a profeſſione, & linguæ proprietate, derivetur Magus, & nomen & nominis ἀπαρέμφατον Perſicum plane fuit, & a Perſis ad alias nationes peragravit.

Erant ergo (uti par fuit, viros eſſe ſanctos atque ſacros) 8
ἀνδρώπους apud ſuos. Porphyr. in ἀπόκρισις πρὸς Βοηθὸν. ἔστω δὲ μέγας ὁ ἀνδρώπους γένος τοῦτο, παρὰ Πέρσαις, νομιζόμενος, ὅτι ὁ Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου ἐπιγράψαι τῷ μνήματι, παρὰ τοῖς ἄλλοις, ὅτι τῶν μάγων γένοιτο διδάσκαλος. Vbi nuperus interpres, inſulsè quod ſolet, doctorem transformat in diſcipulum. Verit enim: *Hoc genus hominum, ita Perſis, propter religionem commendatur, ut Darius Hyſtaſpis filius, ſuo monumento, inter alia inſcribi juſſerit, quod Magorum fuiſſet diſcipulus.* Quod quidem verum eſt: non tamen hoc in loco. Μάγοι non ſunt μάγοι: nec διδάσκαλος μαθητής. Docuerat magicam diſciplinam alios, quum, verum eſt, aliorum prius diſcipulus, a ſuis magiſtris didicerat. Didicerat autem Darius, a patre ſuo edoctus, qui, per illa tempora, cum præcipuis rituum & rerum magicarum peritis cenſebatur. Ammian. Marcellinus, lib. 43. *Magiam, opinionum inſignium author ampliſſimus Plato, Machugiſthiam eſſe, verbo myſtico docet, Divinorum incorruptiſsimum cultum. Cui ſcientiæ, ſæculis priſcis, multa ex Chaldæorũ arcanis, Bactrianus addidit Zoroaſtres.* (quaſi illo fuiſſent antiquiores Chaldæi) *Deinde Hyſtaſpes, prudentiſsimus Darii pater, qui cum ſuperioris Indiæ ſecreta fidentius penetraret, ad nemoroſam quandam venerat ſolitudinem, cujus tranquillis ſilentiis præcelſa Brachmannorum ingenia potiuntur, eorumque monita, rationes mundani motus & ſyderum: puroſque ſacrorum ritus, quantum colligere poterat auditus, ex his quæ didicit, aliqua Magorum ſenſibus infudit: quæ illi, cum diſciplinis præſentiendi futura per ſuam quiſque progeniem poſteris ætatibus tribuunt.* Nam, quod etiam apud Ægyptiorum ſacerdotes uſurpatum narrat Diodorus Siculus, Magi per hæreditatem, diſciplinam illam πατροπαράδοτον derivabant. Erat autem, quod notum eſt, Hyſtaſpes, inter nobiliſſimos Perſarũ Satrapas, Cyri regis patruelis. Neq; enim principes viros pudebat olim divinis rebus & ſacris ſe immiſcere.

9 Erant autem & apud alias Gentes, etsi non eodem nomine vocarentur, iisdem tamen fere disciplinis & institutis & professi: τὸ τῆς φιλοσοφίας ἔθνος, ita librum suum auspicatur Diogenes Laertius ἐντεῦθεν φασὶν ἀπὸ βαρβάρων ἄρξαι. Et rectè quidem: Nam sacrarum literarum testimoniis constat, verum hoc esse; & fusissimè probatur per Eusebium,

8 Clementem Alexandrinum, alios, quorum disputationis, in hac parte, summam, ita prosequitur Laertius ubi suprà: γενέσθαι δέ, φασὶ μὲν Πέρσαις μάγους, φασὶ δὲ Βαβυλωνίοις καὶ Ἀσσυρίοις, Χαλδαίους, καὶ Γυμνοσοφιστὰς φασὶ Ἰνδοῖς. φασὶ τε Κελτοῖς καὶ Γαλάταις τοὺς καλουμένους Δρυΐδας καὶ Σεμνοθέους, καθάπερ Αἰσχίνης ἐν μαγικῷ. Quem ad locum Laertii doctissimus Casaubonus notat: sunt qui legunt in hoc loco pro Σεμνοθέους Σαμοθέους: quod commentum ait esse à pseudo Beroso deductum: sed non ille primus hunc lectionem censuit commentitiã, ante illũ, in lucem editũ, doctissimus noster Caius, vocem illam damnaverat, Σαμοθέους, & σεμνοθέους legendũ contenderat. Quod vero addit doctissimus Casaubonus, apud Stephanum in voce Δρυΐδαι hanc lectionem reperiri, hallucinatio est. Nihil habet Stephanus de Samotheis planè vel σεμνοθέοις: illius verba sunt, Δρυῖδαι, ἔθνος Γαλατικὸν, φιλοσόφον, Διογένης Λαέρτιος ἐν φιλοσόφῳ ἱστορίᾳ: Hæc ille: neq; quicquam addit ulterius. Ita vir doctissimus, memoriâ lapsus, Stephanum frustra compellabat.

Lib. 1. de Antiq. Cant.

10 Sed profecto, si quid immutandum, legendum censerim Σαμαναίους: è Clementis Alexand. Strom. primo. Φιλοσοφία τοίνυν, inquit ille, πολυώφελές τι χρῆμα, πάλαι μὲν ἠσκήσατο παρὰ βαρβάροις τισὶ καὶ ἔθνη διαλάμψασα. ὕστερον δὲ καὶ εἰς Ἕλληνας κατῆλθε. προέτρεψαν δ' αὐτῆς Ἀσσυρίων τε οἱ Προφῆται. καὶ Ἀσσυρίοι, οἱ Χαλδαῖοι. καὶ Γαλάταις, οἱ Δρυΐδαι ἢ Σαμαναίοις, Βακτρίων καὶ Κελτῶν οἱ φιλοσοφοῦντες ἢ Περσῶν Μάγοι Ἰνδῶν τε οἱ Γυμνοσοφισταί, ἄλλοι τε φιλόσοφοι βάρβαροι. Qui omnes erant vetustissimis Græciæ doctoribus anteriores. Samanæorum porro meminit & Origenes, in 1. contra Celsum. Εἰ δὲν τοίνυν λυμηθῶμεν τῷ προηγουμένῳ λόγῳ παραστῆσαι φύσιν ὀνομάτων ἐνεργῶν, ὧν παρὰ μὲν Ἀσσυρίοις οἱ μὲν σοφοὶ, ἢ τῶν παρὰ Περσαις μάγων οἱ λόγοι, ἢ τῶν παρὰ Ἰνδοῖς φιλοσοφούντων Βραχμανῶν, ἢ Σαμαναίων. Quo loco vel addendum, παρὰ Κέλτων, vel legendum, non Σαμαναίων, sed Σαρμαγῶν. Nam ut Samanæi erant apud Celtas:

Sar-

Sarmanæ autem & Brachmannes apud Indos. Nam de Indorum Philoſophis Clemens, ubi ſupra, hæc addit, Διῃρῆσθαι τρόπων δ' γένος. ⓐ μὲν Σαρμαναὶ αὐτῶν. ⓑ δὲ Βραχμαναὶ καλοῦμενοι. ὧν τῶν Σαρμανῶν ⓐ ἀλλόφυλοι περσαγορεύομενοι, οἵτε πόλεις οἰκοῦσι, καὶ στέγας ἔχουσι. δένδρων δὲ ἀμφιέννυνται φλοιοῖς, καὶ ἀκρόδρυα σιτοῦνται, καὶ ὕδωρ πίνουσιν. ἀγάμων, καὶ παιδοποιΐαν ἰσχύουσιν, ὥσπερ ⓐ νῦν ἐγκρατεῖς καλούμενοι. Locus eſt inſignis ſcriptoris πολυμαθεστάτου, quem intactum non poſſum præterire.

Strabo imprimis, è Megaſthenis Indicis, Philoſophorum apud Indos diſtinctionem facit triplicem, vel duplicem ſaltem, ut eſſent vel Campeſtres, vel Montani: quorum alteri Bacchum: Herculem imprimis colebant alteri. Secundò, dividebantur in Brachmannas & Germanas. Poſtremò, in Brachmannas & Bramnas, vel Praminas. Vocat autem Germanas, non alios, quam quos Sarmanas appellat Clemens. Inſtituta τῆς ὑλαβίων vel ſylveſtrium, ac montanorum erant, quæ deſcribit idem Strabo. Τοὺς μὲν ἐλλογιμωτάτους ὑλοβίους (& ita legendum apud Clementem, non ἀλλοβίους, quod doctiſſimus & diligentiſſimus Sylburgius non animadvertit) φησὶν ὀνομάζεσθαι ζῶντας ἐν ταῖς ὑλαῖς ἀπὸ φύλλων καὶ καρπῶν ἀγρίων. ἐσθῆτι δὲ φλοιὸν δένδρων, ἀφροδισίων χεῖρας καὶ οἶνον. Narrat autem, iſtorum præcipuos & colendiſſimos Hylobios nominari: quippe qui in ſylvis viverent, victitantes foliis & fructibus agreſtibus: pro veſtitu arborum corticibus utebantur: Vino & Venere abſtinebant. Aſcetarum & Scleragogarum vitam, ita exercebant; quibus eos proculdubio Clemens eruditus ille adſimilaſſet, & non Encratitis: ſi ulli tum Aſcetæ extitiſſent.

Quocirca Philoſtratus, in tertio de Apollonio, eos appellat, οἰκοῦντας ὑπὲρ τὴν γῆς, καὶ ἐπὶ αὐτῆς. Hoc eſt, ut cum ſacris literis de Paganis loquamur, *Vtebantur mundo, tanquam non utentes*. Quam tamen illi ἐγκράτειαν magnâ ex parte adhibebant, ad populum faciendum: & φιλοδοξίας χάριν, non ſincerè. Erat tamen admirabilis planè, cùm ἐν πόνοις, tum ἐν ἀτρεμίαις. Niſi forte legendum, ἀτιμίαις: nam immoti, nec mutati, geſtu, loco, habitu per integrum diem, ut Stylitæ deinceps qui dicebantur, conſiſtere ſolebant, planihomines & impoſtores medicinam facere ſe præferebant: unde & Ἰατρικοὶ dicti: ſed μετὰ σπουδῆς τοῦ πλέον,

non ἀφὶ φαρμάκων. Inter φαρμακθύματα præcipue adhibebant ὄπὶ λχιςα & καταπλάσματα. Reliquam partem medicinæ, præter hanc Chirurgicam, rebantur χειρυργίας τὸ πλέον μετέχειν.

13 Et fortaſſis ad hunc Strabonis locum reſpiciebat Etymologus, cum Magos deduceret, ὡδὶ τὸ μάσω: hoc eſt, μαλάσσω. Nam generali quadam acceptatione, omnes omnium Gentium Philoſophi vocabantur Magi, & inter iſtos Brachmannos circumforaneos agyrtas in ſequentibus commemorat Strabo, qui multis modis per ſuas impoſturas populo πεφενακισμθύφ illudebant. Nimirũ jactabant ſe, per ſua emplaſtra & inunctiones, πολυγόνυς ποιεῖν, & ἀῤῥ ἐνογόνυς, vel ϑηλυγόνυς: uſitato more, apud ejuſmodi, etiamnũ nebulones, agyrtas. Docet inſuper idẽ & eoſdem fuiſſe μαντικὺς, & ἐπῳδὺς, ϗ τὴν, ὡς τὺς καταχομθύνυς λόγων ϗ νομίμων ἐμπείρυς: hoc eſt, fuiſſe Necyomantas: & κωμικὸν victum ſuum mendicaſſe. ἐπαιτῆνας, ϗ κτὶ πόλεις, ϗ κτὶ κόμας. Quæ certiſſima fuerant indicia, & characteres impoſtorum. Sed & Nonnus tanquam tales deſcribit:

Lib. 36. Dionyſ.

Γυμνοί μθν γεγάασι, ϑοοχλέτοις δ' ἐϊκαφδαῖς
Πολλάκις ἡ ερόφοιτον ὁμοί ιον ἄζυγι ταύρῳ,
Ουρανόθεν καταϐάντες ἐφαρμαίξαντο σελήνῃ.
Πολλάκι δ' ἱππόθυντον ἐπειγομένων ὄπὶ δίφρων,
Ασαθέος φαέθοντος ἀνεσπίζαντο πορείῃ.

14 Aliam porrò diſtinctionem è Clitarcho adducit Strabo, nẽpe, in Brachmannas & Pramnas: qui ſemper ἐξ ἐναντίας Brachmannas oppugnabant. Sed vitioſa, opinor, lectio eſt, & legendum, Germanas, vel Sarmanas. Eadem enim per omnia, penè, de Pramnis ſuis narrat Clitarchus, quæ Megaſthenes, Ariſtobulus, & Oneſicratus de Germanis retulerant. Certè, non erant ſimplices, vel uniuſmodi Indorum Sophiſtæ. Et hoc innuunt illa apud Clementem: Ινδῶν τε ϗ γυμνοσοφισταὶ ἄλλοί τε φιλόσοφοι βαρβάρων, nimirum, apud Indos: nam alioqui ſuſpenſa & imperfecta oratio erit. Nec mirum, quod eoſdem Sacerdotes Bactris & Gallis fuiſſe ait. Ita enim Gymnoſophiſtæ Indorum erant, & Æthyopum. Sed & Magos apud Indos fuiſſe docet Pauſanias

Pauſanias in Meſſeniacis. Ἐγὼ δὲ Χαλδαίους, καὶ Ἰνδῶν τοὺς Μάγους σοφωτέρους οἶδα ἐπόπτας, ὡς ἀθάνατόν ἐστιν ἀνθρώπου ψυχή. Druidæ autem, qui & Saronides ab eadem notione dicebantur (eſt enim σαρὸν ἄλσος, apud Callimachum hymno ā.) alibi terrarum erant quam apud Gallos & Britannos: nempe ubicunque arbores illæ creſcebant, quas ἄλσους & σαρώνιδας appellabant Græci.

Verum, ut ad Perſas, & ipſorum Magos revertamur. Erant illi apud Perſas religionum Antiſtites, ceremoniarum propolæ ſacrarum, curam rerum & locorum ſanctorum ſuſcipiebant: & in particulari, quaſi quidam æditui, Sepulchro Cyri, quem & vivum & mortuum, tanquam Deum aliquem tutelarem colebat Perſæ, præerant cuſtodiendo: ob quam ipſius λειτουργίαν, σίτησιν καθ' ἡμέραν, ovem nimirum integram, percipiebant: ſingulis etiam menſibus circumactis, equum. Quâ tamen cuſtodia non obſtante, ſacrilegium admiſſum fuerat in ablato inde auro: fortaſſis, ab ipſis cuſtodibus. Sacrificiorum præterea præſides erant: Res Divinas, & illarum rationes populo enarrabant: Sacrificiorum ratio iſta fuit. θύουσι δὲ Πέρσαι ἐν τόπῳ καθαρῷ κατευξάμενοι δὲ ἐξαγιάζουσι τὸ ἱερεῖον ἐστεμμένῳ. *Sacrificant in loco puro & mundato Perſæ: ubi fundunt orationes, & victimam: ſiſtant coronis redimitam*: nimirum, ut ille Iconienſis Iovis Sacerdos, in Actibus Apoſtolicis: Μετὰ δὲ τοῦ μάγου καὶ κρέα, τῶν ὑφηγημένων τῇ ἱερουργίᾳ ἄπιασι διελόμενοι, τοῖς θεοῖς ὀλίγον ἀπονειμάντες μέρος. ἡ γὰρ ψυχῆς φασὶ δεῖσθαι τοῦ ἱερείου καὶ θεὸν, ἄλλα δὲ ὀλίγους. ὁμῶς δὲ τοῦ ὀστέου τι μικρὸν, πίθασιν, ὡς λέγουσί τινες ἐπὶ τὸ πῦρ. *Poſtquam verò Magus ille qui ſacris præeſt, carnes ſacrificii oblati diſtribuerit* (erat hæc alia illorum in ſacris Liturgia) *illi acceptis carnibus, domum abeunt: Diis, ne particulam diſtribuentes. Aiunt enim Deum, animæ victimæ, contentum & eſſe, & eſſe debere.* Nihilominus, inquiunt aliqui, tantillum emeriti ignibus in ara conſumendum donant. Et hinc fortaſſis Prometheus edoctus, ut in fabulis fertur, victimarum oſſa, adipe velata, Deo offerens, cætera ſibi omnia reſervavit. Præclarum ſcilicet, & Deo θυάρεστον ſacrificium, è mente & ſententia Chriſtianorum κατεψευσμένων illorum, qui ſub prætextu reformatæ pietatis, Deum, Eccleſiam, pietatem per nefandiſſima ſacrilegia, everſis

15 *Perſarum Magi.*

everſis ubicunque monaſteriis, templis, ſacrariis, & redactis in fiſcum, maximis reditibus, emunxerunt, cauſantur ſcilicet, religioſi nebulones, Deum, cum ſit naturâ ſpiritus, cultu congenero, hoc eſt, mere ſpirituali, θεραπείᾳ. Eſſe perditionem inanem quicquid ulterius Divinis impenditur miniſteriis. Quo prætextu Pietatis ἱερὰς omnes ὀργάδας, religioſis majoribus conſecratas: res omnes ſacras involarunt, diripuerunt, prophanarunt, ipſas quin & decimas, Laica feoda vel catalla, ut Legulei noſtri loquuntur, redidere.

16 *Authoritas apud Reges.*

Erant præterea Magi Regibus à conſiliis & conſcientiis ſecretioribus: iis adſtabant, tanquam rerum Interpres & ὑφηγεταὶ Divinarum. Strabo narrat, de ſapientibus Indorum, qui eodem loco, ſtatu, ordine erant, quibus Perſarum Magi. Ἐκείνους συνεῖναι τοῖς αὐτοφυῖ βασιλεῦσι, ὡς τοὺς Μάγους, τοῖς Πέρσαις ὑφηγεμένους τὰ θεῖα τοῦ θεοῦ. Ideo Cyrus apud Xenophontem, τοὺς μάγους καλέσας, τὰ τοῖς θεοῖς νομιζόμενα ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς ἐξαιρεῖσθαι ἐκέλευσε. Atque ideo in VII. Cyri pæd. ille, πρῶτα μὲν Ἑστίᾳ, θύει, ἐπειτοι Διὶ βασιλεῖ, καὶ εἴ τινι ἄλλῳ θεῷ ὁ μάγοι ἐξήνεγκαν. è Diſciplina Magorum & ſuggeſtione, quos ad ſe venire fecerat Cyrus, *Veſtæ imprimis rem Divinam faciebat: tum proximè Iovi regnatori: & ſi quos alios illi Deos ſuggerebant.* Multa autem iſtiuſmodi, in quibus opera Magorum & conſilium adhibebatur, quaſi in unum faſciculum conjecit Strabo. Τῷ δὲ ὕδατι, ὅπου λίμνῃ, ἢ ποταμῷ, ἢ χρήνῃ ἐλθόντες, βόθρον ὀρύξαντες, εἰς τοῦτον σφαγιάζουσι, φυλαττόμενοι μή τι τοῦ πλησίον ὑδάτος καθαροῦ ἁιμαχθείη, ὡς μιανοῦντες εἰ ὅπου μυρίνῃ καὶ δάφνῃ ἀμαθέντες τὰ κρέα, λεπτοῖς ῥάβδοις ἐφάπτονται ὁ μάγοι δὲ ἐπάδουσιν ἐπαοιδὴν ἔλαιον ὁμοῦ γάλακτι καὶ μέλιτι κεκραμένον. οὐκ εἰς πῦρ, οὐκ εἰς ὕδωρ, ἀλλ' εἰς τοὐδαφος τὰς δ' ἐπῳδὰς ποιοῦσιν εἰς πολὺν χρόνον, ῥάβδων μυρικίνων λεπτῶν δεσμὶν κατέχοντες. Erant autem iſta maleficorum μαλεσανθήματα, & operatæ impietates, à Magis Perſicis, Strabonis ætate, hoc eſt, Chriſto συγχρονοῖς, factitatæ: ut non immerito veteres, quod dicturi ſumus, patres, illos retulerint inter maleficos.

17 *De mortuis doctrina.*

Eorum præterea inſtitutum fuit, mortuorum cadavera, nequaquam prius telluri mandare πρὶν ἂν, ὑπ' ὀρνίθων ἢ κυνὸς ἑλκύσθη. *Priuſquam canibus voracibus, & alitibus eſca fuerant.* Id docet, Herodotus in ᾱ. idque ſe certiſſimè compertum

pertum habere alt. Μάγος μὲν ἐκ τοῦ τεθνεῶτος τὸ σπλάγχνον ἐξέλκει, ἐν ἀγγείῳ τὸ σῶμα θάπτει. Addit Persas, cerâ conditum cadaver terræ mandare. Magos verò ab aliis, ut & à Sacerdotibus Ægyptiacis recessisse. Ⓒ μὲν γὰρ ἀγνεύουσιν ἐκ μόνων μηδὲν ἀφαιρεῖν, ἀλλὰ καὶ θύουσιν, Ⓒ δὲ Μάγοι, σφάττουσι παντὸς πλὴν κυνὸς καὶ ἀνθρώπου, ἐπιτηδεύουσι δὲ καὶ σφαγὴν τοῦτο μέγα ποιοῦντες καὶ εἶναι τῶν ἀμείνων μυρίους τε, καὶ ὄφεις, καὶ τἄλλα ἑρπετὰ καὶ πτηνά. *Sacerdotes Ægyptiorum puros se ab omni cæde animantum custodientes, nisi cum sacrificarent. Magi autem omnegenes, exceptis homine atque cane, suis ipsorum manibus mactabant: atque in eo facto gloriebantur.* Cineres porrò, & ignem perpetuò ardentem, Deum suum præcipuum, ut Romæ Vestales, custodiebant: de quâ re, ita Strabo, λέγει δὲ καὶ Πυραιθεῖα, σποὰς τινὰς ἀξιόλογοι· ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμὸς, ἐφ' ᾧ πολλὴ τις στοὰ περὶ δόξειεν φυλάττεσθαι οἱ μάγοι. καὶ ἀπέρχεται δὲ ἐπιόντες, ἐπάδουσιν ὥραν ἐχόντι τινὶ, πρὸς τὸ πυρὸς τὸν βωμὸν τὴν ῥάβδον ἔχοντες, πάσσαλοις προσκείμενοι τισὶν, καὶ πυκνὰς ἐκτιθέντες. Quem æternum ignem, cœlitùs ut sibi persuadebant delapsum, ad Heraclii usque tempora sub Magorum custodia durasse, scribit Iohannes Tzetzes, Lib. 3. Ca. 66. Heraclius, cum illum extingueret, μέγα πάλος τῇ Περσίδι intulit.

Mortuos diximus, illos sepulchro non prius mandasse, 18
quam canibus depastos & alitibus, quo eodem fato & ipsi fungebantur: hoc insuper adjecto, quod erant omnino ἄταφοι, non tantum depasti, neque terræ mandati: Μάγος δ' οὐ θάπτουσιν, ἀλλ' ἀνωφρύστους ἐᾶσιν, ait Strabo. Neque ideò quod indignos sepulturâ rebantur: nam omni honore vivos prosequebantur, sed, ut hoc genus contumulationis honoratissimum esse apud ipsos indicarent, (quod Græcis & Romanis abominandum erat) honoratissimis habitum: adeo ut, quod notat Strabo, μάλιστα δ' ἱεροσκοποῦμενοι apud Reges, & Principes, διαφέροντες essent τῆς ἄλλων ἀγεμονίας τυγχάνοντες δ' τιμῆς οὐδὲν τῶν τοῦ ἡμέρους. Quod & apud veteres Christianorum proceres, erga Episcopos & Sacerdotes, & ἱερὸν καθάλου, observabatur. Nam ab ætate Constantini, qui nostris sacris principum primus initiabatur, vix invenire licuit principem aliquem Christianum, qui non Episcoporum, & Sacerdotum operâ consilioque uteretur, cum publicè, tum privatim, in rebus reipub. arduis,

&

& negotiis regni ſui tractandis; & ad normam pietatis confirmandis adhibuerit, ante noſtram & patrum noſtrorum memoriam, cum deſpectui haberi cœpta res Divinæ: ſacrata Eccleſiarum patrimonia per ſacrilegium infame & deteſtabile, in uſus profanos, impios, & impuros transferri cepta: viri tum religioſi & timentes Deum, procul amovebantur, quaſi nihil haberet reſpub. cum religione, vel ſacris commune, ſed ita demum optime crederetur adminiſtrari, ubi rerum ſacrarum πρόκανοι & Antiſtites, quam longiſſimè, à curis publicis, & procuratione ſummoverentur. Non erant tam profani olim Pagani; nec ſunt hodiè Turcæ tam irreligioſi.

19 *Magorum ſectæ.* Dividebantur olim apud Perſas ſuos Magi, in treis ſectas vel familias: quod retulit in 4. περὶ ἀποχῆς Porphyrius, è Symbulo, vel Eubulo potius, in hyſtoriis Mithræ: quas ὁ πολλοῖς βίβλοις ἔγραψεν ille. Quorum primi, ait Porphyrius, & maxime laudandi, omnino ab animatorum cæde & eſcâ abſtinebant. ἐμψύχου δὲ τῇ παλαιᾷ τῶν ζώων οὐκ ἦν. Quæ verba nuperus Porphyrii interpres, vel perverſor potius, omnino prætermiſit. Secundi, utuntur quidem: ſed de cicuribus & manſuetis nullum mactant: at tertii, neque de more communi, omnia attingunt indiſcriminatim. Interpres delirat, qui vertit: *Tertii autem ſimiliter cum aliis vulgo animantes epulantur.* Verba Porphyrii ſunt, in negativo, ut loquuntur, ἀλλ' οἱ τρίτοι ὁμοίως τοῖς πολλοῖς ἐφάπτονται πάντων. Porphyrius negat: Interpres affirmat: contra quam ratio allata ſuadet. Καὶ γὰρ δόγμα πάντων ἐστὶ, τὴν μετεμψύχωσιν εἶναι. Vtri credetis?

20 Ille qui regulam conſcripſit Monarchorum illam, quæ extat in IX. Tomo operum Hieronymi, è ſcriptis diverſis Hieronymianis contextam, hunc locum Porphyrii ita expreſſit; *Eubulus narrat apud Perſas tria genera Magorum: quorum primos, qui ſunt doctiſſimi & eloquentiſſimi, excepta farinâ & olere, nihil amplius in cibum ſumere ſolere.* Quæ ſunt ipſiſſima Hieronymi verba, è libro II. contra Iovinianum. Hinc patet, legendum apud Porphyrium, non Σύμβουλον, ſed Εὔβουλον: quod in variis ſuis lectionibus Theodorus Canterus confirmat, ex ipſomet Porphyrio, cujus tamen verba Græcè non repræſentat. Sunt autem τρεῖς μοι, ὡς ἐφὴ

ἐν Ἐρέσῳ. Ἐπιφάνης αὐτὰρ ἐν Κεφαλληνίᾳ ἐν τῇ πλησίον ὄρει τῆς Ἡραίας ἀνδρὸς καὶ παιδὸς ἔτη ἀπέβιον ἑπτακαίδεκα, ἐς τιμὴν τῆς πατρὸς τὸ παιδίον ἐπώνυμον ἐποιήσατο. Hoc est Isis: ubi etiam ἀνηρόδιον legendum & non ἀθηρόν. Atque ita verum non est quod de Magis Persarum Plutarchus affirmat, Οἱ δὲ Πέρσαι τοὺς μάγους τοὺς ἀπεκτονότας οὐκ ὀλίγους, καὶ τοὺς ὄφεις ἀποκτείνοντας ἱερὸν ἡγοῦνται. Nam prorsus nullum animal, illi primi Magorum occidebant. *De odio &c.*

Quod doctrinam & opiniones ipsorum attinet, deos, de disciplinâ Zoroastris duos statuebant ἀνυπόστατους, uti & deinceps hæreticorum παῖδες. Horum alterum, Bonorum, alterum Malorum authorem prædicabant. Oromasdem Bonum deum: Arimanium Malum nominabant, Patriarchæ scilicet Manichæorum: quorum author Manes de Persiâ, & Magorum disciplinâ, latè se diffuderat in Ecclesiam. Illum, Luci: hunc, Tenebris assimilabant. Bono deo θυσίας καὶ χειροπόεια: malo, ἀποτροπαῖα & σκύθρωπα offerebant. Gramminis quandam speciem, Omami dictam, in mortario concluſam, Ditem & Tenebras invocabant: quam lupi jugulati sanguine mixtam εἰς τόπον ἀνίλιον, ἀνέρρητον ἐρρίπτουν: ut sic placatos redderent Lemures. Bono deo, stirpes, arbores, animalia quædam propriè adjudicabant: & Malo itidē alia: Sed generalitèr, Bono Deo, Terrestria: Malo, Aquatica. Eum verò ex istis, qui plurima occiderit, beatum arbitrantur. Deum suum Oromasdem natum autumant è purissima luce: Arimanium, è caligine: Sex deos fecisse Oromasdem. Ἐποίας, Ἀληθείας, Εὐνομίας, Σοφίας, Πλούτου, τοῦ ὅπως τοῖς καλοῖς πάσιν ὑπάρχοι & curatores. Inde etiam Oromasdem se triplicasse: Stellis cœlum exornasse: Unum imprimis, nempe Sirium, omnium aliarum stellarum, ὃν φύλακα καὶ προόπτην statuisse. Alios deinceps deos, numero XXIIII. à se productos ovo inclusisse: ut Valentini doctorem agnoscere possis, & Gnosticorum in Æonibus suis. Arimanium autem fabulabantur, totidem alios Malos, alteri ovo inclusisse, & utrumque tandem perforasse: unde, tanquam de Pandoræ dolio, bona malis immixta, rebus humanis incubuere. Esse autem dicebant in fatis, ut Arimanius ille, vel Malus Deus, cum λοιμὸν & λῖμὸν procurasset, ipse quoque malâ morte moreretur: atque ita malis

Doctrina. 21

omnino ceſſantibus, Boni ſoli relicti, fruuntur in terris fælicitate æternâ. Hæc de Theologia Zeroaſtris Plutar. in Lib. de Iſide & Oſiride. Unde liquet illos, velut à longè, & quaſi per tranſennam, quanquam & fabulis abſurdiſſimis involutâ, de reſurrectione & æterna Bonorum retributione aliquid inaudiſſe. Refert porro ibidem Plutarchus, ex illorum ſententiâ, Mithram, qui Perſis Sol habetur, mediæ eſſe cujuſdam naturæ inter Bonum deum atque Malum: unde μεσίτην, vel mediatorem Solem Perſæ nominabant. Deum porro Bonum ἀνθρωπομόρφον, ſed capite Accipitrino comminiſcebantur, Euſebio relatore.

22 *Eorum impoſturæ.* De eorum adhuc impoſturis, Manganeumaſin, & Magicis incantamentis Clemens ὁ πολυμαθὴς in Protreptico narrat. Imprimis illos jactare ſolitos, Dæmonas ſibi adſiſtere ὑπηρέτας, famulantes: quos tanquam ſervos & mancipia, ad nutum habebant: & ὕλας ſibi facere, ἐπωδαῖς κατηναγκασμένας neceſſitate nimirum conſtrictos ineluctabili: non tamen ut ſubactos vel invitos, verum ſponte & volentes: quam iccirco neceſſitatem vocabant πεπρωμένην, qua de ſic Euſebius è Prophyrio, *Lib. 5. de præp.* οὐχ ὑπὸ τῶν κληδόνων ὅτι φυσίαις θεοὶ ἀνάγκῃ δὲ τινὶ ἀκολουθίας σπόμενοι πρόκειται. οἱ μὲν μᾶλλον, οἱ δὲ ἧττον. Τινὲς δὲ οἷος ὥσπερ ποπεμένοι τὸ ἑαυτῶν παρουσίας εὐμαρέστερον ποιῶσι. οἱ μάλιστα, ἐὰν οἱ φύσει ἀγαθοὶ τυγχάνωσιν. οἱ δὲ οἷος ἔχουσι τοῦ πρόκεισθαι, βλάβην τινὰ προσημαίνονται ποιεῖν. οἱ μάλιστα ἐὰν ἀμελέστερον πῃ δοκῇ συναναστρέφεσθαι τοῖς πράγμασι. πάντες δὲ, δι' ἀνάγκην φάσιν ἀφῖχθαι. οὐχ ἁπλῶς δὲ, ἀλλ' οἵᾳ, εἰ χρή οὕτω φάναι πεπρωμένῃ. *Eliciti & vocati ſacrificiis Dii, non illis oblectantur: Verum neceſſitate quadam adeundi attracti, veniunt alii citius: reluctantius alii: ſunt, qui quaſi præſentiam ſuam ſiſtere in more poſitam haberent, libentius accedunt: maxime ſi natura boni ſunt: alii, utcunque adeſſe libenter ſolent, ſtudio tamen tenentur malè faciendi: maxime ſi quis, negotio illi intendere negligentius videatur. Omnino omnes, de neceſſitate ſe dicunt advenire: non illa ſimplici, ſed quam vocare licet, Pithanancen.*

23 Et hæc prolatis teſtimoniis ille probat, ut non ſit omnino mirum quod de Perſarum Magis ſcribit Strabo, Παρὰ Πέρσαις οἱ Μάγοι, καὶ νομιζόμενοι, καὶ λεγόμενοι, καὶ ὑβριζόμενοι. etiam et Clemens ait eos φυλάττοντας τὰ μετέωρα τῆς χαλαζο-

ζολωτεῖν μελλόντων νέφαν πρὸς ἄγειν τε τοῖς ἔργοις καὶ θυμοῖσι τὸ ὀργῆς τοῦ ἀπειλοῦ: ut omnino necesse sit, fuisse malis artibus addictissimos. Docet hoc de Magis per suam ætatem Lucianus in Menippo, qui quasi rem revera gestam narraret, ita Magorum Persicorum ritus & mores impios & sacrilegos describit pag. 63. edit. Aldi ait autem imprimis, de Zoroastris Archimagi schola & discipulis. Ἦκεν αὐτὸς, ἐπαοιδαῖς τε, καὶ τελεταῖς ποιῶν, ἀνοίγειν τε τὸν ἅδην τὰς πύλας καὶ καταύειν ὃν βούλοιτο ἀσφαλῶς, καὶ ὀπίσω αὖθις ἀναπέμπειν. Affirmat ergo se, Magum quendam Mithrobarzanem, artis magicæ callentissimum, adiisse, & ritus quosdam sacerrimos ac planè diabolicos enarrat, quibus ille Magus, ipsum expiatum, & ad Necyomantiam dispositum, initiavit. Imprimis per XXIX. dies, ἅμα τῇ σελήνῃ, Lunâ surgente, adductum ad Euphratem proluebat, & flumine vivo, abluebat, idque continuabat ad auroram usque & surgentem Solem. Secundo narrat Magum ῥῆσιν μακρὰν obmurmurâsse sibi minimè intellectam: nam ὑπέσχον καὶ ἀναφὲς ἐφθέγξατο: ita enim legi debet, & non ἀσφαλὲς. Tertiò post illam ἐπῳδὴν & dæmonum ὑπόκλησιν, τὸν πρὸς πρόσωπον ἀποπνεύσας, (non ἀπλεύσας) revertebantur ab Euphrate, neminem obviantium salutantes, ac ne quidem contuentes, interea Ascetiam vitam, quoad victum, exercebant. Cibus enim erant ἀχρόδρυα, potus Lac & μελίκρατον: aqua nempe de Choaspe fluvio deportatâ. Cubile erat ὑπαίθριον, ἐπὶ πόας. Atque hæc erat μαγικὴ ἀθλουμένη προδιαίτησις. Posteà, nocte intempestâ ad Tigrin fluvium deductum Magus ἐκάμπτε καὶ ἀπέμαξε, καὶ πρόσγνισε λαδὶ καὶ σκίλλῃ: incantationē præterea superiorē immurmurans, ne ἀπὸ φαντασμάτων territus læderetur. Magicis deinceps vestibus induti uterq; foveam effodere: oves nigras mactabant, & πρὸς βόθρον, sanguinem aspergebant: Tum Magus λαδὶ χαιομένῳ manu tenens, non, ut ante, summissâ voce, sed quam poterat vocali & stentorea advocabat, Δαίμονας, Ποινὰς, Ερινύας, κυκλικὴν Ἑκάτην, ἀπαιολὴν Περσεφόνειαν: immiscens nomina Barbarica, ἀσημά τε καὶ πολυσύλλαβα cum subito, mugire solum, & πάντα σαλεύεσθαι ὑπ' ἐπῳδῆς, diducta tellure audiebantur, velut à longè, Cerberi tricipitis latratus, Ἐδόκουν δ' ὑπένερθεν ἄναξ ἀερῶν Αἰδωνεύς.

Hactenus ille Samosatensis: in scenâ fictitiâ, & κατ' ἐπι- 24

ρόνειαν ipſiſſimos Magorum Perſicorum mores deſcribens. Quocircà rectè Nazianzenus Orat. 39. Μάγων γνώσεις pronunciat abominandas. Erant enim hiſce ſceleribus infames: & verum eſt, quod contra Celſum Origenes tuetur. Magia quæ appellatur: non eſt illa quidem, ut Epicuro videtur πρᾶγμα ἀύσατον: res commentitia, & aereum quoddam figmentum, (quæ eſt hodie multorum ſententia θεῶν, de Sagis, Maleficis, Incantatoribus) verum quod ab illis demonſtratum eſt, qui iſtarum rerum ſcientiam adepti ſunt, & profitentur, res eſt, conſiſtens, cujus tamen rationes pauciſſimis perſpectæ ſunt & intellectæ. Intelligit autem ille de Perſis, ubi erat Magia πατροπαράδοτος, & familiam ſectabatur: non ad extraneos effuſa, vel propalata: niſi forſan lucrum inde captantes ἐκφάνσεως, aliquid, non omnia, impertiebant. Rectè autem Tertullianus inter Magiæ ſpecies enumerat, *Sophiſtas, Incantatores, Chaldæos, Conjectores, Aſtrologos*, de quibus concludit, *Non poteſt regnum Cœlorum ſperare, cujus digitus vel radius abutitur cœlo.* Et certè, erant iſtæ artes omnes, vel nugatoriæ, vel noxiæ quædam ſuperſtitiones, è quâdam peſtifera ſocietate hominum atque dæmonum, quodam quaſi fœdere & pacto infamis amicitiæ inito: uti obſervat Auguſt. Lib. 2. de doct. Ch. ca. 23. & Minutius Felix in Octavio. *Magi non tantum ſciunt dæmonas, ſed etiam quicquid miraculi ludunt, per dæmonas faciunt: illis inſpirantibus & infundentibus, præſtigias edunt; ergo rectè ſcriptura, Magiâ uti prohibet: quia Magorum miniſtri Angeli ſunt refugæ, & ſpiritus maligni, & dæmonia immunda. Nullus enim ſanctorum ſpirituum, obtemperat Magus. Non poteſt Magus invocare Michaelem: non poteſt invocare Raphaelem: neque Gabrielem: multò magis non poteſt invocare Deum omnipotentem, ac Filium ejus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, nec Spiritum Sanctum.* Origen. Homil. 13. in Num.

25 Inter autem infandas Magorum nequitias, non poſtremo loco reponi debet, quod apud eos, uti loquitur Strabo, μητράσι συνέρχεσθαι νενόμισται. Quod è Magorum impurâ diſciplinâ, Perſas promiſcuè uſurpâſſe, docet Agathias, de ſuo ſæculo narrans. Εἰς τοῦτο τῆς θύρης πορνοπάθειαν τοῖς νεωτέροις ἀχολαστάνουσι, ἀδελφαῖς καὶ ἀδελφιδαῖς ἀνέστιλε μιγνύμενοι: quod de

de Arabibus etiam narrat Strabo: ἀλλὰ καὶ πατέρες τὸ γαμεῖσθαι, καὶ τὰς μητέρας ἀνοσιώτερον, ἔνιοι δέ φασι; καὶ τοῖς τοιούτοις. Quam rem ita narrat Agathias, quaſi ἐκ θεσπεσίου, hoc ſcelus è diſciplinâ Magorum & Zoroaſtris hauſiſſent: & prolatis duobus antiquiſſimis exemplis, Niniæ nimirum regis Aſſyriorum, & Artaxemis Perſarum, qui tam horrendum facinus deteſtabantur, novitium inſtitutum fuiſſe probat, aut ſaltem probare vellet. Sed hoc refellunt Strabo & Tertullianus, è Cteſiæ Perſicis, qui vir ante Macedonicum imperium, in aulâ Perſicâ diverſatus & medicinam faciens, veritatem non potuit ignorari. Refellit etiam Agathiâ longe antiquior Tatianus, qui κεφάλαιον ἔθνους apud Perſarum Magos, hanc conſuetudinem fuiſſe docet. Citat porrò Clemens, ὁ πολυμαθὴς, in tertio Strom. Xanthum in Magicis: qui eadem perhibetur prodidiſſe: qui, ſi Lydus ille Hiſtoricus fuit, vetuſtiſſimus erat author, & Herodoto antiquior: ille autem, referente Stromatio ſcripſit, Μάγοι (d) Μάγοι μητέρας, καὶ θυγατέρας, καὶ ἀδελφὰς μίγνυσθαι θεμιτὸν dicebant κοινάς τε (e) τὰς γυναῖκας, καὶ βίᾳ ἁρπαζομένας, ἀλλὰ συναινούντων ἀμφοτέρων, ὅτ' ἂν θέλῃ γήμασθαι ὁ ἕτερος (f) τὴν ἑτέραν. Et Bardiſanes Syrus Agathia vetuſtior, apud Euſebium Lib. IV. περὶ προπ. docet, apud Perſas legem fuiſſe, filias, ſorores, matres quoque ipſas, in matrimonium ducere.

Nec in Perſide ſolum: verum etiam quicunque Perſarum ad alia climata mundi è patria exiverant, nefanda hæc matrimonia celebrabant: quos aliæ gentes, infandum hoc ſcelus abominatæ, Maguſæos vocant. Suntque uſque hodiernum diem, in Media, Ægypto, Phrygiâ, Galathiaque plurimi Maguſæi, ſucceſſione patrum, iiſdem ſceleribus contaminati. Sed & Loti filias, utpote profectas cum parente Meſopotamia, fortaſſis de iſtius diſciplinæ nefandiſſimæ conſcientia, ad patris ſui Lothi thorum ſceleſto concubitu inceſtandum procedebant. Iſtos autem tam maleficos, non aliter quam κακοδαίμονας ἰοβόλα, ultra inferos, ſi fieri poſſet amandandos rectè Philo Platonicus arbitrabatur; Οἱ φύσεως ἐπιλαχόντες ἡμέρᾳ ἀφ' ἑνὸς κοινωνίας ἀπίστου καὶ μιαιφόνου πρὸς θηρίων ἀπηλλαγμένων ἀχειρώτους μεταβάλλουσι, τὸ ἡδονῇ καὶ ὠφελείᾳ πεφάνθαι τὸ κακὸν ποιεῖ βοῦς ἢ

λύσωσι. Atque hæc de Perſarum Magis generatim, ἐξ ὧν ἐστι παρασχεθῆναι; nunc tandem ad noſtros Gentium ἀπάρχας, Chriſti φοιτητὰς adeamus.

27 Quod igitur primam Chryſoſtomi quæſtionem attinet τίνες ἦσαν; cum ſcriptura diſertim appellet *Magos*, & nomen illum plerunque in malam partem uſurpetur, diſputatum eſt, an fuerint Magi malefici. Cui quæſtioni reſpondet Cardinalis è Iuſtino Martyre, fuiſſe illos maleficiis deditos, hoc eſt, qui dæmonibus παρέδροις utebantur, & per ſirſurros quoſdam & incantamenta, dæmones illos allectos ſibi conciliabant. Iuſtini locus ille quem deſignat, habetur in Dialogo cum Tryphone, ubi prolato quodam Eſaiæ vaticinio, illud accommodat ad Hiſtoriam Magorum Chriſtum adorantium. Illud porro vaticinium è Cap. 8. ver. 4. ita proponit, Πρὶν γνῶναι ὃ παιδίον καλεῖν πατέρα ἢ μητέρα, λήψεται δύναμιν Δαμάσκου, καὶ τὰ σκῦλα Σαμαρείας ἐναντίον βασιλέως Ασσυρίων. *Priuſquam ſciverit puerulus patrem vel matrem nominare, accipiet poteſtatem Damaſci, & ſpolia Samariæ contra regem*, vel in præſentiâ Regis, *Aſſyriorum* Quem Prophetæ locum, contra Iudæos ita explicat Iuſtinus & interpretatur, ut doceat, vim & poteſtatem mali dæmonis, qui Mamaſcum inhabitabat, ſignificat Chriſto ſubjectam iri, ſimul atque in lucem edetur: quod ſic oſtenditur eſſe adimpletum. Magi etenim, qui deſpoliati & deprædati fuerant, ad omnes impias actiones, quas in ipſis dæmona operabatur, tum cum venientes adorabant Chriſtum, videntur defectionem feciſſe ab illa poteſtate, quæ illos depradata fuerat: quam myſticè nobis inſinuat divinum oraculum habitaſſe in Damaſco.

Pag. 87. edit. Steph.

Erant Magi malefica.

28 Hæc Iuſtinus. Qui duo quædam hoc loco docet, Primum eſt, maleficiis addictos Magos. Nam dicuntur à malo dæmone ἐσκυλαμένοι, facti captivi, & non ſecus quam ſpolia bellis capta, redacti in poteſtatem dæmonis. Secundum, quod ut effectum conſequitur illud prius, εἰς πάσας κακὰς πράξεις ὁ ἐργαμένους, dæmonem, in illis operantem, eos, ad omne opus malum, in omnem impietatem impuliſſe. Proximum annotandum apud Iuſtinum eſt, dum Chriſtum Dominum Magi illi adeunt, & adorant cum muneribus, videri illos, nec immerito, dediſſe manus victos

victos, impurorum ſpirituum velut Triumphatori, & ſpolia illa Satanæ detracta, apud Chriſti ſacraria dedicaſſe; ipſiuſque tholis quaſi, appendiſſe. Et quidem apertiſsimè, ac ſine dubio, dictum Prophetæ, non ad Magorum illa dona allata, Thus, Myrrham, Aurum, Iuſtinus retulit, neque illa munera intellexit, ſed ipſos Magos illa offerentes, tanquam victimam quandam vivam, ſanctam, bene-placitam Deo, ita per Chriſtum Deo conſecratos, ut ab Inferorum mancipio & poteſtate redempti aſſererentur. Erant ipſi Damaſci ſpolia, jam olim, nimirum, captivi ducti, à malo Dæmone Damaſci dominatore. Atque ita Iuſtinus de Magis, tanquam maleficis, ut rectè viſum Baronio arbitrabatur.

Verum non fortaſſis in eandem cum Iuſtino ſententiam, de Magis, deſcendit interpretando Eſaiæ vaticinium Epiphanius: licet ita videatur, doctiſsimo Annalium conditori. Prolixior aliquantum eſt illius patris ῥῆσις, quam adſcribimus, relatam etiam in Annales. *Poſteaquam Chriſtus in hunc mundum venit, iidem illi Abrahami & Chetura filii, qui a patre rejecti, in Magodia, quæ Arabiæ regio eſt, habitaverant, hoc eſt, Magi ex illius generis ſucceſsione propagati, eadem illa dona, ejuſdem ad communionem ſignificandam Chriſto Bethleemi obtulerunt, cum ad aſpectum ſyderis eò profecti fuiſſent. Cujuſmodi dona, diſertè Propheta declarat hiſce verbis, Eſaiæ 8. 4. Quoniam antequam ſciat puer appellare patrem aut matrem, capiet potentiam Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum. Nam hæc omnia, Abrahami temporibus, è Damaſco & Samaria, à ſupervenientibus illis regibus capta fuerant, ut ante dixi.* Dixerat autem in ſuperioribus Epiphan. *Cheturæ liberis collata illa munera fuerant, aurum videlicet, argentum, & veſtes, & quæ, non ſine myſterio, Abrahamus in illorum peris incluſerat, thus, myrrha, & aurum, quæ ab Sodomorum & Gomorrhæ regibus accepit, quo tempore Chodollogomor, & Barſa, cæterique reges, Sodomitas & Gomorrhæos captivos abduxerunt ac deprædati ſunt, tam equos, quam homines: & uniuſcujuſque fortunas diripuerunt. Quæ cum Abrahamus ex illâ deprædatione recuperaſſet, nec, quæ jam Deo conſecrata fuerant, auderet avertere, inter alia dona, liberis ſuis quos è Chetura ſuſceperat, ultrò conceſsit: ut in Hebræorum traditionibus legi-*

29

timus.

mus. Hactenus Epiphanius: fabulam narrat Traditionariam: ſed de Magorum profeſſione maleſica, nihil prorſus. Longè hæc ſententia diſtat à Iuſtinianâ: neque habet quicquam cum illa commune, præter verba quædam.

30 Propius ad Iuſtinum Tertullianus accedit, qui tamen tertiæ cujuſdam ſententiæ author, poſt illam ipſam, & alteram Epiphanii merito cenſetur. *Accepit Chriſtus infans virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ. Maneant enim Orientales illi Magi infantiam Chriſti, ut Regem, auro, thure, & myrrhâ remunerantes: & accepit Infans, virtutem Damaſci, ſine prælio & armis. Nam, præter quod omnibus notum, Orientis virtutem, id eſt, vires, auro & odoribus pollere ſolitam ceriè eſt Creatoris: & ex divinis Scripturis virtutem quoque cæterarum gentium aurum conſtituere.* Itaque Tertulliano, ſpolia Damaſci ſunt munera oblata, quæ per orientem pretioſiſſima habebantur, *aurum, thus, myrrha*; non illa, ut Epiphanio placuit, ex apocryphis Hebræorum fabulis, recondita in petas per Abrahamum, & tradita filiis è Cetura ſuſceptis: ſpolia ſcilicet detracta Chedorlaomero. Neque ut Iuſtino viſum, ipſi Magi: ſaltem quod attinet ὀκτὼ πρῶτοι. Hæc cum contra Iudæos diſputarat Tertullianus cap. 9. iterum repetiit, iiſdem penè verbis Lib. III. con. Marc. cap. XIII. utrobique addit de ſpoliis Samariæ, quæ propius accedunt ad mentem Iuſtini. *Spolia Samariæ, ipſos Magos intellige: qui cum illum cognoviſſent, & muneribus honoraſſent: & genu poſito adoraſſent, quaſi Deum & Regem, ſub teſtimonio indicis & ducis Stellæ, ſpolia ſunt facta Samariæ, id eſt, idololatriæ, credentes videlicet in Chriſtum.* Idololatriam enim Samariæ nomine notavit, ut ignominioſa ob Idololatriam, qua deſciverat à Deo ſub rege Ieroboam.

31 Magos igitur, ita addit, Samariæ nomine titulavit, & deſpoliatos, quum habuerant cum Samaritis idololatriam. Samariam ergo vult, hoc eſt, Magos, idololatria ſpoliatam, cum Magi, prius idololatræ, quales erant & Samaritæ, Chriſtum Dominum profeſſi, idololatriæ ſuæ renunciarent. Qui ut Magos, per Samariam: ita per regem Aſſyriorum, Herodem intellexit, in illo contra Marcionem: quem, in libro contra Iudæos, diabolum expoſuerat: quippe qui, ſe tum regnare putat, cum ſanctos à cultu & religione Dei deturbatos

deturbatos abducit: id quod tentaverat, contra Iudæos, bello appetitos, rex Aſſyriorum Senacharibus. Neque tamen mutaſſe ſententiam ſuam putandus eſt Tertullianus: qui, nunc per Herodem, nunc per diabolum, expreſſit regem Aſſyriorum, apud Prophetam. Firmato ſiquidem & conſtituto ſenſu literali, quod alios attinet figuratos, quiſque apud animum ſuum abundet: illi enim & multi, & multiplices, ac etiam diverſi, eſſe poſſunt. Eſt autem Tertulliano commune cum Iuſtino & aliis antiquioribus, Herodem illum Idumæum, per Aſſyriorum regem, deſignare.

Porrò quod ſententiam Iuſtini Martyris attinet, quam 32
recitat doctiſſimus Baronius, Magos malificos ſtatuentis, atque incantamentis, præſtigiis, invocationibus dæmonum deditos, fuerunt certe, in eadem cum illo opinione, plerique veteres Patres, Græci Latinique. Cardinalis, imprimis, quod ipſius antiquitas merebatur, Ignatium beatum martyrem advocat huic ſententiæ patronum. Qui tamen fortaſſis non cogitavit de maleficiis: certè non eſt extra controverſiam poſitum ita cenſuiſſe B. Ignatium. Locus, quem deſignant Annales, extat pag. 258. edit. Meſtræi. ἐτύθην ἐμωραίνετο σοφία κοσμικὴ, γοητεία, ὕβλυς θεοῦ καὶ γέλως ἡ μαγεία, πᾶς θεσμὸς ἠφανίζετο. ἀγνοίας ζόφος διεσκεδάννυτο. ἡ τυραννικὴ ἀρχὴ καθῃρεῖτο. *Stultitia facta eſt ſapientia mundi: præſtigiæ deveniebant meræ nugæ. Magia riſus & ludibrium: omnis virtus malitiæ abolita: ignorantiæ diſperſa caligo: tyrannicus diſſolutus principatus.* Verum, hæc non evincuntur ſpecialiori modo ad Magos orientales, Chriſti adoratores referri deberi. Magiam nominat Ignatius: rectè: ſed multiplex erat illa ubique Gentium. Ad Chriſti tempora referuntur hæc contra impietatem ἀνθραγαθημάτων. Sed non conſtat præcisè locutum de hiſce Magis. Imò quicunque erant Magi, quos intelligebat, non magis docet malis artibus, quam Philoſophiæ deditos, quam ſiderali ſcientiæ, & Aſtronomicis diſciplinis: quam ſapientiæ totius & illius κυκλοπαιδείας ſtudioſos. Reges non minus facile hinc evicerimus fuiſſe hoſce Magos, quod nonnullis quoque viſum: & quod plus eſt, tyrannidem in ſuos Cives exercuiſſe. Ignatius enim qui Magiæ commeminit abolitæ, & præſtigia-

rum deſtructarum, idem quoque fecit mentionem, *Tyrannici deſolati principatus*. Ait Ignatius, *Magiam per Chriſtum ludibrio expoſitum*: ait, *maleficia exploſa & præſtigias*. Non hinc ſequitur ſtatuiſſe illum, maleficos fuiſſe illos Magos, qui Chriſtum venerant adoraturi. Certè, ὕθλος ἡ γέλως hoc, ut cum Ignatio loquar. Loquitur ille de rebus, ſtudiis, diſciplinis quibuſdam, divinæ voluntati repugnantibus & pietati; quas ſacra Scriptura *ſapientiam mundi*, vel *opera diaboli* nominavit. Tacet autem penitus de perſonis. Nullos deſignat hiſce ſtudiis addictos & inſtitutis. Certe mens Ignatii non videtur alia, quam quod quicquid erat olim vulgi famâ & communi hominum opinione magnum, illuſtre, auguſtum: quicquid erat authoritate, & poteſtate præditum, quicquid ferox, formidoloſum, violentum, tumidum, Ieſu Chriſto nato, ſummiſiſſe faſceis. Ideo enim is venerat, ut manifeſtarentur magnalia Dei: illa nimirum ipſa, quæ ſtultitiæ titulo, & fatuitatis nomine, apud prudentiores, qui videri volebant, notabantur. Incarnationis ſcilicet, οἰκονομίας totius, & imprimis myſteria paſſionis. Venerat ut in magnalibus illis & ſuis, diaboli opera deſtrueret, quibus princeps ille mundi illudere ſolebat humano generi, & tyrannidem ſuum exercere omnium truculentiſſimam in filios inobedientiæ.

33 Orat. 1. Διὰ τοῦτο ἡ μάγοι παραγίνονται & δωροφορῦντες: ἡ ἡ Εἰδωλολατρεία κατελύθη, ait Nazianzenus. Qui tamen non ideò Magos fuiſſe maleficos exiſtimaſſe putandus eſt, utcunque etiam alibi Magiam copulet cum Incantatione. Neq; quoniam alibi apud illum habetur; *Subverſus & deſolatus idolorum cultus: Magicæ diffiatæ impoſturæ: ritus ſacrilegi, & in Deum blaſphemi exacti: aut ille dæmonum incantationes execrandæ, atque invocationes ſublatæ*: de Magis hiſce agit, tanquam idololatris, ſacrilegis, maleficis. *Adorent enim*, inquit B. Leo, *in tribus Magis, omnes populi univerſitatis authorem*. Qui tamen non rebatur, de omni natione veniſſe tres tantum illos Magos: quod erat impoſſibile: cum non ubiq; gentium Magi invenirentur: & ternarium illum numerum Gentium nationes numero ſuperarent. Expoliabantur Magi ſuâ ſuperſtitione, ſive etiam carnali ſapientiâ: expoliabantur & alii, in iis vel cum iis, ſuis poſſeſſionibus antiquis

tiquis. *Nam jam tum expoliabat homines*, inquit Irenæus, *auferens ipsorum ignorantiam, suam agnitionem ipsis donans, & dispertitionem faciens eorum, quæ cognoscebant eum.* Atque hæc sunt opera Christi: ubi non descendit ad Magorum particularem historiam, & illam captivitatem Damasci, in conspectu regis Assyriorum. *Li. 3. pa. 176.*

Magnus autem Basilius in Esaiam, Magos istos, &, in Magis, Dæmonas ab infante Christo spoliatos prodit. Cujus expositionem sequitur, ut in plerisque, Procopius: quem, Basilii veluti Epitomen, appono. *Damasci potentia, sunt credentes de Gentibus. Spolia Samariæ, esto de Circumcisione Infideles. Est enim Damascus Syriæ Metropolis: Israelis autem Samaria. Quo modo autem simul atque editus in lucem fuit, istos expoliavit? Nempe quod certissimè id facturus paullo post fuerat. Et quandoquidem adventantes Magi, eum tanquam Deum, adorârunt & dona obtulerunt, expoliati ad pietatis usum, illo, adhuc infantulo, pro ipsis præliante & pro aliis, in conspectu regis Assyriorum.* Ita variant in hoc vaticinio patres exponendo. 34 *Ca. 4.*

Sed sententiæ & mentis Ignatianæ interpretem affero in medium Eusebium, qui, cum alibi, tum præcipue ista sigillatim declarat, κτὶ πλάτ῵. Primum, καθόλ῱: nempe ὅτι καθήμωζε τὰ πάντα ὑ ἐκλέλοιπε: nimirum, mala ab impiis & impuris spiritibus mundo invecta, μὴ πλὼ τῦ σωτῆρ῵ ἡμῶν Εὐαγγελικὼ διδασκαλίω, defectum passa fuerant, & dissoluta interierant. Secundò, docet in specie cessasse tum ἀνθρωποθυσίας, apud pleraſque olim gentes frequentatas. Testantur de Moabitis, Ammonitis, Israëlitis ipsis Idololatris sacræ literæ, de Pœnis Ennius, & Silius Italicus de Gallis, ad sua usque tempora, Cicero pro Fonteio. De nostris Britannis Solinus & Dio in Nerone: de Atheniensibus Thucydidis Scholiastes, & Harpocratio de aliis, passim Pausanias. Plutarchus, περὶ δεισιδαιμονίας. Porphyrius, περὶ ἀποχῆς, Lib. 2. Et Clemens, ὁ πολυμαθὴς, in Protrept. Procurabant hoc crudele, barbarum & immane facinus, impuri Alastores, & Apostatæ illi spiritus, ὅπως ὅλε μάλιστα ἔχοιεν ἀνθρωπείων ἀνέδλω ἐμφορεῖσθ φόνων. κτὶ πόλεις ὑ ἔθνη, ὅσα ἐι λοιμοὶ βδροκήψαντες αὐτοὺς ἀπήτησαν ἀνημέρως. *Ut se sanguine & cædibus humanis suffarcirent: per gentes, & civitates, tanquam* 35

pestes quædam grassati, litationes, & sacrificia ejusmodi fera & truculenta postulabant.

36 Tertiò, cessasse τῆς σωμάτων θεραπείας. Nam cum variis modis, maleficiisque humana corpora læserant, iisdem iterum, ut Divinitatis opinionem aucuparentur, faciebant medicinam. οἶδα τὴν εἰκείας αὐτῶν δαιμονικῆς ἐνεργείας. ἀφανῶς λυμαινόμενοι, πάλιν, ὡς αὐτοὶ, δι' ἃ τὴν ἐξ αὐτῶν ἀνέσεως ἐλευθέρως τῶν παθῶν ἀφίεσαν. Quarto, cessasse genus omne μαγικῆς ἀπάτης, & illam πειθανάγκην, ut vocabant, quâ sollicitati dæmones, constringi videri volebant. Quintò, Oracula defeciisse, vel omnino, vel maximâ ex parte. Sextò, Τὰς τῶν ἐθνῶν πολυαρχίας, & Tyrannicos, multorum principatus, quos per vim & arma usurpaverant, κτῆ πόλεις, & ferè κωμηδὸν. Et certè verum est, ab exortu rerum, & terris invecto principatu, nunquam tam plenè, & veracitèr impletum, quam sub Augusti principatu, ἐις κοιρανὸς ἔτω; ἐις βασιλεύς. Hæc fusius prosequitur doctissimus Eusebius, Ignatianum sensum locumque explicando.

37 Verum Magi, malefici an fuerant, nondum statutum. Credo ego, cum Iustino τῷ πάλαι, fuisse malis artibus assuetos, & τοὺς παλαιὰς κακὰς πράξεις τὰς ἐνεργουμένας ὑπὸ τῶν δαιμονίων ἐκκυλισθησομένους. Atque is sentiebat ἀπορρήτως doctissimus Origenes. Lib. 1. c. Celsum. pa. 46. & Homil. 13. in Num. quemadmodũ notavit Illustrissimus Baronius. Inquam etiam, citantur ab eodem Basilius, Homil. *in humanam Christi generationem.* Hieronymus in Esaiæ 19. quibus addo Ambros. in 2. Lucæ. Augustinum Serm. 2. de Epiphania. Hilarium in 4. de Trinit. Theophylact. in 2. Matth. & Tertull. de Idololat. cap. 9. Nec dissentit, quod rentur, Clemens: licet Persarum Magos componat cum Philosophis Græcorum Περσῶν ὡς Μάγοι, inquit ille, ὡς μὲν γὰρ σωτῆρος παρεμήνυσαν τὴν γένεσιν ἀστὴρ αὐτοῖς καθηγησάμενος ἐις τὴν Ἰουδαίαν ἀφικνουμένοις γῆν. Cum ergo essent Philosophi è sententia Clementis γόητες non erant. Imò verò iccirco maleficos arbitramur, Magos, quia Philosophos. Nam Tertullianus, Magiæ species enumerans, recitat inter eas, Incantatores, Conjectores, Chaldæos, Astrologos, & Sophistas. Et rursus in Apologet. *Sciunt Dæmonas,* inquit, *Philosophi, Socrate vel ipso, ad Dæmonii arbitrium expectante.*

Li. 1. Strom. pa. 131.

Et

Et Tertullianum magiſtrum ſecutus diſcipulus Cyprianus, in Tract. de vanitate Idolorum. *Hos & Poetæ Dæmonas norant. Et Socrates inſtrui ſe & regi, ad arbitrium Dæmonis prædicabat.* Minutius in Octavio ſic illuſtrat Cyprianum. *Eos ſpiritus, Dæmonas eſſe, Poetæ ſciunt: Philoſophi diſſerunt. Socrates novit: qui ad nutum aſſidentis ſibi Dæmonis, vel declinabat negotia, vel depoſcebat.* Quibus ſimilia loquitur Auguſtinus, & alii. Nec diffitetur ipſe Philoſophus & Magus, Tyrius Maximus, διαλεξ. κϛ'. Σωκράτης δαιμόνιον, ἔν τε ἁπλοῦν καὶ ἰδιωτικὸν καὶ δημοτικόν, καὶ ποταμοῦ διαβαίνοντα ἀναχαλώμενον. ἢ Ἀλκιβιάδην ἐρῶντα ἀναβαλλόμενον. ἢ ἀποδημεῖν βουλόμενον. ἢ ἀποδύεσθαι παρεσκευασμένον μὴ κωλύον. Qui non ſoli Socrati, ſed & aliis è grege Philoſophorum, Dæmonas paredros videtur aſſignare: etiam Cynico Diogeni. Namque dæmonum diſtributione factâ, ſecundum officia, ſtudia, loca habitationis ait, *Hic Socratē, ille Platonem: hic Pythagorā, ille Zenonem: iſte Diogenem, pro habitatione ſuâ, occupavit. Hic quidem terrificus, ille mitis: hic civilis, ille militans.* ἄλλαι δὲ φύσεις ἀνδρῶν, ἄλλαι δὲ δαιμόνων. 38

Et certè, vix fuit, præter Scholæ Peripateticæ & Epicureæ φοιτητάς, Philoſophus, quin dæmonum ſacris operatus fuerit: neque aliter Eunapius, Chriſtianiſmi hoſtis, de plurimis retulit, quaſi cum laude conjunctum, quod dæmonum uterentur ſodalitio. Apollonium Tyanæum, quoties Magum, uti revera fuit, indigitat Cardinalis: qui tamen Philoſophus erat cenſendus cum paucis. Tales Porphyrius, Plotinus, Marinus, Iamblychus, & Maximus Iuliani ſeductor, ille σοφὸς καὶ τοιαῦτα, εἰ τὴν σοφιστὴς, ut de illo cenſuit Nazianzenus. Tales per illa tempora Platonici paſſim erant omnes, dæmonum aſſueti Invocamentis. Ἐπὶ γὰρ τοῦτο, καὶ μανίας εἶδος αὐτοῖς, ζόφῳ τινὶ, καὶ ἀποχθονίοις δαίμοσι, καὶ τῆς μελλόντων συγκίνεως uti in 3. Orat. Nazianzenus: *Hoc ſibi volebant, ſecretarum artium ritus, quibus, affantur, neſcio quas poteſtates, ut ſint placidæ.* Arnob. Lib. V. ut illa, *Vos ô mihi Manes, eſte boni, quoniam ſuperis averſa voluntas.* Nec ſolus λαΐδος τις φιλόσοφος ὁ ἐξ Ὀνεως Ἀνιοχεύς, καὶ τελεστὴς, καὶ μυστικὸς καὶ τερατοεργάτης, ut Tzetzes refert, Chil. 2. Sed idem vir Polyhiſtor, Pythagoram & Empedoclem inter Magos diſertim refert. Et Empedoclis quædam de ſe, & 39

sua in Magicis scientia recitat: ut inde appareat, qualis ille fuerat,

Φάρμακα ὅσσα γεγᾶσι κακῶν, ἠ νήεσσι ἄλκαρ,
Πθύσῃ ἐπεὶ μάλιστα σοι ἐγὼ κραδίῃ τάδε πάντα.
Παυστὴς δ' ἀκαμάτων ἀνέμων μένος, οἵ τ' ὄπα γαίαν
Ορνύμενοι, ποιαῖσι κατασθενόωσιν ἀρωγαῖς.
Καὶ πάλιν, ἢν κ' ἐθέλησθα παλίντιτα πνεύματ' ἐπάξεις.
Στήσεις τ' ἐξ ὀμβρηῖο κελαινῆ κύματα αὐχμόν
Ανθρώποις, φήσεις δὲ ἠ ἐξ αὐχμοῖο φερεῖσιν
Ρεύματα δενδρόθρεπτα, τὰ δ' ἀϊστώσεια φήσουσι.
Ἄξεις, δ' ἐξ αὖθις κατασθενέων μένος ἀνδρῶν.

40 Ita semper penè sociantur Magi & Philosophi: atq; ideò plumbeum telum est: Erant Magi Philosophi; non ergo malefici, vel incantatores. Imò, erant de Magis Incantatores: potius ergo arbitror Clementem accessisse ad Iustini partes, qui Magos maleficos statuebat: eoque magis, quod scripserit in Protreptico, Μάγοι δὲ ἤδη ἀσεβείας καὶ σοφῶν αὐτῶν ὑπηρέται δαίμονας αὐχοῦσι οἰκείους αὐτοὺς ἑαυτοῖς καταγράψαντες τοὺς κατηναγκασμένους δήλους εἶναι ἐπῳδαῖς πεποιηκότες: ubi statuit Magos inter maleficos.

41 Verum isti Magi, inquient, de Perside venientes malefici non erant, sed Philosophi, Politici, Sapientes, Astrologi, Sacerdotes. Nam Herodotus, Strabo, alii, illorum id officium fuisse ostendunt, ut sacra Persarum curarent, & sapientiam profiterentur. Quid tum vero? etiam regibus erant à consiliis. *Græci ergo*, inquit vir doctissimus, *cum in rebus Persicis hanc vocem usurpant, nunquam aliter accipiunt*, scilicet, quam pro Philosopho. Quod certissime falsum est. Vocem profecto, quod diximus, Persicam profitemur contra Etymologum, & Eustathium, sive illa defluxerit à regione Magodia, quod Casaubono non placet: sive à Magia quadam regione orientali: & à Magis, populo illam incolente, quod visum Celso apud Origen. in fine Libri VI. sed vocis subjectum, sive apud Persas, seu apud Græcos, de rebus Persicis loquentes, non semper Philosophum aut Sapientem, sed γόητα vel maleficum significabat. Hesychius ita refert: Μάγοι, τοὺς ἀπατεῶνας, φαρμακευτὰς, τοὺς φιλοσόφους,

φιλόσοφον, θεολόγον, ϗ ἱερέα. ⓘ Πέρσαι ὕτω λέγουσι. Clarè ait apud Perſas eſſe ἀπατεῶνα, & φαρμακευτὴν. Inſinuat de Græcis, in communi ſuâ linguâ: quod apertius expreſſit Scholiaſtes Sophoclis in Oedip. Tyran. ubi Tyreſiam ſic deſcribit, ab Oedipo ſubintroductum,

ὑφεὶς μάγον τοῖον δὴ μηχανορράφον
Δόλιον, ἀλυπτὸν, ὅστις ὢν τοῖς κέρδεσι
Μόνον δέδορκε.

Pa. 168.

Ad quem locum Scholiaſtes. Μάγους ἐκάλουν, τοὺς τὰς ψευδεῖς φαντασίας ὑποτιθεμένους. Præſtigiatores vult & ἐμπαίκτας. Addit autem, ἀπὸ τούτου δὲ ϗ τοὺς φαρμακεῖς μάγους ἔλεγον. Maleficos, Veneficos, Incantatores. Unde μαγώτερα ſunt θελκτικώτερα. apud Epigrammatarium Poetam. ϗ κέστος φωνοῦντα μαγώτερα quod Epigramma citatur à Suidâ, dictione μάγος: ubi & Sophoclis illum recitatum locum inſinuat, & exſcribit ejus Commentatorem.

Pa. 469. edit. Steph. in 4.

Scio etiam Porphyrium in 4. περὶ ἀποχῆς de Magorum dignitate ſcribentem, quæ ſuperius ſunt allata. Sed illa, nec Darium, nec Darii Patrem, nec eorum Antiſtites & Sacerdotes à μαγαθύμασιν excuſant: non ab Incantationibus & cæteris ſacrilegis ritibus eximunt, quos Lucianum proſequutum meminimus, ut facilè conſtet, quales per Luciani ætatem, non valde remotam ab Incarnatione Domini, Magi fuerint profeſſione. Γένος τοῦτο μαντικὸν, ait idem de iiſdem in Longævis, ϗ θεοῖς ἀναχείμενον. Μάντεις autem quibus ſacris initientur, ſciunt, qui non ignorant, plus illâ voce contineri quam ἐξομολόγησιν, ut in Atticis Pauſanias habet. Τοῦτο γὰρ μαντεύεσθαι ἴδιον, inquit Chryſoſtomus, ὃ ἐξεσκεύασε, ὃ ἀναγκὴν ὑποφαίνειν. ὃ σύρεσθαι ὥσπερ μιπόμενον. ut non tantum φοιβόληπτοι, ſed & φρενοβλαβεῖς exiſtant. Et tales erant Perſarum Magi.

42

Neque fieri poteſt, quin illa monſtra, quæ deſcribebat Agathias, Dæmonum impuriſſimorum ſpirituum miniſteriis aſſueſcerent & contubernio. Quod & priſcis temporibus, ut Xanthus dicebat, factitabant illi. Nec afferri debet, non loquutum de Perſarum Magis, cum fuerint etiam apud Parthos, Bactrianos, Choraſmios, Araxos, Sacas, Medos Magi, quemadmodum teſtatur in Longævis

43

Lucianus,

Lucianus. Nam gentes iſtæ omnes vicinæ fuerant, & ἀγχιτέρμονες, adeò ut interdum, pro Medis aut Perſis commemorentur. Sed per ætatem Xanthi, qui Cyro συγχρονος, Lydiaca ſcripſit, Magi erant Perſis peculiares, & ab iis ad alias vicinas Gentes, ſed non niſi progreſſu temporis, commeabant: Et profectò, quid vetat, incerta illa connubia Magis imputare, cum exiſtant etiam apud Chriſtianos, qui pari impuritate penè debacchantur: adeo confuſis juribus humanis & divinis, ut citare poſſem, τὸν ὅτι βαθμῶν quendam ætate noſtrâ, quem alius nominare poterat, vitricum, fratrem, avunculum, conſobrinum. Et fuiſſe memoratur, qui Romæ de diſpenſatione agebat, ut propriam filiam, matrimonio ſibi copularet. Hic jam illud Agathiæ citare licet: ὦ νόμοι καὶ φύσις!

44 Neque obſtat, quod cum plura Magorum genera fuerint, tantæ & tam horrendæ impietates apud omnes non reperirentur. Quod fieri potuit: ſed an ita fuerat, haud certe conſtat. Verum ut ita eſſet, probandum eſt Magos iſtos, de quibus quærimus, de numero optimorum extitiſſe, & non peſſimorum. Quos præter ſupra recitatos Philo Platonicus ſic deſcribit. Εἰ δέ τις ἡ τοιαύτη μαγεία τῶν τῆς (genuinæ nimirum Magiæ, & naturalis) κυρεύεσθαι φάναι, κακοπραγία, ἣν μηναύρται καὶ βωμολόχοι μεπᾶσι, καὶ γυναικῶν καὶ ἀνδραπόδων τὰ φαυλότατα θεσμάτιον καὶ καθαίρειν ἐπαγγελλόμενα. καὶ τέρμονας μὲν εἰς ἀνήκεστον ἐλθεῖν, μισοῦντας δὲ, εἰς ὑπερβάλλουσαν εὔνοιαν ἄξειν ὑπεχόμενα, φίλτροις καὶ ἐπῳδαῖς λισσὰ εἶναι τοῖς ἁπλάστοις καὶ ἀκακωτάτοις ἤθεσι χρωμένους ἀπατᾶν καὶ ἀγκυρεύειν, μέχρις ἂν τὰς μεγίστας συμφορὰς, δι' ἃς οἶκοι καὶ συγγενειῶν ὅμιλοι μεγάλοι, καὶ πολυάνθρωποι, κἂν μυρίον, ὑποῤῥέοντες ἀφόρητοι ταχέως ἐξεφθάρησαν. *Ab hac diſciplina, velut adulteratâ monetâ, profluxere malæ artes, quas circulatores frequentant, & aridi, mulierum, mancipiorumque nequiſſimorum expiationes & luſtrationes, qui profitentur: qui poſſe recipiunt amantes in odia irreconcilianda deducere: rurſus odio diſſidentes capitali, amicitiâ conglutinare per quædam philtra & incantamenta. Quique ſimplices homines, & moribus faciles, deceptos venantur, & in maximas conjiciunt calamitates: ita ut interdum totæ familiæ & agnationes, paulatim ad interitum redigantur.* Quos etiam apud Perſas agnoſcit Philo. Neque quicquam obſtat, quod veteſti Perſarum

De ſpecial. Legib.

Reges,

Reges, vel ipsi, Magorum disciplina imbuebantur, vel Magorum consiliis, in arduis reipub. negotiis utebantur.

Parthi iisdem vestigiis institerunt, quod testatur in Persicis Procopius, qui subverso Persarũ imperio per Asiam deinceps reghabant: sed & Romanorum multi principes horum sacris & ritibus assuefiebant, à Nerone, qui, oblato per Magos sacrificio, Manes evocatos exorabat. Adrianus, omnium curiosarum artium usu, cum hydrope laboraret, μαγικαῖς καὶ γοητείαις, aquas illas formidatas exiccabat; sed ad tempus tantum: nam recrudescente morbo, interiit. De Commodi successore Iuliano narrat Xiphilinus; Ἔκτανε γὰρ παῖδας συχνὰς ὅτι μαγικαῖς, ὡς ἐδόκει, τέχναις τὴν τοῦ μέλλοντος, εἰ τοιαῦτα αὐτὰ δυνήσοιτο. De Caracallâ narrat idem, Τοῖς μάγοις, ὅπως ἔχαιρεν, ὥστε καὶ Ἀπολλωνίου τὸν Καππαδόκην, ἐπαινεῖν, καὶ τιμᾶν, καὶ Ἡρῶον αὐτῷ κατασκευάσαι. Eundem refert Herodianus in 4. Astrologos & γόητας, undiq; accersiviſſe, ita ut neminem præteriret τοῦ τῶν γοητείαν ἐαυτὸν ὑποκριμένων. Præterea scripsit ad Maternianum præfectum urbis, ut Magos conquireret perituſſimos, & de suo exitu sedulo inquireret. Imò & boni alioqui Principes istis impostoribus usi leguntur. M. Aurelius Iuliano γόητι. Iulianus Parabates à Maximo Mago illectus, Deũ desetuit: idem Iamblycho, altero Mago, familiariſſimè fruebatur: & Magorũ ritibus libenter vacabat, quemadmodũ illum increpat Nazianzenus. Ita non erit nobis impedimento, Magorũ politica ἀναγραφὴ, quo minus in Maleficorũ censu illos reponamus, qui, etiã vel è Persia, venerabundi advenerunt.

Poterant ex illorum esse sodalitio, qui quotidie, quod refert Strabo, πυρεῖα, hoc est loculos, tumulos, septa quædam cineribus repleta, & igne æterno, ingressi, ἐπῳδὰς suas demurmurabant. Qui in I. numerat inter μάντεις ἱερομνήμονας, Chaldæos, & in XVI. ubi cum Tiresiâ, Amphiarao, Trophonio, Orpheo, Musæo Necyomanticis, Lecanomanticis, Hydromanticis, Chaldæis seu Mathematicis, Haruspicibus, Persarum Magos, & Indorum Gymnosophistas recenset, omnes summo loco apud suos & dignitate habitos adeo ut ἐξαίρετοι, tanquam ἀνδρῶν θείων καὶ θεοφιλῶν καὶ ἐναρμονίων καὶ ἐπαοιδοποιῶν. Nam sic vel Pagani, in opprobrium Christianorum, Sacerdotes honorabant.

47 Falſum eſt igitur, quod tamen viri longè doctiſſimi, confidenter pronunciant Græcos, cùm de Perſarum Magis loquuntur, vocem illam nunquam niſi in meliorem partem accipere. Neque aliter Pauſanias in Eliacis prioribus, ubi præſtigiatores quoſdam γόητας in Lydiâ fuiſſe narrat, qui murmuratis quibuſdam arcanis vocibus; & Dei cujuſdam incogniti nomine invocato, flammam in altaribus, ſine igne appoſito, excitabant. Εσι δὲ Λυδίοις ἐπῳδαὶ τῶν Περσικοῖς ἱερεῖ, ὲ τι Ἱππαταιρείᾳ καλυμένῃ, ἡ δὲ ὑπαίπους, ὲ ἑκατέρᾳ δὲ τῆς ἱερῶν ὄνομά τι. ὲ ὲ ὀνόματι, ἔστιν ὅτι βωμῷ τεφρά, ξοάνῳ δὲ, ἡ κατὰ τέφραν ἔστιν αὐτῇ τιὼ ἄλλῳ, εἰσελθὼν δὲ εἰς τὸ ὄπισθεν ἀνὴρ μάγος, ὲ ξύλα ἐπιφορήσας ἄνω ἐπὶ τὸν βωμὸν, πρῶτον μὲν πάρεσιν ἐπίθετο ἐπὶ τιὼ κεφαλίδων. Δευτέρᾳ δὲ ἐπίκλησιν, ὅτῳ δὲ θεῷ ἐπᾴδει βάρβαρα, καὶ ὐδαμῶς συνετὰ τοῖς Ἕλλησιν. ἐπᾴδει δὲ ἐπιλεγόμενος ἐν βιβλίῳ, ἀνευ δὲ πυρὸς ἀνάγκη πᾶσα ἀφθῶσι τὰ ξύλα, ὲ αὐτόφανῆ φλόγα ἐξ αὐτῶν ἐκλάμψαι. Omnino, expreſſit Pauſanias, ritum ſacrorum Pyrætheiorum, quem Strabo in XV. tantum inſinuabat, obſcurius, ut vice commentarii inſerviant ad illa Straboniana explicanda de ſacris Pyrætheis, de quibus nihil alibi legiſſe ſe fatetur doctiſſimus Caſaubonus.

48 Deus autem ille incognitus, quem nominabant Magi, in ſuis incantamentis erat Deus verus & æternus: Deus Abraham, Iſaac, & Iacob. Ita diſcimus ab Origine lib. IIII. in Celſum: Ὧν τοσοῦτον δύναται τὰ ὀνόματα συναπτόμενα τῇ τοῦ θεοῦ προσηγορίᾳ ὡς ὑ μόνον τὰς ἀπὸ τῆς ὕλης ἀχθῆναι, ὰ καὶ τοὺς τοῦ θεὸν θύοντας: καὶ ὰ τῷ καταπεφθεῖν δαίμονας τῷ, ὁ θεὸς Ἀβραὰμ, ὁ θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ θεὸς Ἰακὼβ. Ἀλλὰ γὰρ καὶ ὰ πάντας τὰς ἀπὸ τῆς ἐπῳδῆς ὰ μαγικῶν πραγματευομένους. Εὑρίσκονται γὰρ ὰ τοῖς Μαγικοῖς συγγράμμασιν ἡ τοιαύτη τοῦ θεοῦ ἐπίκλησις καὶ ἐπιφώνησις τοῦ θεοῦ ὀνόματος, ὡς ἰδιωτικὰ τοῖς ἀνθρώποις τούτοις ἐπὶ τὰ καὶ τῆς δαιμόνων. *Quorum* (hoc eſt, Abrahami, Iſaaci, & Iacobi) *nomina, tali vi ac potentiâ prædita ſunt, divino nomini coadunata, ut non modo, ortu Iudæi, in precibus ad Deum fuſis illa adhiberent. Sed & in Dæmonibus incantandis, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Magicis ritibus & incantationibus dediti, iiſdem utuntur. Nam in libris Magicis, talem Dei invocationem, ejus nominis Divini uſurpationem invenimus. Quaſi peculiare quid hiſce viris affuiſſet privilegii contra Dæmones.* Nec abludit à

veritate

veritate, dæmonem ritus hoſce Pyræthaicos, ab illo ſacrificio tranſtuliſſe, quod in Achabi præſentiâ Elias accendit, invocato nomine Dei Abraham, Dei Iſaac, & Dei Iacob. Atque ita, iſtis non obſtantibus, fuerint Maleſici Perſarum Magi.

Porro erant iſti Magi Orientales, Balaami ut volunt diſcipuli, ex ejus ſcholâ profecti. Hoc vulgò creditur: nec refugit Cardinalis. *De Balaam, fertur Magorum gens,* inquit Origenes, *& inſtitutio in partibus Orientis vigere: qui deſcripta habentes apud ſe omnia quæ Balaam prophetaverat, etiam hoc habuerunt ſcriptis mandatum, Quod oritur ſtella de Iacob.* Et in hanc ſententiam, nimirum de Magis profectis è ſchola Balaam, loquuntur paſſim Patres. Quorum agmen ſtipavit in Commentariis ſuis Barradas. Iam verò, ſi inſiſtebant præceptis & diſciplinæ doctoris ſui, oportet eos fuiſſe μαντικῆς ἴδῃ μεμυημένους. Balaam enim certum eſt fuiſſe divinationibus aſſuetum. Atque ita Philo de vitâ Moſis: ἁπάντα μὲν γὰρ ἐμεμύητο τὰ μαντικῆς ἴδη. οἰωνοσκοπίαν δὲ καὶ τοῖς μάλιστα συγχεχρότημένοις ἐθαυμάζετο πολλοῖς, καὶ πολλάκις ἐπιδείξαμενος ἄπιστα καὶ μεγίστα. Adeò ut omnia, quæ præſtigiatorem Magum, vel ut Philo loquitur, ὑπερμεγέθη decebant, de illo recte adhiberi poſſint. Quem denuò vocat οἰωνομάντιν, καὶ περιποιητὴν, ὡς τὰς ἀθεμίτους ἐπιτηδεύσεις μαντεύεσθαι. 49 *Homil. 13. in Num.*

Accedit, quod diſciplinæ totius Magicæ, de communi omnium ſententia princeps & inventor fuit Zoroaſter: quem Medũ appellat Clemens; & alibi Magum Perſicũ. Gregorius Turonẽſis fuiſſe illum Chamopinatur, de quo ita loquitur; *Hic fuit totius artis magicæ inventor primus, imbuente Diabolo: qui & ſtellas, & ignem, de cœlo cadere, falsâ virtute, hominibus oſtendebat. Hic ad Perſas tranſiit. Hunc Perſæ vocavere Zoroaſtren.* Ab iſtius Zoroaſtris, ſive alterius ei cognominis (nam Clemens in ā Strom. Zoroaſtris cujuſdam meminit Pythagorâ poſterioris) inſtitutis atque ſchola, Agathias ſcribit Artaxarem illum profectum, qui à Parthis ad Perſas imperium reduxit. Is erat τῇ μαγικῇ μέτοχος ἱερουργίᾳ, καὶ αὐτουργὸς τῆς ἀπορρήτου. Quales fuiſſe veteſtiores ipſorum Magos, ex ejuſdem diſciplinæ inſtitutis, certum eſt. Et verè relatam per Hieronymum, *Habuiſſe Babylonem, omnemque Chaldæam, Incantatorum, Augurum, Haruſpicum,* 50 *In c. Eſai. 48*

riolorum, & Gazarenorum ſtudium, quos nos Haruſpices appellamus. Danielis Prophetæ lectio probat, qui ad illorum conſilia Reges Babylonios cuncta feciſſe commemorat. Sollertiſſimus quoque omnium doctrinarum ſcrutator Tertullianus, non ſemel Magos maleficiis immerſos prodit: in Apolog. ca. 23. *Magi phantaſmata edunt, & defunctorum inclamant animas: pueros in eloquium oraculi eliciunt, multa miracula circulatoriis præſtigiis illudunt: ſomnia immittunt, habentes ſemel invitatorum Angelorum, & Dæmonum aſsiſtentem ſibi poteſtatem, per quos, & capræ, & menſæ divinare conſueverunt.* Et cap. XXV. Aſtrologos, Haruſpices, Magos, de Cæſarum capite conſultatos prodit: quas artes, ut ab Angelis deſertoribus proditas, & à Deo interdicto damnatas docet: licet, aliàs, Aſtrologiam licitam fuiſſe velit, uſque ad incarnationem Chriſti. Et de Anima: cap. 28. *Scimus Magos elicere, explorandis occultis per catabolicos, & paredros, & Pythonicos ſpiritus.* Et multo plenius cap. 57. *Vt ipſis vocabulis utar, quibus auctrix iſtarum opinionum Magica ſonat, Hoſtanes, & Typhon, & Dardanus, & Damigeron, & Nectabis, & Bernice: Publica jam literatura eſt, quæ animas, etiam juſtâ ætate ſopitas: etiam probâ morte diſjunctas: etiam promptâ humatione diſpunctas, vocaturum ſe ab inferûm incolatu pollicetur. Quid ergò dicemus Magiam? Quod omnes penè fallaciam ita Magi nuſquam ſine reprehenſione*: penè.

51 ὅτι πᾶς ἀπλαῖς ὡς ὑπῆρξε.

Sed objicitur Philo, qui de Perſarum magis honorificè ſcribit, eos in rerum naturalium indagatione verſari: vitæ deditos contemplativæ: in illa autem quietiori ſtatu, dilucidioribus quibuſdam demonſtrationibus, ad agnitionem Divinæ veritatis pervenire, & virtutibus initiari. Ἐν Πέρσαις μὲν τὰ τῶν μάγων γένη ἀνδρῶν τὰ τῆς φύσεως ἔργα διερευνόμενοι, σοφοὶ ἐπίγνωσιν ἀληθείας καθ' ἡσυχίαν τῶν θείας ἀρετῶν τελειοτέραις ἐμφάσεσι ἱεροφαντοῦνται. Ita omnia θεοφιλῶς, de Perſarum Magis: quos longiſſime ſemotos ab artibus illicitis ſeponit. Et verum eſt, quod alibi dixit, τῶν μὲν ἀληθῶς μαγικῶν, ὁπόσοι θεοσεβῶς ἐπιτηδεύουσι, τὰ φύσεως ἔργα τελειοτέραις φαντασίαις ἐπαΐοντες σοφοὶ καὶ θεομάχητον δικαιοσύνην εἰδότες. Adeo ut, non tantum privati, ſed & Reges affectarent: Quæ tamen præconia nihil impediunt, quin vera ſint, quæ de maleficiis commemoravimus. Nam & Agathias, hoc de quibuſdam fatetur, qui tamen

tamen de Magis, horrenda quædam memoriæ mandavit. Certè naturalium rerum indagationi intentos: motus, ortus, fluxus ſyderum, anni tempeſtates obſervaſſe, in confeſſo ponitur: qui inſuper illa horrida, vergentibus in deterius ſtudiis, factitabant: quemadmodum ex ipſomet Philone docuimus in præcedentibus.

Huic ſcientiæ inquit Ammianus Marcellinus, ſæculis priſcis, multa ex Chaldæorum arcanis, Bactrianus addidit Zoroaſtres &c. conſentit Strabo, qui in XVI. ait, Magos, τὰς μὲν ἀρχὰς λαθόντας ὑ φαύλως, ἐκπεπτωκέναι δὲ ὅτι τὸ χεῖρον. Sed & in illâ fæce & ſentinâ nequiſſimorum hominum, ſemper proculdubio extabant nonnulli, qui non aſcenderent ultra licita & naturam. Neque enim inter mirabiliarios, omnes reperiuntur ſuperſtitionibus addicti, nec omnes εὐήθως, nocturnas viſiones, apparitiones, ſpectra, terriculamenta, quæ plurima ſibi fingunt malè feriati, veras credunt, & γελάτας eſſe viſiones: ſed vel Sathanæ præſtigias, vel nebulonum, & circulatorum fraudes. Tertiò, ut utramque ſcientiam conjunxerint, fuiſſent denominati à potiore. Nemo enim repente turpiſſimus. Sed, ut quibuſdam gradibus Romulus in cœlum, ita improbi deſcendunt in infernum. 52

Et ex horum, ut videtur, opinione, Suidas Magiam definit, Ἐπίκλησιν δαιμόνων ἀγαθῶν τινῶν πρὸς ἀγαθῦ τινὸς σύστασιν rei nequitiam, verborum mollitie attemperans. Nam in ſequentibus ait, Μάγους ἐκάλουν τὰς ψευδεῖς φαντασίας πρεσπιθέντας ἑαυτοῖς. Hi ſunt illa Philonis θαλάμματα. 53

Poſtremò, ut verbis Auguſtini loquor, Neque illi ab hoc genere pernitioſæ ſuperſtitionis ſegregandi ſunt, qui Genethliaci, propter natalium dierum conſiderationes, nunc autem vulgò Mathematici vocantur. Et recitatum eſt è Tertulliano, eſſe Magiæ & Aſtrologiæ inter ſe ſocietatem. *Expelluntur Mathematici*, inquit Tertullianus, *ſicut Angeli eorum; Vrbi & Italiæ interdicitur Mathematicis: ſicut Angelis eorum, cœlum. Eadem pœna eſt exilii, diſcipulis & magiſtris.* Et Hieronymus, utcunque in ſecundum caput Danielis commentatus, Magos, qui Chriſtum adoraturi venerant, Chaldæorum Philoſophos appellet, non tamen excuſat à nequitiâ & impietate. Nec ſunt illa Hieronymiana, 54 *De Doctr. Ch. 2. ca. 20.*

na, quod opinantur, adeò pro Magis Philoſophis, ut non etiam taxent Magos maleficos: nedum contrariam Iuſtino ſententiam ſtabiliunt, quod ipſemet Hieronymus, in Prophetam Eſaiam loco, quem jam anteà deſcripſimus, conceptis verbis atteſtatur in Danielem porrò, ita loquitur. *Quos non hariolos, cæteri* ἀπαιδεύτους *interpretati ſunt, id eſt, Incantatores. Hi ergo videntur mihi Incantatores eſſe, qui verbo rem peragunt. Magi, qui de ſignis philoſophantur. Malefici, qui ſanguine utuntur, & victimis, & ſæpè contingunt corpora mortuorum. Porrò, in Chaldæis Genethlialogos ſignificari puto, quos vulgo Mathematicos vocant. Conſuetudo autem, & ſermo communis, magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem ſuam, eò quod ſint Philoſophi Chaldæorum.*

55 Certè Philoſophorum titulus non excuſat à cataboli-cis, aut paredris ſpiritibus. Nec quia Regibus Perſarum a conſiliis erant Magi, ideò non erant malefici, malis & curioſis artibus aſſueti. Nam & principibus ſcimus Chriſtianis, taleſmodi, non rarò, in delitiis. Et apud Romanos, non tantum monſtra & portenta hominum, ſed præſtantiſſimi alioqui principum, hiſce impoſtoribus utebantur. De Veſpaſiano, ait Tacitus, *Nec erat intactus tali ſuperſtitione: ut qui mox rerum Dominus, Seleucum quendam mathematicum, rectorem & præſcium palam habuerit.* De Hadriano narrat Spartianus, *Fuiſſe eum peritum Matheſeos, Marius Maximus, adeò demonſtrat, ut eam dicat cuncta de ſe ſciſſe: ſic, ut omnium dierum, uſq; ad horam mortis, futuros actus ante præſcripſerit.* De Severo, Conſtantiſſimo principum, uti illum appellat Tertullianus, ſimillima prodidit idem Spartianus. Alexander quoq; Severus, inter opimos principes cenſeri ſolitus fuit, & tamen de illo narrat Lampridius, Matheſeos peritus fuit: Et ita quidem ut ex ejus juſſu mathematici publicè propoſuerint Romæ, ac ſint profeſſi, ut docerent. (Sunt autem mathematici, prout tunc loquebantur, Apoteleſmatici) Aruſpicinæ quoque peritiſſimus fuerat: ὀρνεοσκόπος magnus: ut & Vaſcones, & Hiſpanorum, ac Pannoniorum Augures vicerit.

56 Eſt ergo languidiſſimum argumentum, quod affertur, Erant olim Magi Philoſophi: rerum naturalium ſcrutatores & antiſtites: erant politici, & in repub. verſati: erant

Regibus

Regibus familiares, & à consiliis, non erant ergo artium curiosarum satellites. Imo verò, ob eas ipsas causas, potius erant; qui Reges in tantum dementaverant, ut haberent ad omnia sibi astrictos & obligatos. Videtur Agathias eò inclinare, ut existimet Magos apud Persas Regum intimis & secretioribus consiliis admotos, ut execrandarum libidinum magistri essent in secreto, & procuratores, talibus enim ministris & opus habent, & in pretio eos ducunt, qui sunt ὑπὸ βαθμοῖς constituti, non ut hominum saluti consulant, sed ut vivere possent, ipsi ut velint. Τὸ γὰρ μέγας ὄχλον ἀνάκτων.

Quicquid autem aliud frequentabant Magi, positum 57
certe est in confesso fuisse peritissimos Astrologiæ. Magiæ autem, quocunque modo acceperis, sive pro curiosâ, seu naturali scientiâ, species habebatur Astrologia. Verba sunt Tertulliani: *Cum Magia punitur, cujus est species astrologia. Vtique & species in genere damnatur.* Ideò non dubitat ille, impietatis omnis rigidissimus censor, Astrologos cœlo excludere. *Non potest*, inquiens, *regnum cœlorum sperare, cujus digitus, vel radius abutitur cœlo.* Astrologi enim, præterquam quod cœlo & syderibus abuterentur, ad alias impias, vanas, superstitiosas artes, eodem & dæmone instigatore, sunt prolapsi, quo prius usi fuerant ad illas curiosas disciplinas seductore. Ieaque Astrologi & Magi conjunguntur: ac populari sermone pro eodem usurpantur Mathematici, Planetarii, Chaldæi, Apotelesmatici.

Atque ita ὀφ' ἓν apud Cornelium Tacit. Annal. I. *Factum Senatus consultum, de Mathematicis Magisque Italiâ pellendis*, propter Labeonis conspirationem, quem Senator quidam Firmicus Catus, ad Chaldæorum promissa, Magorum sacra, somniorum interpretes impulerat: & Annal. XII. Chaldæos Magos interrogatos, ait, super nuptias Imperatoris: & in Senatus consulto, apud Ulpianum, Lib. VII. de Proconsulis officio, Mathematicorum taxatur callida impostura Mathematici, Chaldæi, Arioli, & cæteri, qui similem artem fecerunt, aquâ & igni interdicuntur. Ideo Dio, Lib. 49. τοὺς ἀστρολόγους, & τοὺς μάγους conjungit. Nam, quemadmodum erudite advertebat Augustinus, istæ quoque opiniones, quibusdam rerum signis, humanâ

58

De Doctr. Ch. l. 2. c. 21.

humanâ præſumptione inſtitutis, ad eadem illa, quaſi quædam cum dæmone pacta, & conventa referenda ſint, licet, ut paulò ante notabat ille Pater, mitiore nomine, illam Phyſicen vocent, ut non, quaſi ſuperſtitione implicare, ſed naturâ prodeſſe videantur.

59 Quæ cum ita ſint, & cum doctiſſimus Baronius fateatur ad annum Chriſti LVI. Sect. XLI. Iudiciariam ex aſtris divinationem æque ſemper execrandam Chriſtianis viſam, atque Magiam, eſſe: Neque Chriſtianis tantum, ſed & apud Ethnicos inſuper, judicatam, pari impietate laborare, optime, quod mihi videtur, pedibus iviſſet doctiſſimus vir, in illorum Patrum ſententiam, qui Magos, Chriſti advenas, unde unde advenientes, ſyderibus aſſuetos, curioſis artibus deditos, inter hariolos, incantatores, maleficos reponebant. Nam licet, apud Perſas Magi forent ſapientes, & non maleſici, quod viſum authori operis imperfecti, ille tamen, cum ignotus fuerit, non Chryſoſtomus, forſitan Hæreticus, non eſt tanti, ut illum, tot & tantis egregiis ſcriptoribus dirilictis, amplectamur. Author quoque libri, de Chriſti operibus Cardinalibus, non eſt Cyprianus; ſed longè infra ætatem poſitus Cypriani; eruditus tamen: Sed is non hoc affirmat diſertis verbis, minime fuiſſe maleficos Magos, potius contrarium docet: *Erant viri aſſueti ſyderum inſpectionibus*, ait: *qui per artem mathematicam, vim diſcurſumque noverant planetarum: qui ex natura elementorum, rationem temporum metientes, aſtrorum*
8 *miniſteria certis experimentis propriis didicerant affectibus aſſignata.*

60 Origenis de hac re ſententiam qui declarat, locus eſt inſignis To. 1. con. Celſum. pag. 46. Ἐι δὲ δεῖ καὶ τὸν περὶ τῶν μάγων ἀναγραφέντα, ἐπὶ τῇ γενέσει τοῦ Ἰησοῦ, ἑκατέρως πραγματεύσασθαι, ἐν εἰπόμεν. *Quid ſi examinanda ſint, quæ de Magis & ſtellâ, in nativitate Ieſu, ab iis viſa, ſcripta ſunt, aliter apud Græcos, aliter apud Iudæos; loquar apud Græcos quidem, magos qui cum Dæmonibus habent commercium, eoſque ad artes ſuas, atque operationes invocare ſolent, tantiſper id agere, dum vis quæpiam divinior ac potentior, his, qui per incantationes invocantur, interveniat, vel nominetur. Quod ſi divinior illa ſuperveniat, deſtruuntur operationes Dæmonum, non valentium obtineri lucem*

Divinam.

Divinam. Iccirco veroſimile eſt, in nativitate Ieſu, quando multitudo militiæ cœleſtis, ſicut authori Lucæ credimus, laudavit Deum, dicens, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis; dæmonas eam ob cauſam debilitatos obtorpuiſſe, deprehenſis eorum præſtigiis, efficaciâque deſtructâ: non ſolum adventantibus ad proxima terræ loca Angelis, verum etiam agente id Ieſu animâ, & eâ, quæ in ipſo eſt, Divinitate. Cumque Magi operarentur ſolitis incantationibus, non vulgarem hujus caſus cauſam rati ſcrutabantur: viſoque in cœlis prodigio, voluerunt, per id, quod ſignificabatur, videre. Itaque cum haberent, ut opinor, Balaami prophetias, quarum & Moſes meminit, extollens eum, ut hujus facultatis peritiſſimum, invento illic de ſtellâ oraculo, verbiſq; illis, Oſtendam ei, ſed non nunc: Beatum facio, & non appropinquabit, conjectaverunt eum, qui cum ſtella pronunciatus eſt, hominem, in vitam adveniſſe, conceptaque opinione de illo, potentiorem eſſe omnibus dæmoniis ac ſpectris familiaribus, decreverunt eum adorare. Venerunt igitur in Iudæam, edocti jam natum eſſe regem quendam, cæterum ignari cujuſnam regni, aut ubinam natalium ejus eſſet locus. Hæc Origenes maximè probabilia & conjuncta cum veritate protulit. Vnde recte vetus interpres Magos, & non Philoſophos vertit, aut Sapientes. Et in noſtra vulgatâ verſione, *Wiſe-men*, tranſtulerunt Interpretes: hoc eſt, ut loqui ſolemus, *Wiſards*, quod idem eſt, ac ſi *Mages*, vel *Magicians*, dixiſſent. Et ſic Sagam, Maleficam, ſæpè vocamus θεοφάντα, *A Wiſe-woman*: & ita illam Endoream Sagam, quæ Sauli illuſit in Samuele, verterunt, *A Wiſe woman*.

Certe, non eſt litigandum, tanquam de re fidei, fuerintne Magi illi Orientales, malefici, arioli, impoſtores, incantatores, an non fuerint. Fuerint ſapientes, eruditi, Philoſophi, non impuri nebulones. *Cum cernimus homines*, quemadmodum ait B. Leo, *mundanæ deditos ſapientiæ, & à Ieſu Chriſti confeſſione alienos, de profundo erroris ſui reduci, & ad cognitionem veri luminis advocari, divinæ proculdubio gratiæ ſplendor id operatur; ut quicquid novæ lucis, in cordibus apparet tenebroſis, de ejuſdem ſtellæ radiis micet, ut mentes, quas ſuo fulgore contigerit, & miraculo moveat, & ad Deum adorandum præeundo perducat.* Illud tamen dicendum eſt, plus gloriæ, honoris, & laudis acceſſurum brachio Dei excelſo, & In- 61

ſanti in cunis Servatori, ſi non tantum Magi, hoc eſt, ſapientiâ & eruditione præſtantes, ſed & impii, impoſtores, & malefici ad eum convertebantur. Quemadmodum Philippi & Apoſtolorum virtutem in Euangelio divinam commendabat, quod & Simon Magus, qui τὶς μέγας habebatur inter Samaritanos, ad Baptiſmum acceſſerit, abnegatis curioſitatibus: & illi etiam Incantatores, qui libros ſuos ingentis pretii venalitios, ultricibus flammis conſecrabant, quam ſi de vulgo, & fæce hominum ignorantiũ, aliquot centurias initiaverant. Atque huc opinor, de Magis hiſce Orientalibus, Theophylactus inclinavit: ait enim, Ἵνα ἡ δόξα τοῦ θεοῦ πλέον ἐκλάμψῃ, μαρτυρόντων τῶν μάγων, τῶν μάλιστα τοῖς δαίμοσιν ὑποκειμένων, τοῦ θεοῦ ἐχθρῶν. Quo nimirum Dei gloria magis eluceſcat, dum Magi perhibent ei teſtimonium, qui pluſquam vulgus hominum ſubjecti dæmoniorum imperio tenebantur. Atque iſta, de hac quæſtione, dicta ſunto.

62 *An fuerint Reges.*

Sequitur altera quæſtio, An fuerint Reges? *Non eſt toleranda illorum tyrannis*, ait Caſaubonus, συμφημὶ καλὸς, *qui non poſſunt tolerare ſentientes aliter in Eccleſia Dei, quam fuiſſe illos Reges*: nec minus toleranda coram αὐθαδείᾳ, qui æque minus ferre poſſunt, ſentientes in Eccleſiâ, quod fuerint Reges. Ζεῦ πάτερ, ὡς καθαρῶν πᾶν ἀπόλοιτο γένος. Liberum per me, cuique eſto, hic in ſuo ſenſu abundare. Cenſeant alii non fuiſſe reges: non obluctor: non indignor. Nec alius mihi iraſcatur Reges fuiſſe arbitranti. Nam, quod me attinet, fuiſſe arbitror. Non ob eam cauſam, quod Magi erant, & Magos reges ferè habuit Oriens. Nam & hoc falſum eſt; etſi verum eſſet, tamen mihi efficeret, cum, utcumque omnes Reges eſſent Magi: hoc eſt, Magicâ ſcientiâ inſtructi, non tamen omnes Magi forent Reges. At neceſſe eſſet ſic fore, ſi, quod Magos Reges habuit Oriens, ideo iſti dicendi eſſent reges. Certe fuiſſe illos Reges, non eſt mea fides: ultra credulitatem non progredior. Moveor autem, ut exiſtimem fuiſſe Reges; imprimis, fidelium pia Traditione, Patrum multorum authoritate, in illâ ſententiâ concurrentium. Locis quibuſdam ſacræ Scripturæ, quos in eum ſenſum expoſuere Patres, ſaltem κατ' οἰκονομίαν: quos ipſos in præſenti negotio ſumus advocaturi.

Imprimis,

Imprimis, Eſaias 49.7. vaticinatur, *Reges videbunt, & conſurgent Principes, & adorabunt propter Dominum.* Eſai. 61.3. *Ambulabunt Gentes in lumine tuo: & Reges, in ſplendore ortus tui.* Et Pſal. 72. *Reges Tharſis & Inſularum dona afferent: Reges Arabiæ & Sabæ, munera dabunt.* Certiſſimum eſt, & ponitur in confeſſo apud omnes, iſta de Chriſto Domino θεανθρώπῳ intelligenda eſſe vaticinia: de illo in hunc mundum edito & introducto. Secundum literam Reges nominantur, qui donis ſuis & muneribus, adorantes in exortu primo, editum in lucem honorabant. Quæ niſi per Magos, nequaquam adimplebantur in perſonâ Ieſu Chriſti. Et tamen rident hæc naſituli quidam δευτεροσοφοι, quibus nihil ſapit, non prius prolutum Lemanni lacu. Quid ſi autem in aliam quoque ſententiam & ſenſum exponi queant iſta Prophetarum teſtimonia? non ſequitur, ob eam cauſam, non poſſe vel debere, huc tranſferri. Non enim debemus, μικροψυχῶμεν, Spiritum Dei Sanctum ſic in anguſtias compingere, ut nullibi planè ſcripturarum, ad duos, tres, plures, ſententias ſenſuſve ſe diffundat & dilatet: Sed ἐν τόπῳ ἓν omnino reſtringatur. Quis enim neſcit, aut negare poteſt, vaticinium illud Hoſeanum, Euangeliſtæ Matthæo nominatum, ubi agit de Chriſti fugâ in Ægyptum, hiſce vocibus conſignatum, *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, ſecundum literam, ὃ εἶπεν ὁ θεὸς τῷ προφήτῃ apud Prophetam, non de Ieſu Chriſto, Perſonaliter, ſed de Iſraele ſecundum Carnē, pronunciatum. Quod tamen ipſum B. Euangeliſta Spiritu illo Ductore, ac Interprete, qui princeps, Prophetæ inſpiraverat, de Ieſu Chriſto, Mariæ Filio, non repræſentativè, ac in ſecundo ſenſu, ſed primario, interpretatur. Cur itidem nobis, atque aliis non licebit, vim ſuam obtinentibus & aliis expoſitionibus, illa Prophetarum vaticinia, ad hanc θεοφανειαν Ieſu Chriſti referre. Reges cum legamus, ſurrecturos, viſuros, ambulaturos, adoraturos, munera oblaturos, ad lumen, ad ſplendorem ortus Domini, & iſta omnia ῥητα adimpleta per Magos, cur non Magos fuiſſe Reges, aſſeveremus? Et illis ipſis vaticiniis deſignatos? 65

Non eſt hæc ſuper nata, & neſcio quo è gurgulio producta ſententia, ſed communior opinio vetuſtiorum. Ea, ante 86

Rupertum, Innocentium, Anſelmum, Druthmarum, magnos tamen viros,& ſæculi ſui lumina,tuebatur Theophylactus, ita ſcribens : *Iudæi, quare turbantur? Oportebat gaudere potius, quod Rex ipſorum, à Regibus è Perſia adorabatur.* Et ante Theophylactum, author Epigrammatis, quod Claudiano, ſed falsò, tribuitur, cum ille Paganus fuerit, & à ſacris Chriſtianorum alienus.

Dant tibi Chaldæi prænuntia munera Reges :
Myrrham homo, Rex aurum ſuſcipe thura Deus.

Fugiebat ratio doctiſſimum Chemnitium, qui ſatis temerè,ne quid gravius dicam, pronunciat,à nullo unquam vetuſtiorum proditum fuiſſe literis, Magos fuiſſe cum imperio. A Melchiore Cano, Barradio, Caſtrio, Maldonato, plures commemorantur, in illâ verſati opinione: & ipſe Chemnitius tandem, quaſi ſui pœnitens, Chryſoſtomum largitur aſtipulatorem. Qui tamen non aſſerit illud Homil. in VI. Matth. uti relatum à Maldonato : ſed Homil. 1. ex variis in 2. Matthæi cap. & Hom. in Nativitatem Iohannis Baptiſtæ, quod notatum rectè per Chriſtophorum à Caſtro.

67 Nemo tamen eorum, qui Reges fuiſſe illos arbitrabantur, Perſarum Reges fuiſſe, vel per ſomnium cogitabat. Neque enim per illa tempora, inter Perſas regnabatur,ſed Imperium erat penes Parthos. Magi autem,qui in Perſiâ fuerant cum Imperio, multis ante Chriſtum ſæculis vivebant. Nec Patres illi, qui Magos Reges commemorant, Cambyſis ἀφασίαν Magos intelligebant. Miror qui fuerunt illi Aliqui, quos Cardinalis ſugillat,Sect. 24. Qui dixerunt, eoſdem Magos fuiſſe Reges Perſarum. Ammianum Marcellinum erraſſe certum eſt, ſi modo ita ſcripſit, ſeptem de Magorum ſemine regnaſſe in Perſiâ poſt Cambyſis interitū. Locus Ammiani Lib. 24. hic eſt, *Ex hoc Magorum ſemine, ſeptem poſt mortē Cambyſis regnū iniiſſe Perſidos, antiqui memorant libri, docentes eos Darii factione oppreſſos.* Magi erant duo. Darii factio, quam appellat ſeptem Megiſtanes, vel Principes Perſarum. Sed locus, opinor, corruptus eſt,ut multi in illo ſcriptore.

68 Quod ſi autem aliquis ex antiquis Patribus ita ſcripſiſſet, Magos fuiſſe, Perſarum Reges, facile illam excuſaremus :

mus: quod non iſtos Magos inter Reges Perſarum recenſuerat: ſed Perſarum Reges inter Magos. Ita enim uſurpatum refert ipſe Cardinalis eadem ſectione, Non potuiſſe in Perſiâ Regem fieri, qui non erat profectus è Magorum diſciplina, atque eâdem penitus imbutus. Rex autem Philoſophiâ, vel Magiâ imbutus, Rex eſt Magus vel Philoſophus. Quod ſi autem, per illa tempora, regnatum fuiſſet in Perſiâ, omnino, etiam per Baronium, Reges illi fuiſſent Magi. Nec poſſum tam abjectè, de Patribus arbitrari, ut eorum Aliqui, vel Aliquis, Magos iſtos exiſtimarit, Perſarum Monarchas: cum ὑπ βασιλεὺς, ὑπ ἱερεὺς, & non πολυκοιρανίη eſſet inter Perſas, cum Monarchia eſſet penes Perſas, quæ quod dixi, per iſta tempora, nulla fuit. Noverant enim penes Parthos, tum in Aſiâ regnatum, uſque ad Artabani principatum.

Poterat tamen, etiam tum, in Perſiâ regnari, etiam per Arſacidarum ὑπάτους: ſed Regulos, non Monarchos: Civitatum, vel regionum Toparchas. Id enim moris fuerat per totum Orientem, etiam ab antiquiſſimis temporibus. Notum eſt enim è ſacris literis, Gomorrhæ, Sodomæ, Seboim, &c. Civitates ſuos habuiſſe Abrahamo coætaneos Reges. Et per belli Cananaici tempora, ſingulis urbibus in terra Canaan, utpote Iericho, Ai, Gibeo, Debir, Hieruſalem, &c. Reges præfuiſſe cum imperio. Nec videtur hæc abolita conſuetudo, etiam ſæculis ſequentibus: ſed & ſub imperio Parthorum, Perſarumque, ſingulis Gentibus Reges præerant, magno Regi, tributarii. Quo modo ſub Imperio Romano, hiſce iiſdem temporibus obtinebat. Ariobarzanes, Tigranes, Deitarus, Herodes, alii in iiſdem Orientis tractibus regnabant. Commemoratur Abgarus, Edeſſæ Toparcha per hæc ipſa fere tempora. Et paulò poſt, Monabaſus cum Helenâ Regina Adiabenorum. Multiq; alii, qui Dynaſtæ, Toparchæ, Tetrarchæ fuerant: ſed & Herodes hoc titulo inſignitur, ille Iohannis Baptiſtæ decollator, qui tamen Tetrarcha tantum fuit Galileæ: quemadmodum Iudeæ Archelaus. 69

Poſtremò, doctiſſimi Theologi, & moderatiſſimi viri, Melchioris Cani ſententia, de hac ipſa re, digna eſt, quæ non tantum Libro XI. Locorum ipſius communium, ſed 70

ubique

ubique, hic autem imprimis legatur. Hanc opinionem, nempe de Magis Regibus, ut quæ plauſibilis ſit & popularis, Chriſti fideles jam olim libenter imbiberunt. Neque operæ pretium judico, ſi quis in Concione publica eam conetur diſſuadere. Nam diſſuadere nihil attinet. Sed fruſtrà niti, ac nihil aliud quam, laborando odium quærere, extremæ eſt dementiæ. Sine ergo plebem, probabiliſſimam opinionem, præſertim quæ penitus inſedit, atque inveteravit, cum ſuis majoribus retinere. Quod ſi conjecturis motus, contrariam ſententiam habeas, liceat per me, equidem non repugno. Illud ago, ſive hæc, ſive illa opinio vera ſit, non modo Hiſtoriæ authoritatē, aut elevari, aut imminui, cum neutra earum opinionum, Hiſtoriæ veritate, ſed probabili conjectura nitatur. At ita ſtatutum ſit, qui fuerant.

7 *Vnde venerant.*

Proximè diſputatur, Vnde venerint. Certum eſt, & extra controverſiam, veniſſe ab Oriente. Vox autem illa, Oriens, reſpectivè uſurpatur, non ſimpliciter vel abſolutè: à partibus nimirum mundi illis veniſſe eos, quæ erant Iudæis ad Orientem ſitæ. Illo autem reſpectu quem locum, quam in particulari regionem intendat Hiſtoricus ſanctus, multum, diu, vehementer quæſitum eſt. Cum multæ gentes, viciniores, remotiores, fuerint Iudæis ab oriente. Cardinalis verſatur in illa ſententia, veniſſe illos ex Arabia. Quia illa opinio verior videtur: nempe quam ſunt aliorum, qui de Chaldæa, Perſia, Media, Parthia, Meſopotamia, aut aliundè diducunt. Sed hoc eſt, ὃ χρῄζομεν, an ſit ſententia verior. Recitat porrò Patres numero quatuor, qui in illa, de Arabia, opinione conſiſtunt. Etant illi, fateor, antiqui certè, ac eruditi. Sed quid tum? Multo plures, & ipſi antiqui, & eruditione præſtantes, contrarias tuentur ſententias. Iuſtinus Princeps in dialogo cum Tryphone Arabas fuiſſe prodit: Ἅμα τῇ γεννήσει αὐτοῦ, Μάγοι ἀπὸ τῆς Ἀραβίας προελθόντες προσεκύνησαν αὐτῷ, *Simul ac in lucem edebatur, Magi, profecti ab Arabiâ, illum adoravere.* Et paulò poſt. ἐλθόντων τῶν αὐτὸν, τῆς ἀπὸ Ἀραβίας μάγων. Et tertiò. Τῶν ἀπὸ Ἀραβίας μάγων ἐλθόντων εἰς Βηθλεέμ. Quæ ipſa repetuntur ab eodem, pag. 315. edit. Rob. Steph. Quam quam apud Latinum Interpretem, in illo priori loco, non dicitur

dicitur Ieſus Chriſtus adoratus, à Magis Arabum, quemadmodum ſcribebat Iuſtinus, ſed Aſſyriorum: obtrudente hoc Interprete è ſuo cerebro, eo quod ex Arabia veniſſe Magos, non crederet: in Græco, legitur ubique ἀπὸ Ἀραβίας, non Ἀσσυρίας.

Tertullianus Iuſtinum ſequitur: illi adhæret Epiphanius: & poſt illum, nam Cyprianus non eſt, Author de Operibus Chriſti Cardinalibus. Ab illorum ætate, veluti conclamata jacuit hæc ſententia, uſque ad Annales Baronianos: & poſt illos, Hiſtoriæ Deiparæ parentem Chriſtoferum à Caſtro. Tertull. contra Iudæos, ubi illa Prophetæ Eſaiæ exponit, *Accipiet Infans virtutem Damaſci, & ſpolia Samariæ*, locum è Pſalmis, huc tranſlatum, ſic exponit, *De hoc auri munere etiam David dixit, Et dabitur illi de auro Arabiæ: & iterum; Reges Arabum & Sabæ munera afferent illi. Nam & Magos Reges ferè habuit Oriens, & Damaſcus Arabiæ retro deputabatur, antequam tranſcripta eſſet in Syrophœnicen ex diſtinctione Syriarum: cujus tunc virtutem Chriſtus accepit, accipiendo inſignia ejus, aurum ſcilicet, & odores.* Nec tantum à retro ita deputabatur, quod ille dixit, ſed per ætatem Chriſti, & deinceps. Nam in Actibus Apoſtolicis narrat Paulus, de gubernatore Damaſci, pro Aretâ Rege Arabum. 72

Arabia porrò dicebatur ipſa Syria aliquando: laxâ nimirum, & ambiguâ vocis ſignificatione. Quo etiam nomine, plutimæ, ad Orientem Gentes, longè latèque diffuſæ, dicebantur; ut Æthiopes apud Poetam. Docet hoc Strabo lib. XVI. ubi diſponit, uſque ad Euphratem flumen Arabas. Et Philoſtratus, lib. III. de vita Apollonii Tyanei, de Meſopotamia agens, ait, Ἔθνη τε, Ἀρμενία τε καὶ Ἀραβία, ἃ συγκλείσαντες οἱ ποταμοὶ ἔχουσι. Gentes illam incolunt, Armenicæ & Arabicæ: quæ utrinque, inter flumina Tigrem & Euphratem, includuntur. Adjungit autem paulò poſt de Arabibus, & iſta; Ἐπὶ τῆς Ἀραβίων κοινὸν ἦθος καὶ τῆς ὀρνίθων ἄνθεν μαντεύεσθαι ὁπόσα οἱ ξυνετοί. Vbi Magicis ſtudiis addicti dicuntur Arabes. *Communis eſt Arabibus univerſis conſuetudo divinationi, quæ fit per aves, obtemperare: non minus, quam Deorum oraculis.* Conjecturam verò, iſtius auſpicii facere ſolent, poſtquam Draconum Cor, vel, ut aliis 73

placet,

placet, hepar comederint: ubi corrigendus Strabonis contextus: & legendum, ὀπώζα ἐκ τῆς χερσαίας, scilicet, ἀχύρου. Quæ faciant ad confirmandam Iustini sententiam in superioribus adductam, nempè Magos hosce fuisse maleficiis deditos, & profectos ex Arabia.

74 Neque dissentiunt illi, qui de Mesopotamiâ, Chaldæâ, vel ulteriore etiam Persidè venisse volunt: quo in numero censentur, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius, Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, Leo, Fulgentius, Maximus Taurinensis, alii: &, ad nostram ætatem, universa Doctorum penè schola. Nam, Arabiæ deputabatur Syria, & multæ ad orientẽ Regiones. Nec impediunt, quæ de Balaamo objiciuntur, fuisse Magos hosce de schola & successione Balaami. Id ut verissimum esse concedamus, (quod tamen incertum est, & versatur in ambiguo; sed mihi videtur admodum probabile: ut reliquerit ille in Persidè, vel Mesopotamia, ἀπογόνους suos, ἐκ ἀγωγῆς, qui scholam Magiæ illisce in regionibus apertam continuaverint, quemadmodum Melampodidæ, & Iamidæ erant apud Græcos: apud Ægyptios Hierophantæ. Venerat ille vocatus ex oriente, de Mesopotamia, quod Scriptura refert) vaticinatus est tamen, quod scimus, in Arabia: apud Moabitas: & ætatis quod reliquum fuit, exegit apud Midianitas, inter quos etiam extinctus legitur, ab Israelitis interfectus inter Reges & Magnates Midianitarum: nec domum reversus est in Mesopotamia. Erat Balac Arabs Moabita: sed meridionalis Arabiæ incola: vocavit is Balaamum è montibus orientis, Mesopotamiensem Interamnatem, vel Chaldæum. Erant Midianitæ Arabes, sed orientales. Iccircò in Libro Iudicum vocantur *Filii Orientis*.

75 Ita omnimodo verum esse potest, utcunque de professâ vel scholâ Balaami venerint Magi, sive de Madianitide, seu de Interamnia, Persidè, vel Chaldæâ eos venisse de oriente. Idque Iustini sententiam planissimè confirmat. Cui accedere potest, Myrrham, inter Magorum dona commemoratam, peculiare fuisse Arabiæ mercimonium, uti & Thus: unde illud Poetæ, *Solis, est thurea virga, Sabæis*: Addunt, qui ex Arabiâ venisse contendunt, illam vicinam

fuisse,

fuiſſe, & in propinquo terræ promiſſionis ſitam, ita ut, ex Arabia expedito itinere, in Iudæam venire potuerint XIII. die à nativitate: quo tam citò de Perſia remotiore regione nequaquam pertingere poterant. Verum nec opus fuit, ut tantâ celeritate eo pervenirent. Nec revera, pervenerunt, quod jam docuimus in primi anni rebus geſtis. Atque ita per ſe concidit hæc argumentatio.

Doctiſſimus Baronius, qui de Arabiâ veniſſe contendit Magos, Balaamum fatetur, ortu fuiſſe Interamnatem: nempè de Haran profectum, unde etiam Abraham ſeceſſerat in Cananæam. Ait enim ipſemet Balaam, Num. 23. De Haran adduxit me Balac rex Moabitarum. Tamen in Arabia, de ſtellâ exoriturâ, vaticinatum. Cujus vaticinii memoria, perpetuis futuris temporibus apud Arabas cuſtodita, & per Traditionem longiſſimè propagatam, deducta, inter Magos Arabas, nam Magos in Arabiâ floruiſſe certum eſt, conſervabatur. Gentes porrò illas Arabicas de Abrahamo è Keturâ uxore genus duxiſſe contendit. Cum enim ille liberos aliquot ex illâ ſuſtuliſſet, ne cum Iſaaco de Hæreditate poſt exceſſum ſuum contenderent, muneribus donatos, hoc eſt, patrimonii juſtâ portione, adhuc in vivis conſtitutus, ad Orientalem plagam ablegavit. Ex iſtis Orientis regionibus veniſſe Magos arbitratur: præcipuè cum Arabiæ ſitus, reſpectu Iudeæ, fuerit Orientalis: quod è Tacito comprobavit. 76

Verum aliud eſt veniſſe de Arabia, aliud è Madianitide, vel Moabitide, quod cenſuit Baronius. Arabiæ tractus longiſſimus erat. Nomen πολύσημον, Syriam & Aſſyriam complectabatur. Baronius compingit in anguſtias, ut ad ſolas illas regiones ſpectaret, quæ de poſteris Keturæ dicebantur. Ita abit diverſus à Iuſtino & Tertulliano, quos ſententiæ ſuæ de Arabia advocatos citat. Illi enim Arabiam diffundebant: atque ita Syriacas, Perſicas, etiam Medicas regiones ſimul complectebantur. Et quidem de illorum ſententiâ, veriſſimè illi cenſuerunt, qui de Perſiâ veniſſe contendunt: at de ſententiâ Cardinalis, conciliari nullo modo poſſunt, de Perſiâ, & Arabia, opiniones. Veriſſimum ego arbitror, veniſſe de Arabia. Veriſſimum quoque de Perſia, vel Chaldea veniſſe. Totus enim ille tractus Ori- 77

entalis, longè lateque diffuſus, Arabiæ olim nomine, quod diximus, cenſebatur. Atque ita beatus Iob inter Arabas reponitur, cum tamen eſſet inter filios Orientales, de terrâ Hus: quæ regio Arabiæ, ſtrictè acceptæ, non deputabatur. Hæc eſt, meo animo, de patria Magorum veriſſima ſententia, per quam, diſſentientes in ſpecie, vetuſtiſſimi patres, in concordiam reducuntur.

78 Ridiculum eſt, quod in Apocryphis olim legebatur, Tres numero Magos, de tribus Gentibus, multis & longiſſimis Paraſangis diſterminatis, adveniſſe de Saba, de Tharſis, de Inſulis Gentium: ſingulos de ſingulis regionibus: ignaros planè inſtituti alterius itineris, vel profectionis: qui per Divinam, admirabilem diſpenſationem, in portâ quadam Hieroſolymitanâ, ſibi occurrebant. Ridiculum quod habetur, apud Hieronymum Oſorium, in rebus Emanuelis Luſitanicis, ubi narratur eos, de Calecutinâ regione Indicâ abveniſſe: quod Vaſcus de Gamâ, depromptum ex Archivis illius regni, ſcriptis prodidit.

79 Vnde unde autem profecti venerint, utiliter, & ſecundum pietatem obſervat accuratiſſimus Auguſtinus, *Manifeſtatus eſt Chriſtus iis, qui prope & iis, qui longè. Iudæis in Paſtorum propinquitate. Gentilibus in Magorum longinquitate.* Et primò quidem Iudæis manifeſtabatur in Paſtoribus. Erat enim illud congruum Divinæ diſpenſationi. Gentibus deinceps in Magis. Subintroducendæ quippe Gentes fuerant, Paſtoribus Iudæorum, natum Meſſiam annunciat Angelus de Cœlo, in Civitate David. Nam ſic Deus ab initio populum Iſraëlem ſuum, Angelorum miniſterio, & Internuntiis aſſuefecerat. Magis indicatur, Regem in Iudæa natum, per ſtellam de Cœlo novam, inuſitatam, atque ideo admirandam. Aſtronomicis enim rationibus illi aſſuefacti, familiari ſibi diſciplina erudiuntur de Magnalibus Dei. Ita diſponit ubique Deus, omnia ſuaviter & convenienter.

80 Sed & illud prætereà non eſt prætermittendum, cum de Paſtoribus & Magis Hiſtoriarum in Euangeliis, mentionem faciendam diſponeret Deus: Lucam, ortu Gentilem: erat enim Proſelytus Antiochienſis, Paſtorum Hiſtoriam commemoraſſe, quam Matthæus, Iudæus ortu, non attigerat.

rat. Et Matthæum Iudæum genere, narraſſe Magorum Gentilium adventũ, quem Lucas de Gentibus, prætermiſerat. Ita ſuos uterque, quaſi neglexit, & in alienis prædicandis impendit operam. Nimirum, primo, ut ſic veritati conſuleretur: cum de προπαθείαις, vel affectionibus, nulla ſuboriri ſuſpicio poſſet juſta, quam fortaſſis malevoli ſubingeſſiſſent, ſi de Gentis ſuæ prærogativis, veluti contendentes, inſtituerant narrationem.

Secundò, videtur hoc in figura contigiſſe. Erat enim in 81
æterno Dei conſilio, ſed & ſubinde revelato, futurum, ut populus, non populus, Dei: hoc eſt, Iudæi, Gentes: Fratres tandem & συμπολίται, depoſitâ quâ ſe invicẽ æmulabantur invidia, quaſi mutuis operis, conſpirantibus votis, alternatim ſalutem ſuam, & Divinam, in ſuâ ſalute, gloriam procurarent: ab illius nimirum exortu, auſpicati, qui dirutâ macerie ſeparationis, utraque unum fecerat, atque, id ut factitaret, venerat. *Iam tunc ergo Cœli enarrabant gloriam Dei: & in omnem terram, ſonus exivit veritatis*, ait Leo, *quando & Paſtoribus exercitus Angelorum Servatoris editi annunciator apparuit, & Magos ad Illum adorandum, prævia ſtella præduxit. Ita ut, à Solis ortu, uſque ad occaſum, veri Regis coruſcaret generatio, cum veram fidem regna Orientis, per Magos diſcerent, & Romanum imperium non lateret. Iam ergo ad eruditionem Gentium ſermo Propheticus tranſibat, & prænunciatum antiquis oraculis Chriſtum, alienigenarum corda diſcebant, cum Iudæorum infidelitas, veritatem ore proferret, & mendacium in corde ſuo reticeret.* Hactenus Leo.

De numero Magorum antiqua eſt Traditio, fuiſſe tres. 82
S. Leo Serm. 4. *Tres itaque viri fulgore inſoliti ſyderis divinitùs incitati, prævium micantis Luminis curſum ſequuntur.* Et Serm. V. *Hic ille dies eſt, quo, ad cognoſcendum adorandumq; Dei Filium Tres Magos prævia ſtella perduxit. Radiat namque è Cœlo ſtella per gratiam, & Tres Magi, coruſcatione Euangelici fulgoris acciti, in omnibus quotidiè Nationibus, ad adorandum Potentiam ſummi Regis accurrunt. Impleatur in vobis, quod in Trium Magorum Imagine præceſſit.* Maximus Taurinenſis Homil. 3. de Epiphan. *Et bene, uno itinere, Tres ſimul adoraturi veniunt Magi, qui in uno Chriſto Ieſu, qui omnium Credentium via eſt inſeparata ab iis erat Trinitas adoran-*

da. Quam ipſam de numero ternario rationem aſſignat Hilarius Arelatenſis. *In eo, quod Tria offerunt, Trinitas intelligitur. In eo, quod Tres Vni, & ſinguli ſingula afferunt, in Trinitate Vnitas declaratur.* Aliam rationem aſsignat Beda: *Myſtice autem tres Magi tres mundi partes ſignificant; Aſiam, Africam, Europam. Sive humanum genus, quod à tribus filiis Noe ſeminarium ſumpſit.*

83 Imprimis autem videntur in illam adducti opinionem de Ternario Magorum numero, eo quod Tria donorum genera offerebant, Aurum, Thus, Myrrham. Nugatur Zacharias Chryſopolitanus, in Nominibus Trium iſtorum Regum, ſeu Magorum; nomina trium Magorum, inquiens Hebraicè, Apellius, Amerus, Damaſcus. Apellius interpretatur fidelis. Amerus, humilis. Damaſcus, miſericors. Græcâ linguâ vocati ſunt Magalah, Galgalah, Baracni. Magalah, interpretatur nuntius. Galgalah, devotus. Baracni gratia: ridiculè! Vulgo nominantur, Gaſper, Melchior, Balthaſar. Hinc illud Periapton,

Gaſper fert Myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum.
Hæc quiſquis ſecum portat tria nomina Regum,
Solvitur à morbo, Domini virtute, caduco.

In Collectaneis Bedæ legitur. Magi ſunt, qui munera Domino dederunt. Primus dicitur fuiſſe Melchior ſenex & canus: barbâ prolixâ & capillis; tunicâ hyacinthina, ſagoque mileno, & calceamentis, hyacinthino & albo mixto opere pro mitrario variæ compoſitionis, indutus, Aurum obtulit Domino Regi. Secundus, nomine Gaſpar, juvenis, imberbis, rubicundus, milenica tunica, ſago rubro, calceamentis hyacinthinis veſtitus, Thure, quaſi Deo oblatione digna, Deum honorabat. Tertius fuſcus, integrè barbatus, Balthaſar nomine, habens tunicam rubeam, albo vario, calceamentis milenicis amictus; per myrrham Filium hominis moriturum profeſſus eſt. Hæc ibidem: ſed incerta ſunt, & fabulis ſimillima.

84 *Tribus igitur Magis, in regione Orientis ſtella novæ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris, pulchriorq; ſyderibus, facile in ſe intuentium oculos animoſque converteret, ut confeſtim adverteretur, non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur*: ait S. Leo.

Leo Homil. de Nat. 1.

Leo. De qua quidem ſtella, multa ſolent ab Hiſtoricis & Interpretibus diſputari. Imprimis de Tempore apparentis hujus ſtellæ quæſitum eſt: hoc eſt, utrum eâdemmet illâ nocte primum, quâ Chriſtus in lucem edebatur, in cœlo apparuerit, an potius temporis alicujus ſpatio, (puta biennii intervallo, quod videtur Matthæus inſinuare, per bimatū) Nativitatem Domini anteverterit? Et certè qui Magos volunt Bethleemum advenisſe, die XIII. vel XII. poſt editum in lucem Servatorem, videntur mihi neceſſario in illam opinionem concedere debere, quæ ſtatuit ſtellam ante ferè Biennium primo apparuiſſe. Nam alioqui non potuit fieri, ut tot impedimentis occurſantibus, tam citò appellerent Bethleemum. Quocirca Chryſoſtomus Homil. VI. in Math. ait, πρὸ πολλοῦ χρόνου θεασάμενοι φανεῖσαν τὴν τοῦ ἀστέρος χρῆσιν, ἤρχοντο. Cum multo ante tempore vidiſſent ſtellam in ipſorum regione apparentem. Et Homil. VII. rationem, quam attulimus aſſignat, ſtellam nimirum, tanto prius intervallo apparuiſſe, ut ſe componerent Magi, ad profectionem. ἐγὼ δὲ πρὸ πολλοῦ χρόνου δοκεῖ μοι ὁ ἀστὴρ φανῆναι. ἐπειδὴ γὰρ πολλοῦ χρόνου ἡ ὁδοιπορία ἔμελλεν ἀναλίσκειν χρόνον, ὁ Μάγοι, ἵνα θᾶττον βλέποντες τὸν τεχθέντα πρὸ πολλοῦ τοῦ χρόνου δείκνυσιν ἑαυτόν, ὁ ἀστήρ. Εἰ γὰρ ἰδίᾳ ἐπέσχεν ἐν Παλαιστίνῃ, τότε ἂν ἦλθεν ὤφθη, ὅτε τὴν ἀναπλῆν πολλοῦ χρόνου τὴν ὁδοιπορίαν ἀπαιτήσοντες χρόνον, οὐκ ἂν ἐν ἀπαρχαῖς εἶδον ἦλθον προσκυνήσαι. *Certe videtur mihi, neceſſe fuiſſe, ut ante multos dies appareret ipſis ſtella: Cum enim Magi multum temporis erant inſumpturi, in apparatu itineris ſui, manifeſtavit ſe diu ante ſtella, ut nuper nato ſtatim repræſentaretur. Quod ſi tam primum apparuiſſet ipſis in Oriente ſtella, cum Is in Palæſtinâ naſcebatur, qui neceſſario in Itineris apparatu multum temporis inſumere debebant, nequaquam mox nato ſuperveniſſent.* Hoc autem ille arbitratur neceſſarium quodammodo ἔδει γὰρ ἐν ἀρχῇ τοῖς ἀπαργαίοις ἀρχὴν, ὥστε τὸ θαυμαστὸν καὶ περίδοξον φανῆναι τοῦ πράγματος.

Sed profecto tam neceſſe fuit, ut quemadmodum Paſtores, eadem ipſa nocte, recens in lucem edito advenirent, & dum in ſtabulo verſabatur, in præſepi reclinabatur, inviſiſſent: ita enim τὸ θαυμαστὸν & περίδοξον multo fuiſſet illuſtrius & conſpicuum. Potius illud ſecundum Divinam œconomiam mirificè diſpenſabatur, ut non ſtatim, 85

aut continuo advenirent Magi, Gentium Primitiæ, ſed decurſo temporis ſpatio, quia non ſtatim Gentibus myſteria Dei, ſed rejectis demum Iudæis erant annuncianda. Vicinitatem Iudæis, rectè Leo, & Longinquitatem Gentibus adſcribebat. *Exinde enim nos, in æternam Hæreditatem cepimus introire. Exinde nobis Chriſtum Loquentia Scripturarum arcana patuerunt: & veritas, quam Iudæorum obcæcatio non recepit, omnibus Nationibus Lumen ſuum invexit.*

Leo Hom. 1. de Epiph.

86 Chryſoſtomum ſequitur Theophylactus. *Stella, antequã natus eſſet Dominus apparuerat Magis, quoniã multum temporis in iter inſumpturi erant: ideo multo ante apparuit ſtella.* Ubi verbis utitur Chryſoſtomianis. Huc etiam recentiores Græci inclinant, Chryſoſtomum, ut ubique ſolent, autho-rem ſequuti. Quibus conſenſum adhibet Author Sermonis 35. de Tempore: & Homil. 1. inter XXVII. homil. qui dicitur Auguſtinus; *Paucis diebus à Nativitate tranſactis, Magi advenerunt, in Cælo videntes ignotiſsimam ſtellam, non ante paucos dies, ſed ante ferme biennium, ſicut inquirenti Herodi patefecerunt.* Ita ille: nimirum quoniam arbitrabatur, duodecimo die adveniſſe Magos, & Chriſtum in ſpeluncâ deprehenſum adoraſſe: quod nullo modo fieri potuiſſe docuimus.

87 Rectius omnino Chriſtoferus à Caſtro cenſuit, edito in Lucem Infante, à Virgine Maria, Herode regnante in Iudæâ, confeſtim verſus eam Arabiæ partem, quæ inter Meſopotamiam & Palæſtinam late patet, eximia ſtella in aëre viſa eſt. Iuſtinus Martyr in Dial. cum Tryph. exponens illud Prophetæ, *Ecce vir, Oriens nomen ejus*, innuere videtur ideò inditum illi Nomen illud, propterea quod cum naſceretur, oriebatur nova in Cœlo ſtella. Καὶ ἄλλη δὲ γραφή φησιν. Ἰδοὺ ἀνὴρ, ἀνατολὴ ὄνομα αὐτῷ. ἀνατείλαντος γὰρ ἐν τῷ οὐρανῷ ἅμα τῷ γεννηθῆναι αὐτὸν ἀστέρος. Ait, ſimul ac naſcebatur: in ipſo ortu, exortam ſtellam. Origen. Homil. 3. in Num. ita loquitur; *Quando natus eſt Ieſus, agnoverunt ſtellam: & intellexerunt adimpleri Prophetiam*: nempe, Balaami illam de ſtella à Iacobo exoriturâ. Et planiſſimè Lib. 1. con. Celſum, Φεὶ δὲ τοῦ ὅτι τῇ γενέσει τοῦ Ἰησοῦ ἀνατείλαντος προσεφήλασε Βαλαάμ. ait ſtellam exortam in ipſa Nativitate. Cui aſtipulatur Athanaſius, Οὗτος ἐστιν, ὁ ἐν ἀστέρα σημάνας τὸν

Pa. 105.

Pa. 46.

De Incarn. pa. 66.

τὸν τῆς γενέσεως χρόνον ποιήσαι. Ἐπεὶ γὰρ ἀπ' ἀρχῆς κατηχούμενοι ἤκουον λέγοντες, ἐξ ἀρχῆς δὲ τὸν σημασίαν εἶχεν. Et Euthymius Herodis curiositatem ita applicat, *Exactè perquisivit, & didicit tempus stellæ, quando scilicet iis apparuerit, ut inde tempus Nativitatis Christi numeravit, cogitavit enim Tunc proculdubio natum esse Christum, quando stella apparuerat.* S. Leo non aliter capiendus. *Noluit intra maternæ habitationis angustias Ortus sui latere primordia. Sed mox, ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione Orientis stella novæ claritatis apparuit: Hoc est, in ipso nascendi Primordio; Hoc est, Mox, ubi in lucem edebatur.* Et S. Maximus Taurinensis Dominicæ Nativitatis ministram vocat stellam: quia, ut prius dixerat, Natum puerum de Cœlo testabatur.

Atque hæc sententia, ut communior, ita multo mihi videtur esse verisimilior: nimirum, ut signum esset stella, non nascituri, sed jam nati Regis. Unde & Scriptura differtim vocat, *Stellam ejus*: Hoc est, Quæ nobis illius ortum & nativitatem indicavit. *Rectè dicunt ejus*, inquit Anselmus, *quia, licet omnes ab eodem Creatæ, ipsius essent, hæc tamen proprie Christi erat, quia illum modo natum nunciabat.* Nec rejicienda Chemnitii sententia de hoc loco. Existimo, sine impietate cogitari posse Gloriam illam Domini, quæ in agro Bethleemitico, Pastores plenâ luce circumfulsit, eodem tempore, à longè, tanquam stellulam in Oriente, Magis visam. Utrum verò illa Domini gloria, sive stella, à Magis visa sit supra Iudæam, an in ipsorum Patria, dubitatur. Haymo videtur existimasse, Magos in Oriente positos, stellam à longè, nimirum in Iudæâ, conspicuam, intuitos: cui favet opinioni & Procopius. Sed contra sentiunt cæteri penè omnes. Et rectè. Ait enim Euangelista: εἴδομεν αὐτοῦ τὸν ἀστέρα. Vidimus stellam in Oriente. Et paulò post, Ecce stella, quam in Oriente viderant. Barradius, quasi conciliator, utramque opinionem sic componit. Verisimile est stellam supra Iudæam, & oppidum Bethleem, primum Magis in Oriente existentibus apparuisse: deinde verò ex Iudeæ, orientem usque, celeri motu ad illos vocandos evolasse.

88

Frustra autem fit per plura, quod fieri poterat per paucio-

89

ra.

ora. Quid enim opus hac tranſmigratione? Miracula nunquam ſunt ſine juſta quidem cauſa multiplicanda. Quodſi autem hunc motum non animadvertebant illi Magi, certe magis adhuc majorem in modum ſuperfluis in re minimè neceſſaria ſtuduiſſet Deus. Sin autem illum motum de Iudaicâ ſtatione, obſervabant, proculdubio de Bethleem aliquid ipſis innotuerat, ante illam diſquiſitionem Hieroſolymitanam, adeo ut minime fuiſſet illâ opus. Tertiò, non dicerent, Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente: ſed Vidimus ſtellam ejus de Iudæa ſe in Orientem transferentem. Ridicula autem eſt probatio, eo quod legatur apud Pagninum, *Inceſsit ſtella ex Iacob*: hoc eſt, è Iudæa promovit ſe in Orientem. Poſtquam apparuerat tunc primum viſa ſtella, rerum cœleſtium peritiſſimi, novitate ipſa multipliciter attoniti, ceperunt inter ſe, ut fieri ſolet, diligenti, ſedulâ diſquiſitione de tanto miraculo ſermones ſerere: cauſas, prognoſtica, eventus, cætera, perſcrutari: & tandem, vel vaticinio edocti Balaamis: vel, quod aliis viſum, Danielis quibuſdam admonitionibus inducti: vel, quod potius arbitror, Angelico interventu & ὑπαφοιτήσει edocti, ſe ad iter Iudæam verſus accingebant.

90 Sed an Duce & Ductore illâ ſtellâ? ita viſum pleriſque: uſque ad Palæſtinam, inquit Euthymius, ſtellæ ducatum habuerunt Magi. Quod ille mutuatus videtur à Chryſoſtomo, qui inter multa de ſtella diſquiſitione digna, proponit, τὶω μὲν γὰρ ἕως Παλαιστίνης ὁδὸν ἐφαίνετο χειραγωγῶν. ἐπειδὴ δὲ ἐπέβησαν Ἱεροσολύμων, ἔκρυψεν ἑαυτὸν. Vult ergo ſtellam præiviſſe Magis, ab Oriente viæ ductorem, uſque ad fines Palæſtinæ; tum verò diſparuiſſe: iterum verò, quod certum eſt, cum relictis Hieroſolymis Bethleemum peterent, apparuiſſe. Chryſoſtomum Chryſologus ſequebatur. *Ambulante Mago, ſtella ambulat. Sedente, ſtat. Dormiente, excubat.* Mihi magis Ianſenii & Cajetani ſententia probatur, qui non illam toto itinere Magos præceſſiſſe putant, ſed ſolummodo egreſſos Hieroſolymis duxiſſe Bethleem. Ait enim Euangeliſta, *Ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos.* Viderant eam in Oriente, non itinere. Quod ſi per totum illud iter deduxiſſet eos, dicere debuerat, Ecce ſtella, quæ deduxerat de Oriente illos. Hæc autem locutio,

ſatis

ſatis indicat, Nunc primum conſpectam ab iis ſtellam, poſtquam ſemel intuiti fuerant in Oriente.

Ordo igitur Hiſtoriæ videtur ſimpliciter iſte fuiſſe. In Oriente conſtitutis apparuit ſtella. Quam per Divinam Revelationem edocti cognoverunt eſſe illam ſtellam, indicem nati Regis Iudæorum, quam multis retro ſæculis vaticinatus erat Balaam, Magiæ Patriarcha & Myſtagogus, de Iacobo orituram. Regem autem illum ſibi quærendum, ac muneribus oblatis honorandum ſtatuerunt: atque ita comparatis omnibus, ad iter ſe, illud inſtitutum Iudæam verſus, accinxerunt, nuſquam interea ſtella comparente, priuſquam Hieroſolymis egreſsi fuerant. Nec videtur admittendum, quod ponitur ab Authore imperfecti operis, cum aliquantulum ſtella duxiſſet Magos, prope Hieroſolymam abſcondita eſt ab iis, ut relicti à ſtella, cogerentur in Ieruſalem interrogare de Chriſto, ſimul & manifeſtare de illo. Sed hæc nequaquam pacem debent violare. 91

Nondum exhauſtæ ſunt de ſtella dubitationes, Barradius inquit. Rectè. Nam quemadmodum propoſitum eſt apud Chryſoſtomum, diſcendum eſt, Τίς ὁ ἀστὴρ ᾧ ποταπὸς; ᾧ ἐπὶ τῆς πολλῶν ἓις; ἢ ξενὸς πρὸς τοὺς ἄλλους; ἢ ἐπὶ φύσει ἀστήρ. ἢ ὄψει μόνοις; De qua tota Quæſtione vel præcipuis ſaltem ejus partibus, quid veteres ſtatuerint deſpiciemus ab Antiquiſſimis temporibus exorſi. 92

Ignatius imprimis in illâ ad Epheſios, Ἀστὴρ δὲ ἐν ἑῴᾳ ἔλαμψεν ὑπὲρ πάντας τοὺς ἐν αὐτῷ ἢ τὸ φῶς αὐτοῦ ἀνεκλάλητον ἦν. *Stella in Cœlis coruſcabat* (ita verto: nam Interpretibus non eſt fidendum.) *Splendore ſuper omnes, quæ prius erant, ſtellas. Erat ejus ſplendor ineffabilis, & ſtuporem intuentibus illum incutiebat.* Cætera porro omnia aſtra, unà cum Sole atque Luna, tanquam chorus, hanc ſtellam ambiebant. Illa autem claritate, longè illas omnes exuperabat, conturbabatque (ſcilicet diſquirentes) unde illi hæc viſa novitas competeret. Iuſtin Martyr in Cælo fulſiſſe narrat: Non ergo in aëre: non ut Cometam. Ἐξ ἀστέρος τοῦ ἐν τῷ ἑῴῳ φανέντος ἐγνωκέναι ὅτι βασιλεὺς γεγέννηται. Quam vocem ἑῷον, cum ſit magni momenti, omiſerant Interpretes apud Ignatium. In Eclogis Theodoti apud Clementem, ἀφ' οὗτο ἀνέτειλε 93

ξενὸς ἀστὴρ καὶ κῖνος, καταλύων τὴν πάλαι ἀστρολογίαν τῷ φωτὶ καινῷ ὁ κοσμικῷ. λαμπόμενον, ὁ καινὰς ὅλως ἢ σωτηρίως τερπόμενον.

94 Origenes Lib. 1. c. Celſum. *Stellam, quæ in Oriente viſa eſt, novam fuiſſe arbitramur: nec ulli, è notis iſtis ſimilem, quæ vel in firmamento ſunt, vel in Orbibus inferioribus: ſed ejus generis, quales Cometæ viſuntur temporanei* (hoc eſt, certis temporibus) *Docides, Pogoniæ, Pothi. Quam ſententiã nos ſic aſtruimus. Obſervatum eſt, quoties res magnæ, inſigneſque mutationes fiunt in terris, exiſtere ejuſmodi ſtellas, ſignificantes aut tranſlationes regnorum, aut bella: aut quicquid poteſt apud homines contingere, ad commovendas res terrenas validum. Legimus autem in Chæremonis Stoïci Commentario, quem de Cometis ſcripſit, quomodo interdum res bonas futuras, exorti Cometæ præſignavere, idque declarat is exemplis petitis ab Hiſtoriâ. Ergo ſi ad regnorum innovationes, alioſque inſignes caſus, terris, ſtella quæ vocatur Crinita, exoritur; aliudve ſydus ſimile: quid mirum ſi id factum fuerit in Nativitate renovaturi humanum genus, & introducturi doctrinam Iudæis, Græcis & Barbarorum pleriſque communem? Equidem dicerem de Cometis quidem, nullam Prophetiam ferri: nimirum quod, hoc vel illo regnante, hoc vel illo tempore, talis Cometa exorietur. De hâc verò ſtellâ, quæ Ieſu naſcente orta eſt, prophetaſſe Balaamum illis verbis, quæ per Moyſin ſcriptis ſuis inſerta ſunt, Exorietur ſtella de Iacob, & exurget homo de Iſrael. Quod ſi velim illa ſub examinatione reducere, quæ de Magis & ſtella in Nativitate Ieſu per eos viſa perſcripta eſſet, aliter apud Græcos, apud Iudæos aliter inſtituam narrationem. Græcis edicerem, Magos quidem, qui cum Dæmonibus habent commercium, eoſque ad artes ſuas atque operationes invocare ſolent, tantiſper id agere dum vis quæpiam divinior, ac potentior his, qui per incantationes invocantur, interveniat ac nominetur: quod ſi divinior illa ſuperveniat, deſtruuntur operationes dæmonum non valentium obtueri Lucem Divinam. Iccirco veroſimile eſt in Nativitate Ieſu, quando multitudo militiæ cæleſtis, ſicut authori Lucæ credimus, Laudavit Deum, dicens, Gloria in excelſis Deo, &c. Dæmonas, eâ de causâ debilitatos, obtorpuiſſe deprehenſis eorum præſtigiis, efficaciáq; deſtructâ, non ſolùm adventantibus ad proxima Terræ loca Angelis, verum etiam agente id Ieſu anima, & ea quæ in ipſo eſt, Divinitate. Cumq;*

Mutantes regna Cometæ.

Magi

operarentur solitis incantationibus, non vulgarem hujus casus causam rati scrutabantur: visoque in cœlis prodigio, voluerunt, quod per id significabatur, videre. Itaque cum haberent, ut opinor, Balaami prophetias, quarum & Moyses meminit, mentionem illius faciens, tanquam hujus artis peritissimi, invento ibidem de stella oraculo, conjecta verunt, Illum, qui cum stella pronunciatus est, hominem in vitam advenisse, conceptaque opinione de illo, potentiorem esse omnibus dæmoniis ac spectris familiaribus, decreverunt eum adorare. Hactenus Origenes.

Marcellus Ancyranus apud Eusebium, Lib. 2. pag. 48. nostræ editionis, unum de stellis ordinariis fuisse vult, ipsumque adeo Luciferum: & huc è Psalmis illud trahit, *Ante Luciferum genui Te.* Deinceps conatur probare, quod illud *De utero, ante Luciferum genui Te*, de Carne Servatoris intelligendum. Loquitur autem Marcellus ad hunc modum: *Quocirca, cum à Davide nominetur illa stella Lucifer, quæ diem designat appropinquare, non est ulterius disquirendum quis ille Lucifer sit, qui intelligitur. Erat enim & stella illa tunc apparens, cum Diem & afferret & indicaret Magis. Ut sit inde manifestum, illud, Ante Luciferum genui Te, usurpatum Deo Omnipotenti, de Verbo illo, quod nascebatur, cum carne humana, per virginem, id ipsum attestante Euangelista, Primum de virgine Dominum nostrum generatum,* ὑστερὸν δὲ τῶν ἀστέρων φανῆναι. & deinceps, ortum fuisse Luciferum, qui diem indicaret. 95

Græg. Nyssenus Orat. de Christi Nativitate. *Vides ab illo* (Balaamo) *genus ducentes Magos, juxta prædictionem Progenitoris sui, novæ stellæ ortum observantes. Quæ stella, præter naturam reliquarum stellarum, sola tum motus, tum status particeps fuit. Nam ex reliquis stellis, cum aliæ quidem penitùs in stabili atque erroris expertis sphæra defixæ, atque immobilem statum sortitæ sint: aliæ verò nunquam moveri desinant, hæc & movetur, dum Magis dux itineris est, & consistit, dum locum indicat iisdem.* Gregorii germanus frater Basilius homilia ejusdem argumenti atque tituli. *Quandoquidem verò, motibus illi cœlestibus studebant, non frustrà inter cœlestes observationes suas, & illud prodigium contemplabantur, stellam videlicet novam, ac minime usitatam, in Dominico natali effulgentem. Cujus stellæ ortum, nullus est, qui ad rationes Astrologicas exigere possit. Qui Genesim in mundum subintulerunt, ex syderum, quæ* 96

consistunt inspectione, hanc vel illam cœli syderumque schema & figuram, causam rerum & eventuum in vita contingentium assignare solent. Hic verò nulla ex illis stellis, quæ consistebant, Dominicam Nativitatem designabat, cum illa non ex aliarum numero foret. Quæ enim creabantur, ab initio rerum, vel omnino sunt immobiles, vel motum sortiuntur continuatum & perpetuum. Hæc autem, quæ apparuit, stella utraque conditione prædita videtur: nam & stabat, & movebatur. Stellæ prius productæ partim fixæ penitus, non moventur; partim deerrantes consistunt nunquam: stella hæc, cum utrunque obtinuerit, à cæteris diversa manifestè deprehenditur. Movebatur in Bethleem, ex Oriente. Consistebat autem super locum, ubi erat puer. Per hanc stellam excitati ab Oriente Magi, ductum illius secuti Hierosolymas advenerant. Ita enim vertendum est. Interpres cespitat, ut in plerisque.

97 Censuit ergo cum illis Basilius, qui stellam Magos versus Iudæam ambulantes toto itinere præiviſſe volunt, & disparuisse Hierosolymam ingressis. Hoc idem opinabatur Nazianzenus, Orat XL. φῶς τῦ προδραμόντος (ita enim legendum, non προσδραμόντος) ὅτι Βηθλεέμ, & κάλλος (non ut in editis ἄλλως) ἵνα μὲ μάγως ὁδηγήσῃ, μὲ διορθορίσῃ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς φῶς μεθ' ἡμῶν γενόμενον. & apertius adhuc, Orat 4. πῦ δὲ ὦ ὅτι Βηθλεέμ δραμόντα, πρότερον, εἰς τ ἑῴας ἀτέρα, ὦ ὁδηγὸν τῆς σῶν μάγων μὲ πρεσβεύν. Hujus frater Cæsarius, Dialogo 2. Interrog. 107. *Si nihil ad hominum nativitatem conferunt stellæ, neque possunt inde indagari, quæ nobis accidunt, quomodo in Christi Nativitate, exoriebatur stella, quæ Magis viæ ductor erat? Aut quomodo illi, regalem agnoscentes stellam, ad iter suscipiendum moti sunt; vel ad puerum adorandum per stellam deducti?* Cui Interrogationi sic respondet Cæsarius, *Quandoquidem Samaritæ ac Sadducæi Angelos existere negabant, quemadmodum Divinus Euangelista pronunciat, merito vocatur Angelus stella. Sed & cultum syderibus cœli impensum ad Christum trahens, à multiplicium Deorum errore reducendo, velut stellam, Angelum viæ ducem disponit, ad adorandum Christum. Non enim alia ullâ re Magi, ad adorationem excitati sunt, quam ex opinione soliti sui cultus. Cum autem remissior & infirmior Magia facta fuisset, per Deificati hominis Nativitatem, qui stellas fundaverat, & ordinem ipsis observandum præscripserat, re intellecta,*

tellecta, errantes illi Chaldæi, confirmato ad venerandum animo, expiato errore, sua eunt sponte, tanquam Euangelistæ, & primi Præcones Gentium de Divini hominis adventu. Et paucis interjectis. *Quod vero non stella, sed intellectualis quædam & rationalis potestas fuerit ille Magorum Dux, ex ipsa discimus, ejus motu atque statione. Inter stellas enim, quæ motu perpetuo cientur, consistunt nunquam. Et quæ fixæ sunt, non moventur. Hæc autem, utrumque recipere videtur, ita ut nimirum & mobilis esset atque fixa: & se subduceret ab iis quos ducebat. Rursus autem apparens consisteret super antrum, in quo puer versabatur. Nam nisi per intermissionem apparuisset, non fuisset commota Hierosolyma ab interrogatione Magorum. Nisi intellectualis aliqua, & rationalis Potentia illa stella fuisset, non utique ejus, qui nascebatur, ministram se declarasset. Nunc autem, qui regibus mos est, vocat quidem & Præcedens Divinus hic cursor deducit ad regem Magos, postquam verò ad portam latioris plateæ venerint, vocatos, ad limina stare jubet usquedum adventum ipsorum regi significaverit: sicque deinceps ad ipsos reversus, ad tectum aureum, & ad regem intus sedentem, deducit. Videbatur ergo specie tenus stella, sed Angelus erat Gentium ille ductor.*

Hactenus Cæsareus, qui primus, quod sciam, Angelum fuisse arbitratur, quem deinceps alii secuti sunt. Theophylactus imprimis: *Ne talem putes stellam fuisse, qualem nos videmus, sed Divinam virtutem & Angelicam in figurâ syderis apparentem. Quod autem Angelica virtus illa fuerit stella, manifestum est ex eo, quod & per diem refulserit: & ad motum Magorum se commoverit: & ad quietem eorum, conquieverit.* Loquitur obscurius Euthymius, sed eò tamen, ut opinor, respiciens. *Stella non naturam, sed figuram duntaxat stellarum habuit. Et verè divina quædam inerat potentia, in hanc figuram transformata.* 98 *Stella Angelus.* 101

Sequuti sunt autem illi, ut in cæteris ferè, Chrysostomum, qui non φύσει, sed θέσει stellam fuisse docet. ἀστὴρ ἦν, ὁ ἀστὴρ δῆλ. ἦν. μέλλοι δὲ οὐδὲ ἀστὴρ (ὡς ἔμοιγε δοκεῖ) ἀλλὰ δύναμις τις ἀόρατος εἰς τοῦτο μεταρρυθμισθεῖσα τοῦ ἄστρου. *Non enim erat hæc è numero stellarum, stella, imo, ut mihi quidem videtur, ne stella quidem, sed quædam invisibilis virtus, in speciem syderis formata. Atque hoc imprimis ab ipsius motu patet. Nulla enim stella eo modo & forma moveri solet: sed sive Solem,* 99

ſive Lunam nominaveris, ſive quodcunque de ſyderibus, ab Oriente ferri illa in Occidentem videmus. Sed de Septentrione in Meridiem hæc ſtella movebatur. Is eſt enim Perſicæ regionis ſitus reſpectu Palæſtinæ.

100 Secundò, hoc probari à Tempore poteſt. Neque enim de nocte apparebat, ſed meridiante & ſplendente ſole. Quam lucendi facultatem, non modo ſtellarum nulla, ſed ne ipſa quidem Luna ſortitur: quæ licet, multo clarius omnibus cæteris coruſcet aſtris, continuo tamen ex ortu ſolis obſcuratur. Iſta autem ſtella, per illam, quam habebat, claritatem, etiam ſolis vel fulgentiſſimos radios ſuperabat. Tertiò, liquet idem ab eo, quod apparuit & occultabatur, uſque enim Palæſtinam prævia prælucebat viam: Cum vero intrarent Hieroſolymas, ſe occultabat. Demum vero, cum dimiſſi ab Herode, quem de causâ itineris docuerant, in viam ſe dare vellent, rurſus ſemet ipſis manifeſtabat. Quod non eſt alicujus aſtri, ſed virtutis cujuſdam ratione præditæ. Neque enim propriam motionem ſervabat, ſed cum illis gradiendum eſſet, unum gradiebatur: cum quieſcendum, conſiſtebat. Omnia, prout opus erat, diſpenſando, ſicuti illa quondam in eremo nubis columna, quæ pro opportunitate eorum, Iſraeliticum exercitum, ſtare faciebat & ambulare. Quartò, id patet ulterius ab ipſo manifeſtationis modo. Non enim in excelſo cœlorum conſtituta, eum, qui quærebatur à Magis, indicabat locum, nec enim illi eo pacto illum inveniſſent, ſed deſcenſione facta, & aeris locum inferiorem obtinens, hoc effecit.

101 Hæc & alia Chryſoſtomus in 2. Math. To. 2. pa. 37. quibus ſimilia habet ſequenti, hoc eſt, VII. in idem Euangelium homilia. Author Libri de mirabilibus ſacræ ſcript. apud Auguſtin: *Naſcente ergo illo puero, quem Iſraelitarum & Gentium Prophetæ utriuſque populi Salvatorem fore prædixerant: Magi, de Terrâ Evilab, ducti ſtellâ, ad eum cum muneribus longo admodum itinere venerant. Qui oblatis muneribus, & adorato per tempus puero, reuerſi ſunt: non eâdem tamen viâ, quâ venerant: ſed per aliam, ad patria loca remeare, moniti Divino famine curabant.* De hac autem ſtellâ, quòd ab Hieruſalem pergentibus Magis, uſque ad Bethleem dux itineris fuit, Euangelii dicta exponunt. Cæterum verò, qui de

To. 3. Lib. 3. Ca. 4.

terrâ

terrâ ſua, uſque Hieruſalem, hanc ducem ſui itineris habuiſſe Magos autumant, ex Euangelicâ authoritate firmare non poſſunt. Quoniam Magi, in terrâ ſuâ cum eſſent, excellentem ſyderibus ſtellam videntes, Dei eſſe, & Regis, qui juxta Prophetias, tam ipſorum, quam Eccleſiaſticas ex Iſrael naſceretur: ſeu ex propria ipſorum ſcientiâ, ſeu Angelica admonitione intelligentes, ad terram Iſrael venerunt, & ad Hieruſalem, ubi totius Provinciæ principatus fuerat: venientes, de Rege nato, & pariter Deo, perquirunt. Unde inventis Iſraelitarum Oraculis Vatum, de eodem nato, ubi naſcendi locum acciperet, monente ſubdolo ſermone Rege, alacres pergunt. Egreſsique urbem, mox ducem ad Chriſtum itineris ſtellam ſequentes, deveniunt. De iſtâ vero ſtellâ dubitant, utrum ſtella ſimplex, an Angelus, an Spiritus ſanctus accipiatur. Et ſi catholico ſenſui nihil repugnat, cum de ſingulis diſputatum fuerit, arbitris majoribus elegendi liberam voluntatem, ingenioli noſtri menſura concedet.

Qui Spiritum ſanctum arbitrabantur, apud illum authorem ita diſputant. *Qui ſicut poſtmodum corporali ſpecie Columbæ deſcendit ſuper Ieſum Dominum in Iordane, ſic Gentes adoratrices ſtellæ ſpecie deduxit ad cunabula Domini naſcentis in carne. De quo ſpiritu Balaam aſtrologus per parabolam loquebatur: Orietur ſtella ex Iacob, rutilum ſcilicet Lumen ſpiritalis gratiæ Chriſti, quâ Nox Infidelitatis Gentium illuminatur. Sicut ergo in igne ſuper Apoſtolos poſteà in cœnaculo Sion deſcendit, ita in ſpecie ſtellæ ad Dominum Spiritus ſanctus deduxit.* Hæc ille. Quæ leviora ſunt, quam ut Spiritum fuiſſe ſanctum perſuadeant. Fortiora multò ſunt, quibus ſtellam ordinariam non fuiſſe perſuadet. *Si enim ſimpliciter ſtellam accipiendam eſſe quis maluerit, à cæteris ſtellis in hoc ducatu quomodo deviavit? Quarum ab initio condita, in firmamento Cæli conſtituta fuiſſe dignoſcitur: ſicut libri Geneſeos authoritate manifeſtatur. Si ergo in firmamento Cæli maneret, inter Bethleem & Hieruſalem Dux fieri ambulantibus quomodo poſſet? Et ſi per aſtra ſagittæ more, quamvis paulo lentiore curſu, propter ſequentes pervolaret, aſſuetum in firmamento locum & curſum interim deſereret: Quod nec majoribus quidem luminaribus accidiſſe ſcripturæ deſcribunt, cum in ſignis, aut ſteterunt, aut reuerſa ſunt.*

102 *An Spiritus ſanctus.*

Niſi

Nisi forte ærius ille ignis, qui tale ministerium accepit, propter similitudinem, sicut in multis diximus, stellæ vocabulum accepit: aut si Angelus, habitu stellæ (ita enim ad tertiam partem descendit) *hoc ministerium fecit, quod non repugnat, dum se Angeli, quando hominibus se ostendunt, in multos transformant habitus. Quomodo Moysi in Oreb Angelus de rubo, ignitâ facie loquebatur: Et velut miles armatus, Iosuæ filio Nun extra castra Galgalis ostenditur. Sicut currum, & equos igneos, ascensione Eliæ Angeli fingunt ur.*

103 Alias ibidem persequitur Angelorum apparitiones, sed quæ τοιοῦτος τόπος. Non enim de stellis testimonia loquuntur, ab illo allata: nedum de Angelis sub nomine, titulo, vel specie stellarum cognitis. Qui tamen astra, stellæ, sydera Cœli appellantur. Iob 38. 7. *Cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei.* Et XIV. Esaiæ, Diabolus per & in primævo suo statu constitutus adhuc, Luciferi elogio nominatur. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris!* Ubi etiam commate 13. Astra Dei appellantur ordines Angelorum. Ita nihil novi vel inusitati dixerimus, si Angelum viæ Ducem, in figura stellæ, dicamus apparuisse, quod mihi maxime probandum videtur. Ludit omnino in re seriâ Haymo, cujus ista recitantur à Barradio, *Stella, postquam Magos ad Dominum duxit, desiit videri ab hominibus. Gregorius Turonensis Episcopus dicit, quod ceciderit in quendam puteum Bethleem, ubi potest modo videri ab iis, qui virgines sunt, in fundo putei illius. Iverunt illuc tres homines, unus virgo, duo non virgines: qui virgo erat, vidit stellam: reliqui non viderunt.* Hæc Haymo: sed frivola sunt censente Anselmo: imo plane ridicula, si non impia.

104 Ambrosius de stella, quæ fuerat, & cujus generis vel conditionis, nihil statuit: potius ad Christū ipsum referre videtur, quē exoriturū stellam de Iacob, vaticinabatur Balaam. *Stella ab his videtur*, ait ille in 2. Lucæ, *& ubi Herodes est, non videtur: ubi Christus est, rursus videtur: & viam demonstrat. Ergo stella hæc, via est, & via Christus: quia secundum Incarnationis mysterium Christus est stella. Orietur enim stella ex Jacob, & exurget homo ex Israel. Denique, ubi Christus, ibi stella est. Ipse enim est stella splendida & matutina: suâ igitur ipse luce se signat.* Beatus Leo & S. Maximus Taurinensis

nenſis videntur exiſtimaſſe novam fuiſſe ſtellam de novo creatam, in cœleſti aliqua regione. Maximus Homilia III. ita ſcribit. *Cum ipſe Dominus noſter, Lege Nativitatis humanæ, parvulus & infans apud Iudæam vagiret in cunis, lateret in pannis, magnificentiam tamen ejus univerſo orbi, mirabilis ab alto ſtella prodebat. Quis enim dubitat ipſam ſtellam lætiori luce & fulgentioribus radiis coruſcaſſe, quæ cæli terræque lumen humanis oculis ingerebat: & neceſſe erat, ut ſtella hæc, à cæteris ſyderibus orbe clariore diſtaret, quæ annunciabat Chriſtum, cujus Nativitas ab univerſis mortalibus differebat. Et novo quidem Sydere tunc micabat cælum, ſed magis novo lumine mundus refulgebat. Quis hanc inveſtigare miraculorum gloriam poſſet, quod pro remedio ſalutis noſtræ, uno eodemque momento, Creatura lucebat in Cælo, & Creator ſplendebat in Terris? Nec mirum, ſi Cælorum Dominum Teſtimonium cœleſte proſequitur. Aut cur nobis incredulum videatur, ſi Conditorem ſuum obſequens factura teſtatur? Et mirabatur quidem terra, quod novam ſtellam videret in Cælo. Sed plus mirabatur cœlum, quod novum Solem videret in terra.*

Petrus Chryſologus ſic meditatur. *Habere cepit ſtellam* 105
unam, totam qui fecit, habet, & continet creaturam. Aliquando videt Magus, qui habet ſtellam, non habetur à ſtellâ: nec ipſe agitur curſu ſtellæ: ſed ipſe ſtellæ agit curſum, cujus per cœlum ſic curſum dirigit, ſic moderatur inceſſum, ſic viam temperat, ut Magorum ſerviat & mittatur ad greſſum. Nam ambulante Mago, ſtella ambulat: ſedente Mago, ſtat ſtella: Mago dormiente, excubat. Sic ſentit Magus, ut quibus viandi par conditio eſt, par ſit neceſsitas ſerviendi. Et ſtellam jam non Deum credit, ſed judicat eſſe conſervam, quam cernit taliter, ſuis obſequiis mancipatam. Hoc ergo vult, Deum per ſtellæ manifeſtationem & ductum, id egiſſe, ut Magos Aſtrologiæ, & Idololatriæ addictos, ab utraque deduceret, & vanitatem utriuſque doceret. Et huc illa ejuſdem reſpiciunt. *Stellam ejus. Quæ accepit eſſe, non dedit. Stellam, cujus ortum tenebat auctor, non quæ ortum tenebat auctoris. Venientem, non à geneſi, ſed à genitore: mandato non fato: non à computatore, ſed ab auctore: non quæ daret ortum, ſed quæ ſuſtineret occaſum. Stellam, non legiferam, ſed ſigniferam, ferentem, non dierum ordinem, ſed noctium lumen. Stella hæc, miniſtra viæ, non vitæ. Comes Magorum,*

non cognata Chriſti: non Dominantis Domina, ſed ancillula ſervorum. Et Serm. 156. *Apparuit ſtella, non volens, ſed juſſa: non cœli nutu, ſed divinitatis impulſu: non lege ſyderum, ſed novitate ſignorum: non cœli climate, ſed virtute naſcentis: non ab arte, ſed à Deo: non Aſtrologi ſcientiâ, ſed præſcientia Conditoris: non Arithmetica ratione, ſed ſanctione Divinâ: ſupernâ procuratione, non curioſitate Chaldæa: non arte magica, ſed Judaica Prophetia. Sic ubi vidit Magus humanas periiſſe curas, ſuas defeciſſe artes, mundanæ ſapientiæ exinanitos labores, obriguiſſe omnium ſectarum ſudores: totius Philoſophiæ theſauros eſſe vacuatos, fugiſſe Paganam noctem: opinionum nebulas concediſſe: ipſas Dæmonum detuliſſe umbras: ſtellam, non ut Cometam incircumfuſo crine, occultare quod nunciat, obſcurare quod lucet, ſic dicit. Fas eſt, ut & Te, novo radio, ſignifero lumine, ſplendore certo, radiare videam, illic natum regem, præter mundi legem, præter carnis ordinem, præter humanam monſtres naturam. Sic depoſito errore, ſequitur, currit, pervenit, invenit, gaudet, procidit, adorat, quia non per ſtellam, non per artem, ſed per Deum, Deum ſe inveniſſe, humanâ miratur in carne.*

106 Hæc ille contra vanitates Aſtrologicas: & inprimis, nonnullorum impietatem, qui ſtellam ejus, ideo arbitrabantur dictam, quod Chriſti Nativitatem per Horoſcopicas rationes contineret. *Putaſne Chaldæos*, inquit, *ſyderum ſcrutatores, errantes per aſtra Magos, cœli negotia in tenebris noctium perquirentes, naſcendi moriendique cauſas, ſtellarum curſibus aſcribentes: bona malave hominum, de arbitrio Luminarium firmantes, Euangeliſta hodie ortum Chriſti abſconditum ſæculis, ſtellâ duce docuit inveniſſe? abſit. Sic ſentit mundus, ſic Gentiles intelligunt, ſic fallit ſpecies Lectionis: cæterum ſermo Euangelicus, non humana loquitur, ſed divina: non uſitata, ſed nova: non arte fallentia, ſed veritate ſubnixa: non oculis alludentia, ſed cordibus infixa: non conjecturis nutantia, ſed authoritate firmata: à Deo venientia, non à fato: non collecta numeris, ſed virtutibus acquiſita.*

107 Atque hæc ſunt ferè illa omnia, quæ in veterum Eccleſiaſticorum ſcriptis commentariis de ſtella, Magorum Duce ad Chriſtum, mihi lecta ſunt; præter illa, quæ perſequitur Prudentius, hymno in diem ſacrum Epiphaniorum. Nam frivolum eſt illud, quod Homil. in Matth. 2. habet

habet author operis imperfecti ex Apocryphis quibusdam Seth. *Audivi*, inquiens, *aliquos referentes, de quadam scriptura, etsi non certa, tamē non destruente fidē, sed potius delectante. Quoniam erat quædā Gens sita in ipso principio Orientis, juxta Oceanum, apud quos ferebatur quædā scriptura inscripta nomine Seth, de apparitura hac stella ac muneribus offerendis, quæ per generationes studiosorū hominū patribus referentibus filiis suis habebatur deducta. Itaque expectabant hanc stellam duodecim: & si quis moriebatur, ex illis filius ejus, aut alius in ejus locum sufficiebatur. Dicebantur autem Magi linguâ eorum. Hi per singulos annos ascendebant post messem trituratoriam, in montem, qui vocatur lingua eorum Victorialis, habentem speluncam, ac fontibus, ac arboribus amæniſsimum, expectantes semper, ne forte in generatione sua stella illa oriretur: donec apparuit iis, descendens super montem Victorialem, habens in se formam quasi pueri parvuli, & super se similitudinem Crucis, & locuta est iis, & docuit eos, & præcepit ut irēt in Iudæam. Proficiscentibus autem illis, per biennium præcedebat stella, & neque esca, neq; potus defecit in eorum peris.* Hæc ille. Nimirum talibus præstigiis, & fabulosis nugamentis illusit olim Diabolus Christianorum quorundam simplicitati.

De stellâ autem, ut rem totam expediamus, sive Angelus fuerat stellæ speciem indutus: sive stella noviter creata, motore Angelo, differebat ab aliis multipliciter: Creatione, Materia, Loco, Motu, Fulgore, Duratione, Magnitudine. Sydæra cætera ab initio rerum creabantur: Hæc, ipsâ Christi Nativitatis nocte. Reliquæ stellæ materiam habent certam, suam, cæleſtem: hæc, vel aëream, vel Angelicam. Reliquæ in cœlo fulgent: hæc, in aere vicino visebatur. Illæ circularem servant motum, hæc rectum obtinuit. Illæ noctu fulgent, hæc etiam interdiu. Illæ perpetuæ sunt, hæc temporaria. Illæ terram Lunamque magnitudine superant, hæc minor erat: major tamen esse apparebat, quia terræ propinqua cernebatur. Atque ita, *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iuda, in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerant Hierosolymam, dicentes, Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* 108

Hujus stellæ ab aliis differentia multiplex.

Profecti de sua patria Magi, sive tres fuerant, sive plu- 109

res, Iudæam recto itinere contendunt, nullo, ut opinor, viæ ductore ſydere; quippè quod non erat opus, cum natum in Iudæa regem intelligerent, & ubi terrarum ſita foret Paleſtina, ſcirent. Fines ingreſſi Paleſtinæ, regionis metropolin Hieroſolymam adeunt. Perſuaſum enim habebant Herodi, & Iudæis, urbem regiam incolentibus, novi ipſorum Regis incunabula, & nativitatis locum, exploratum eſſe: atque adeo civitatem ipſam, de Nativitate Regis ſui, gaudio exultaturam. Hanc ob cauſam intrepidè, ac ſine ullo ſcrupulo, palam obvios quoſvis interrogant, Ubi illum inveniemus, qui nuper Rex Iudæorum naſcebatur? Erat hoc Iudæis novum & inauditum, ideoque, turbabatur, non tantum Herodes, qui cum imperio fuit: ſed & univerſa cum illo Civitas Hieroſolymarum. In his impletum eſt illud, ait Sanctus Maximus, quod Prophetico ſermone, Eſaiæ 52. prædictum eſt. *Quibus non eſt nunciatum, de eo videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Ecce enim Chaldæus, cui neque annunciatum de Chriſto fuerat, neque audierat, ut vidit ſtellam Chriſti, adeſſe eum intellexit in ſtellâ. Quænam eſt autem, Iudæe, in pectore tuo mortiferæ obſtinationis averſio, ut ſolus non audias, quod certi loquuntur. Apud Te virgo concepit, & virginis tuæ partum alienus agnoſcit. Tibi ſalutem tuam Euangelicæ voces perſuadere non poſſunt, & ad Chriſtum tuum una Chaldæos ſtella perduxit.*

110 Ad hanc Magorum peregre adventantium, & alienigenarum interrogationem, turbatus eſt Rex Iudæorum Herodes. Turbatus eſt Herodes, ait idem S. regno, credo, metuens ſuo. Quod & verum eſt, & à Chryſoſtomo prius obſervatum. Ὁ μὲν Ἡρώδης ἔλεγεν, ὅτι βασιλεὺς ὤν, καὶ δεδοικὼς ὑπὲρ τε αὐτοῦ καὶ τῶν παίδων. *Non eſt mirum, ſi Herodes turbabatur, cum regnum in Iudæâ obtineret; ſui ipſius, & liberorum cauſa metuebat.* Τὰ δὲ Ἱεροσόλυμα τίνος ἕνεκεν. *Quid in cauſa fuit, ut Hieruſalem quoque conturbaretur? Cum Regem, Servatorem, Benefactoremque, & Liberatorem futurum ipſis Prophetæ annunciarent, quorſum illi conturbabantur?* Scilicet, ait ille, *ab eadem ipſa perverſitate animi, qua Deum in parentibus averſabantur, & potius mallent olera prandere Ægyptiaca, quam deliciis Chanaan exaturari. Prædixerat Eſaias, quod nec illi ignorabant, Puer natus eſt nobis*, & quæ ſequuntur. *Et tamen*

men ad auditum conturbantur : nec de audito ſedulo ſciſcitantur, οὐδὲ τοῖς μάγοις ἀκολουθῆσαι καὶ συνεργάζεσθαι.

Sciſcitatur Herodes, narrante ulterius Euangeliſta. Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi ſciſcitabatur ab iis, ubi Chriſtus naſceretur. *Putabat ſe, infælix, regali ſolio detrudendum,* ait Hilarius Arelatenſis. *Sed non eſt ita. Non enim ad hoc venerat Chriſtus, ut alienam invaderet gloriam, ſed ut ſuam donaret: non ut regnum terreſtre præriperet, ſed ut cœleſte conferret: non venerat, ad dignitates rapiendas, ſed ad injurias perferendas: non ut caput, ad gemmarum Diadema, ſed ad ſpineam coronam præpararet: non ut ſuper ſceptra conſtitueretur magnificus, ſed ut crucifigeretur illuſus.* Hæc ille. Sed iſta Herodes ignorabat. Terrenus rex de regno terreno metuebat: nec illo, legitimo, aut hæreditario: ſed quod per vim intruſus occupaverat, & tyrannicè adminiſtraverat : & flagrantibus Iudæorum odiis, retinebat. Quid mirum igitur, ſi timuit ſaluti ſuæ ? metuit poteſtati, & ſollicitus erat de nato, ut rebatur, ſucceſſore. 111

Sed tumultuantes & turbatos Iudæos ita corripit, nec injuria, Chryſoſtomus. Ταραχθέντες δὲ ζητοῦσι τὸ συμβὰν ἰδεῖν, οὐδὲ τοῖς μάγοις ἀκολουθῆσαι καὶ συνεργάζεσθαι. ὅπως, ὁμοῦ καὶ φιλόνεικοι, καὶ ῥάθυμοι μάλιστα πάντων ἦσαν. δεῖν γὰρ αὐτοὺς ἦν ἐγκαλλωπίζεσθαι, ὅτι παρ' αὐτῶν ὁ βασιλεὺς ἐτέχθη, καὶ πίων Περσῶν εἵλκυσε χάριν, καὶ μέλλουσιν ἔχειν ἅπαντας ὑποχειρίους, ἅτε τῆς οἰκουμένης ἐπὶ τὸ βέλτιον μεταβαλόντων, καὶ ἀπὸ μεσημβρίας λαμπρὰς ὥσπερ ἡ ἀρχὴ γενομένης, οὐδὲ ταύτην γινώσκουσιν ἀμείνους. καὶ τοι ἀρτὶ τὴν αἰχμαλωσίαν ἐκ τῆς ἐκεῖθεν ἀπαλλαγέντες, καὶ εἰκὸς ἦν αὐτοὺς σπουδὴν ποιεῖν, εἰ δὲ μηδὲν τῶν ἀπορρήτων, καὶ ὑψηλῶν ἤδεσαν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν παρόντων γῆν ἐψηφίσαντο μόνων, ὅτι εἰ τεχθέντα ὥσπερ τέθνασιν ἡμῖν οἱ βασιλέα, πολλῷ μᾶλλον ἀνηρτημένα φοβήσονται καὶ ὑπακούσουσι καὶ τῆς βαρβάρων ἔσται λαμπρότερα καὶ ἡμέτερα. Ἀλλ' ὁρᾶν τόπον αὐτοὺς ἀφανίσει. τοσαύτη ἦν αὐτῶν ἡ ναθεία, μᾶλλον δὲ ἡ βασκανία. Conturbati, non tamen inquirunt, quid acciderat, nec illud cognoſcere; ſed nec Magos præeuntes ſequi, vel curioſe de iis ſatagere: Adeo omnium mortalium perverſiſſimi erant, & ignaviſſimi. Certè par fuit ut gloriarentur, apud ipſos natum eſſe regem, qui regionem Perſarum ad ſuas partes attraheret; & omnes mortales ſibi ſubjectos eſſet habiturus. Cumq; in melius multo res ſuccederet, quorum principium tam 112

illuſtribus proæmiis ſuffulciebantur, nihilo tamen inde meliores fiebant. Certe erant hoc pacto de captivitate liberandi & intelligere ipſos probabile fuit, utcunque nihil ſecretius, nihil profundius dictum intelligerent, tamen è præſenti rerum ſtatu, conjectari poterant, ſolo. Quod ſi modo natum noſtrũ regem, adeo metuunt, illũ certè multo magis adultum timebunt, illique exhibebunt obedientiam. Atque ita rerum noſtrarum ſtatus multo erit illuſtrior, quam eſt Barbarorum. Sed horum nihil planè illos erexit, tantâ vecordia laborabant, & tanta quoque invidia percellebantur. Ita declamat Chryſoſtomus, in Iudæorum duritiem, ſtuporem, & invidiam. Quanquam, quod attingit de invidiâ, videtur haud in populum adhuc convenire, utcunque de Herode, & Herodianis verum eſſe potuit.

113 Veriſimile autem eſt Magos, non tantum palam & paſſim, apud Hieroſolymitas hanc quæſtionem propoſuiſſe, *Vbi eſt ille, qui natus eſt Rex Iudæorum?* ſed & ipſam aulam imprimis, adeuntes, Herodi in faciem edixiſſe, natum eſſe Regem Iudæorum, quem ut viderent, & adorarent vehementer cupiebant. Ubi enim Regem potius quærerent, ſecundum humanam diſpenſationem quam in aulâ Regiâ, inter proceres? Ille tamen iis incognitus erat, nec de ipſo quicquam inaudiverant: imo ne cogitabant quidem, præſenti rerum ſtatu, & principatu contenti. Herodes autem, auditâ Magorum narratione, & rationem ſimul, ab Indice nativitatis, *Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente*, apud animum ipſius ponderans, valdè turbatus, Concilium convocat Sacerdotale, & quæſtionem illam, quam rectè Theologicam, Barradius appellat, è ſcripturis diſcutiendam & ſolvendam, proponit, Ubi Chriſtus, vel Meſſias naſci debeat? Natum fuiſſe, docent Magi: Ubi natus, ignorabant: quærunt igitur, Ubi eſt? Intelligere cupiunt, ut adorent: quærit & Herodes, Ubi naſcebatur: non ut adoret, ſed interficiat, & ſpem præcideret ſucceſſionis.

114 Probabile eſt Herodem Prophetarum oracula de Meſſia, ſaltem per rumorem vulgi, intellexiſſe. Quam magnifica de Meſſia, & glorioſa Iudæi ſibi perſuadebant, noverat. Gentis illius ingenium, atque inſitam pervicaciam, multorum

multorum annorum experientiâ, multarum cladium documentis, noverat. Præfractos, rebelles, omni modo reluctantes externo alienigenæ, qualis ipſe fuit, imperio, intelligebat: facile ituros in arma cogitabat: cœlum terris permiſturos, ſi Rex ille, quem expectabant, natus, adoleſceret, & ad libertatem recuperandam amiſſam induceret: de ſe, ſuis rebus, regno, ſucceſſione actum eſſe intelligebat. Turbatus ergo vehementer, concilium cogit, ſummæ rerum conſulturus: Et non apud Magos, ſed in Synodo proponit illud ζήτημα, ubi Meſſias naſci debuit, Magis privatim impertiturus: quorum quæſtioni, cum non poſſet ipſe ſatisfacere, per peritos in Lege, & Prophetarum intelligentes edoctus reſpondet: è Prophetia Micheæ, quemadmodum Scribæ, periti in Lege, præiverant, in Bethleem Iudæ. Sic enim, ſuggerebant Scribæ, ſcriptum extat Micheæ V. *Et Tu Bethleem terræ Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda; ex Te enim mihi exiit Dux, qui reget populum meum Iſrael.* Cujus loci grammaticales expoſitiones Interpretibus relinquo.

Accepto Scribarum reſponſo Herodes, Clam ad ſe vo- 115
catis & admiſſis Magis, quæſtioni imprimis ſatisfacit, de Loco Nativitatis. Eſſe illum nempe Bethleem, cunabulis Meſſiæ deſtinatum. Huc, inquit, profecti, Interrogate de puero diligenter; inventum, prout cupitis, adorate; & poſtquam omnia perfeceritis, quæ vobis videbuntur, me reverſi, facite certiorem, ut & ego, eò veniens, adorem illum. Hæc ille, cædem & interitum machinatus. Magi autem, quippè viri probi, alios ſui ſimiles arbitrati, & nihil ſiniſtri ſuſpicati, abeunt. Eſt hæc Chryſoſtomi obſervatio. Οἱ δὲ Μάγοι τῶν τοῦδὲν σωιδότες ἀπὸ πολλῆς εὐλαβείας ἀπέρχονται τῶν τοῦδὲν ὑφορώμενοι, ἀλλ' ἐκ τῆς καθ' ἑαυτοὺς, καὶ τὰ τῆς ἄλλου τοιαῦτα ὑποπτα. Quocirca illi, cum Regis mandata accepiſſent, ſe in viam Bethleemum verſus dant & Hieroſolymis ſoli, incomitati, abiere. Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſquedum veniens, ſtaret ſuprà, ubi erat puer. Non, ut in Oriente apparuit tantum, ſed viæ ducem ſe, & anteambulonem præbuit: ubi, non tantum admirandam, ſed & benigniſſimam Dei diſpenſationem obſervant; Hoc enim ideo factum volunt, ne paupertate

pertate & humilitate offenſi, ſcandalum paterentur. Conſiſtente autem ſupra domum ſtellâ, facile poterant intelligere, intus eſſe illum, quem quærebant.

116 *Videntes ergo ſtellam, gaviſi ſunt gaudio magno valde*: ex inſperata illa oblatâ manuductione. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus. Deſtitutum omni regio apparatu & ſatellitio: quin, quod videtur, famulatu. Sola in ædibus erat mater: Ioſephus aberat, rebus ſuis intentus & negotiis. Id enim videtur inſinuare Textus, in quo ſignanter legitur, *Invenerunt puerum cum matre ſuâ*. In domo ſcilicet, hoc eſt, ædibus conductitiis: non in ſpelunca, non in ſtabulo, non in præſepi. Neque enim, ut oſtendimus, poſt dies XII. advenerunt Magi, ſed elapſo demum anno: ideò, qui ſedes Bethleemi fixerant Ioſephus & Maria, conduxerunt ſibi ædiculam habitationi, in qua venerabantur inventum Magi.

117 Ita enim ſequitur in Hiſtoriâ ſacrâ, *Procidentes, adoraverunt eum. Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Ἀλλά τι ὃ πεῖσαν, αὐτὸς προσκυνῆσαι; ὅτε γὰρ ἡ παρθένος ἐπίσημος ἦν. ὅτε ἡ οἰκία περιφανὴς. ὅτε ἀλλό τι τῆς ὁρωμένων, ἱκανὸν ἦν ἐκπλῆξαι καὶ ὑποπτάσαι; *Quid autem erat*, Chryſoſtomus inquit, *illud, quod, ut adorarent eum, illos inducebat? non enim conſpicua fuit virgo, non domus illuſtris aut ſplendida: ſed nec aliquid aliud intuebantur, quod eos vel induceret, vel admiratione ulla procelleret.* Sed videre licet, inquit Bernardus, quam oculata ſit fides, quam Lynceos habet oculos: cognoſcit Dei filium lactantem: cognoſcit in ligno pendentem: cognoſcit morientem: ſiquidem Latro in patibulo, Magi in ſtabulo cognoſcunt: ille clavis transfixum, iſti pannis involutum. Ita magna eſt fides & prævalet.

118 *Munera Magorum.* Munera quod offerant, de conſuetudine Perſicâ & Orientali faciunt. Neque enim fas erat apud Perſas (quod & hodie etiamnum apud Turcas obtinet) Regem ſine muneribus adire. Quæ duplicia fuerant, extraordinaria, & ordinaria. Hæc autem quotannis pendebantur voluntarie. Nam ante Darium Hyſtaſpis, nulla apud Perſas tributa Provinciis imponebantur, quod teſtatur Herodotus, Libro III. Et ab hac antiquiſſimâ conſuetudine ſunt illa

quæ

quæ narrantur in ſacris literis. Gen. 43. 11. Jacob miſſurus filios in Ægyptum ad frumentum coëmendum, qui coram Joſepho regis locum tenente ſiſti debebant: ait, *Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis, ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi, & amygdalorum.* Et v. 25. *Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Joſeph ad meridiem.* Ità quoque Regina Saba Salomonem aditura, ingreſſa eſt Jeruſalem multo cùm comitatu, & divitiis, & Camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretioſas, 3 *Reg.* 10. 2. Sic & Abigail Davidem aditura, viro ſuo Nabal infenſum, & infeſtum: *Tulit ducentos panes, & duos utres vini, & quinque arietes coctos, & quinque ſata polentæ, & centum ligaturas uvæ paſſæ, & ducentas maſſas caricarum; & poſuit ſuper aſinos*, 1 Sam. 25. Quæ & Davidem ſic alloquitur: *Suſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo, & da pueris qui ſequuntur Te.* Neque aliter Jacob de Meſopotamia redux, Eſauo fratri occurrebat. Benevolentiam quippè, famulitium, obſequium ſuum per ejuſmodi munera teſtata facere volebant, & majores, ac ſuperiores ergà ſe placatiores reddere, vel demereri.

Hanc vetuſtam & Gentilitiam conſuetudinem obſer- 119
vantes Magi, ad Chriſtum Dominum, Regem Judæorum admiſſi, *apertis, theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, aurũ, thus, myrrham*; de quibus multa, multiplicitèr antiqui Patres, quorum nos veſtigiis inſiſtimus, cõmentantur. *Matthæus Magos ab Oriente venientes* (ait Irenæus) *dixiſſe refert, vidimus ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare eum: deductoſq; à ſtellâ in domum Joſeph ad Emanuel, per ea, quæ obtulerunt munera, oſtendiſſe quis erat qui adorabatur. Myrrha quidem, quòd ipſe erat, qui pro mortali humano genere moreretur & ſepeliretur. Aurum verò, quoniam Rex, cujus regni finis non eſt. Thus verò, quoniam Deus, qui & notus in Judæâ factus eſt, & manifeſtus iis qui non quærebant eum.* Tertullianus hùc refert illud Eſaiæ vaticinium, *Priuſquam agnoſcat vocare puerum patrem aut matrem, accipiet virtutem Damaſci, ac ſpolia Samariæ adverſus Regem Aſſyriorum. Hoc eſt mirabile ſignum, ſervate modum artis, & quærite ſenſum prædi-*

Lib. 3. c. 10.

Con. Judæos cap. 9.

cationis. Imò reddite veritati quæ credere non vultis, & tam intelligitur Prophetia, quàm renunciatur expuncta. Accepit Christus Infans virtutem Damasci, & spolia Samariæ. Maneant enim Orientales illi Magi infantiam Christi, ut regem auro, thure, & myrrhâ remunerantes, & accepit Infans virtutem Damasci sine prælio & armis. Nam præterquam quod omnibus notum est, Orientis virtutem, id est vires, auro, & odoribus pollere solitam, certè est creatoris, & ex divinis Scripturis virtutem quoque cæterarum Gentium aurum constituere. Syriæ virtutem Christus accepit, accipiendo insignia ejus, aurum scilicet, & odores.

120 Justinus autem Martyr, quem in parte exscripsit Tertullianus, aliter spolia & virtutem interpretatur: Magos nempè ipsos ab Idololatriâ jam tum traductos ad veri Dei cognitionem. Ut minùs rectè Justini testimonium ad hæc Magorum munera adhibuerint Castrius atq; alii. Origenes lib. 1. c. Celsum. *Venerunt in Judæam, docti jam natum esse regem quendam, cæterum ignari cujusnam regni,* (at hoc videtur falsum, cùm inquirant ubi est, qui natus est Rex Judæorum) *aut ubinam Natalium ejus sit locus, ferentes dona composita, ut sic dicam, ex mortali & Deo. Aurum in signum potestatis regiæ: ut morituro, myrrham: ut Deo, thus.* Author de Cardinalibus Christi operibus. *Ecce alienigenæ, à fluminibus Æthiopiæ, ad parvulum Christum supplices veniunt, & filii dispersorum deferunt munera. Quia neminem in conspectu Dei apparere vacuum antiqua lex edocet, Primitiæ Gentium sacramentalia munera proferunt de thesauris, & Domino aurum & odoramenta præsentant, profitentes, ex ratione munerum, de eo quem adorabant, quid crederent, quid sentirent. In auro regem: in thure sacerdotem: in myrrhâ incorruptibilem profitentur.* Ità differt aliquantulum in applicatione munerum ab Irenæo: quemadmodum ab illo differt Nazianzenus, μὲν μάγων δωροφόρησον, χρυσὸν, καὶ λίβανον, καὶ σμύρναν, ὡς βασιλεῖ, ὡς θεῷ, καὶ ὡς ἀφὶ σὶ νεκρῷ. Chrysostomus de auro tacet, thus & myrrham tanquam Deo oblata docet.

121 Latini Patres hæc aliquanto diffusiùs prosequuntur. B. Ambrosius, in fine Comment. ad 3. Lucæ, Exuvias fuisse Idolorum dicit, & illis detractas, Christo oblatas.

Hîc

Hic enim eſt puer, inquit, *cujus incunabula Magi ſpoliis Orientalibus referſerunt. Quia gens ante Chriſtum incredula, de exuviis Idolorum, mutatâ jam fide, manubias obtalit Domino triumphales.* & alibi: *Qui ſpolia Samariæ à Magis accipiens, Homo, Rex, & Deus comprobatus eſt.* Et de viduis, Tom. 4. *Theſaurus tuus intellectus bonus: qualis ille theſaurus fuit, de quo Magorum viri Aurum, Thus, Myrrham, cum adorarent Dominum, protulerunt. Auro, regis potentiam declarantes: Deum thure venerantes: Myrrhâ, reſurrectionem corporum confitentes.* & de Fide ad Gratian. lib. 1. cap. 2. *Unum Deum Magi crediderunt, & aurum, thus, myrrham, ſupplices ad Chriſti incunabula detulerunt. Auro regem fatentes, at Deum thure venerantes: Theſaurus enim Regni: ſacrificium Dei eſt: Myrrha eſt, ſepulturæ.* Et Homil. 1. in Epiphan. *Illi Magi tres Reges eſſe dicuntur, & tria munera, hoc eſt, Aurum, Thus, & Myrrham, obtulerunt: quoniam verum Deum, & Regem, & verum Hominem in carne mortali apparuiſſe cognoverunt.*

Hieronym. Comment. in Pſal. 44. *In muneribus vultum* 122
tuum deprecabuntur, huc refert. *Iſtæ recondentes theſauros ſuos, de corde te mundo requirunt, quia ubi ſunt theſauri eorum, ibi erit & cor eorum. Fecerunt hoc Magi, qui cum Thure & Myrrhâ, & Auro venerunt: qui non tantùm verbis, ſed & muneribus adoraverunt Chriſtum.* Auguſtinus in Homil. de Epiphan. ſic ſcribit, & meditatur, Homil. 1. *Ipſi Magi, qui ad illa cœleſtis pueri veneranda incunabula, ſtellæ indicio pervenerunt, quid aliud expreſſerunt in illis muneribus, niſi fidem noſtram? In eo enim, quòd Tria offeruntur, Trinitas intelligitur. In eo quòd Tres ſunt, & ſinguli ſingula offerunt, in Trinitate unitas declaratur: Per Aurum Rex oſtenditur, Deus in Thure agnoſcitur; per Myrrham, quæ condiendis eſt apta corporibus, ſepultura crucifigendi hominis prædicatur.* Beatus Leo, Homil. 1. in Epiph. *Sacramentum fidei ſuæ intelligentiæque manifeſtant; quod cordibus credunt, muneribus proteſtantur: Thus Deo, Myrrham homini, Aurum offerunt Regi, ſcientèr Divinam humanamque naturam in unitate venerantes.* Et ſerm. 3. *Denique, officium ſuum cum religione diſponunt, & his ſe inſtruunt donis, ut adoraturi unum tria ſe ſimul credidiſſe demonſtrent. Auro honorantes perſonam regiam:*

myrrhâ humanam, thure Divinam. Petrus Chrysol. serm. 158. *Aurum Regi, Thus Deo, Morituro Myrrham, Dominicæ devotioni offerunt, scientiæ thesauros maximos in posterum crediturus.* Et serm. 159. *Nos Fidei thus longinquæ regionis, Nos proximæ confessionis myrrham boni odoris, nos suaveolentia dona Charitatis; tria namque ista offerimus, quando Christum, & Regem, & Dominum, & Hominem veneramur.* Et ser. 160. *Jamque videns credere se, & non discutere, mysticis muneribus confitetur, thure Deum, auro Regem, myrrhâ esse moriturum. Thure Deum, auro Regem, ut eum diviti placaret obsequio, quem curioso & importuno incesserat, & offenderat instituto.*

Postremò, S. Maximus, Homil. 3. *Auro ostenditur captivitatis nostræ pretiosa redemptio: in thure autem, & Dæmoniorum superstitio cessatura, & futurus veræ religionis cultus aperitur. In myrrhâ, quâ exanima solent corpora conservari, præfiguratur carnis nostræ reparatio, & resurrectio mortuorum.*

123 Hactenus quidem Sancti Patres allegoricam in Magorum donis intentionem Spiritus Sancti sequuntur: quorum vestigiis insistentes alii, per aurum, veram fidem offerendam nobis esse statuerunt; per thus, ardentem orationem; per myrrham carnis mortificationem intelligunt. Alii triplicem Scripturæ sensum advocant, Historicum, Moralem, Allegoricum. Alii Logicam, Physicam, Ethicam, cæteras artes, & literas, ut vocant, sæculares debere à nobis Deo, & divinis mysteriis inservitura offerri. Quibus omnibus positis, & admissis, illud imprimis hinc deducendum & hic statuendum videtur; Deum voluisse Beatæ Mariæ & Josepho de viatico prospicere abundantiùs, & providere, cùm continuò, quod adhuc tamen ignorabant, secedendum ipsis esset in Ægyptum. Aurum enim & auro venalia, thus, ac myrrha, itineris expensas faciles faciebant. Hanc optimam omninò rationem solus, quod sciam, Bernardus attigit: quam frivolis ratiunculis impetiit Maldonatus.

124 Quid egerint deinceps Magi, quamdiu hæserint Bethleemi, Euangelista tacet. Illud probabile est, multis cum Maria & Josepho egisse, de hoc tanto mysterio, & singula

ſingula diligenter de puero ſciſcitatos: revelationes Divinitùs factas in Conceptione & Nativitate intellexiſſe. Veriſimilè etiam eſt, non ibidem hæſiſſe per dies aliquot, ſed fortaſſis poſtridie abitum adornâſſe, ne Herodis diligentiæ & ſedulitati obnoxii eſſent. Hoc certum eſt, ibidem illâ nocte perſtitiſſe, & domum demum revertiſſe aliâ viâ quam venerant. Illud enim inſinuat, hoc ῥητῶς affirmat Euangeliſta, *Et reſponſo accepto in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* Clam Herode, qui interea reverſuros expectabat.

Hinc Epiphaniæ per Eccleſiam celebris eſt anniver- 125
ſaria ſolennitas: in Magis enim Gentium primitiæ Deo *Epiphaniæ Feſtum.*
conſecrabantur. Quocirca rectè in Annalibus reverendiſſimus Baronius, minimè prætereundum cenſuit, hunc Magorum adventum ad Chriſtum, per celebri cultu Eccleſiam conſueviſſe celebrare, ac magnificentiſſimè colere, ut ſanctorum Patrum ferè innumeræ eâ de re Homiliæ teſtantur. Adeò ut extorris prorſus à religione Chriſtiana videretur, qui tantæ ejus diei celebritati non interfuiſſet. Piè nimirum, & veriſſimè. Erat enim inſigne quoddam, ac tanquam character Chriſtianis ſacris initiati, celebritatibus Feſtorum annuis intereſſe. *Hic dies ſolenniſſimus* (ait B. Auguſtinus, ſerm. 7. in Epiph.) *debitâ ſanctitate eſt factus Eccleſiæ.* Rationem reddidit ſerm. 2. *Illi erant primitiæ Gentium: nos populus Gentium. Nobis hoc lingua nunciavit Apoſtolorum: ſtella illis tanquam lingua cœlorum. Indè cæpit, quod in univerſo mundo fructificaret. Nos itaque duos dies Nativitatis & Manifeſtationis Domini noſtri, ſpiritali lætitiâ gratiſſimos habeamus.*

Nec injuria cenſuit extorres eſſe illos à religione, qui 126
tali ſolennitati intereſſe nolunt. Nam quod Homil. 4. ait idem, *Meritò iſtum diem nunquam nobiſcum Hæretici Donatiſtæ celebrare voluerunt, quia nec unitatem amant, nec Orientali Eccleſiæ, ubi apparuit ſtella, communicant. Nos autem manifeſtationem Domini, quia Primitias Gentium delibavit, in unitate Gentium celebramus.*

Invidiosè verò dicitur, & Puritaniſmum redolet, quod 127
aiunt, Baronium hujus feſti celebrationem, quaſi lapidem Lydium exhibere, ad quem quilibet Chriſtianus exigatur. Baronii ῥῆσιν recitavimus: conſtat autem illum

hac notâ, de celebratione feſtorum anniverſariâ, cum aliis illum orthodoxos, & verè Chriſtianos, à Judæis, Paganis, & Schiſmaticis diſtinxiſſe; ut hodiè viri pii & moderati, à furioſorum reformationibus, & Catharorum puritaniſmis denotantur. Advocat huc illuſtre Juliani exemplum, nondum Apoſtatæ manifeſtarii, è Marcellini lib. 21. cujus verba ſunt iſta, præterita tamen à Baronio. *Utque omnes nullo impediente ad ſui favorem illiceret, adhærere cultui Chriſtiano fingebat, à quo jampridem occultè deſciverat, arcanorum participibus paucis, aruſpicinæ auguriiſque intentus, & cæteris quæ Deorum ſemper fecere cultores. Et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes menſe Januario Chriſtiani Epiphaniam dictitant, progreſſus in eorum Eccleſiam ſolennitèr Numine adorato, diſceſſit.* Miror virum doctiſſimum ſcripſiſſe, apud Eccleſiam primitivam hujus ſolennitatis nullum veſtigium inveniri. Erat hoc ante annos mille & ter centum, quod relatum à Marcellino: refertur autem ità, ut non tum primùm inſtitutum videatur in Eccleſia, ſed potiùs ut de vetuſta conſuetudine. Certè Juliani ætas non pertingit ad tempora Apoſtolica, forteſſis autem primitivæ Eccleſiæ tempora complectetur. Locutus eſt igitur Cardinalis, non, quod cavillantur, *ſecundum uſum modernum*, ſed uſum, diſciplinam, fidem primitivæ & vetuſtiſsimæ Eccleſiæ. Conſtat ante annos mille & ter centum Eccleſiam Feſtum Epiphaniam menſe Januario celebrâſſe, quodcunque tandem illud Feſtum fuit: nec niſi Patrum noſtrorum memoriâ Feſtorum celebrationem in Eccleſia de ſuperſtitione, impietate, Paganiſmo, à Genevenſium cenſoribus notatam, & Angliæ perturbatoribus Puritanis.

128 *De Epiphania variant ſententiæ.*

Dixi autem quodcunque tandem illud Feſtum fuit, quia verſatur in quæſtione, utrum Epiphania nomen adhibeatur propter ſtellam Magis apparentem, an propter manifeſtationem Domini Jeſu Chriſti incarnati, nativitas dicatur, & intelligatur Epiphania. Bulengerus more ſuo ludit operam egregiè. Theophaniam, inquiens Gregorius Nazianzenus appellat diem natalis Domini. Quod nemini negatum, ut probet magno conatu, magnas nugas agit, & ſcrinia compilat, inſignis ubique plagiarius, Caſauboniana. Theophania & Epiphania, nec

nec re fortaſſis ſubjectâ; nec quoad nominis originem certè, idem ſonant. Theophania dicuntur, quod ἐφάνη θεὸς. ſed Ἐπιφάνια, Deum non includunt, meram deſignant apparentiam: utcunque Ἐπιφάνια, & Ἐπιφαίνεσθαι in frequentiori Eccleſiæ uſu, ad res divinas referuntur, ubi tamen Res Divinæ non ſunt Deus. Duo erunt hic igitur diſquirenda. Primum, an vox illa Epiphania, quatenùs diem in Eccleſia feſtum jam olim denotabat, ad natalem Chriſti relata reperiatur. Tum, ſi detur illud, in ſecundis, utrùm priùs in Eccleſia natalem Chriſti, an ſtellæ Ἐπιφανον, & Magorum adventum denotabat. Hic tuis jam Diatribis opus Bulengere; hic tuâ ſe jactare poterat πολυπραγμοσύνη. Certè Caſauboni ſententia perſpicuè patet. Epiphania priùs natalis Chriſti, tùm adventus Magorum dicebatur. Hanc ſuam ſententiam duplicitèr confirmat; à nominis notatione primùm, tum ab uſu & authoritate: & pronunciat erraſſe in eo Baronium, qui putavit Epiphaniam fuiſſe primitus inſtitutam ad memoriam recolendam adventus Magorum cum potiùs in Eccleſia primitiva natalem Domini deſignaret.

Ἐπιφανείαν, ait, Græci Scriptores appellant Numinis ap- 129
paritionem quocunque tandem modò repreſentetur. Ἐπιφανίαν autem appellationem è ritibus Paganorum, ut alia multa, pio vetuſtiorum propoſito, fuerat tranſlata in Eccleſiam. Et certè verum eſt, voces quaſdam ſolennes, & inſtituta quædam Paganorum, ad ſacra tranſlata Chriſtianorum, ſed non eodem fine, modo, menſurâ, ratione. Ἐπιφανείαν authores Græci, de Numinis apparitione uſurpabant. Certè & ante Homerum antiquiſſimum è doctis, vetuſtiſſimi Spiritus Sancti amanuenſes, apparitionum Dei plurimarum meminerunt: in quarum tamen commemoratione, ſemel tantùm, quòd obſervaverim, vocem Ἐπιφάνεια adhibuerunt ſeptuaginta Seniores, Deut. 33. 2. Κύριος ὁ Σινὰ ἦλθε καὶ ἐπεφάνη ἐκ Σηὶρ ἡμῖν, ſemper autem, & ubique aliàs ὀφθῆναι vocem uſurpant. Cùm autem Dei apparitiones illæ, nihil aliud eſſent, quam ut daret ille certum aliquod expreſsius argumentum præſentiæ ſuæ, quod verè obſervatur in exercitationibus, non debuit (opinor) vir doctiſſimus, veterem interpretem ſugillare, quaſi valdè inconcinnum tranſtuliſſet,

tranſtuliſſet, *ſuæ oſtentionis evidentiam facere*: quod dixit ſcriptor Maccabaicus. 2.3.24. Επιφανείαν μεγάλλω ἐπιδεῖξαι: præcipuè cum Επιφανείᾳ illi, apud Græcos authores claſſicos eſſent per figuras & formas corporales, in quibus Dii, φανερῶς, quod citatur è Diodoro, τὴν ἰδίαν Επιφανείαν faciebant.

130 Secundò, Pagani, qui realem & corporalem apparitionem admittebant, adeoque oſtentionem, tamen vocis illius vim & energiam, non in tantas anguſtias compingebant, quin & ad alias extenderent illam rationes, per quas κοινωνία, quæ eſt præſentia, impertiebatur. Nam & ἐπιδημία & συγκατάβασις, & οἰκονομία Θεοῦ, erant Dei ἐπιφανείαι: & ideò cum tam laxa ſit & lata illa vox, non magis poteſt ab uſu vocis decidi & concludi, natalem Chriſti diem, ab initio ſic dictam, quàm diem aliam quamlibet, in qua per quaſcunque alias evidentias Divina præſentia, & numinis auxilium, aut κοινωνία oſtendebantur.

131 Atque ita, cùm exactè, tùm etiam verè ſcriptum eſt, ab Euſebio in principio hiſtoriæ, Se ἀπὸ οἰκείας Επιφανείας Servatoris, hiſtoriam illam ſuam derivare; eò quòd eſſent aliæ Επιφανείαι, apparitiones vel oſtentiones, ab illa Dei in carne manifeſtati. Erat Chriſti natalis, Θεοῦ Επιφανεία, erat etiam Θεοῦ παρουσία; nemo tamen unquam hunc ſolennem diem παρουσίαν appellavit, ſed rem per illum diem procuratam & repræſentatam, quod ſomniat in Diatriba Bulengerus. Nec unquam quis Epiphania, ad Natalem aſtrinxit: imò, vel duo, vel nemo illam appellationem natali accommodavit. Euſebius non uſurpat Επιφανείαν ἀπολύτως, ſed per οἰκείαν illam χαρακτηρίζει & diſtinguit; & prorsùs nego, quod tamen ab illo ponitur confidenter, eruditiſſimo viro negativum illud ejus apothegma. In vetere Eccleſia Græca ſolennitatem illius diei, τὰ Επιφάνια eſſe dictam, non quo Magi advenerant, ſed quo Filius Dei, aſſumpta humanâ carne, mortalibus ſe conſpiciendum præbuit. Non enim ſequitur, erant Επιφάνια, Natalitia: ergò tantùm Natalitia: ergò priùs Natalitia: hæc ſunt ἀσυζυγία & paralogiſmi, illius authoris indigni eruditione.

132 Ambroſius ſermone 21. ubi ex Inſtituto declarat, quâ in re potiſſimùm Chriſti Divina virtus, per Humanam

nam præſentiam ſe repræſentaverat, iſta habet. *In Epiphaniæ die hactenus à Domino, memorabilia facta eſſe commemorant: ut rogatus ad nuptias, aquæ ſubſtantiam, in vini ſpeciem commutarit, ac liquorem fontium in meliorem uſum ſuâ benedictione tranſtulerit; quo mirabili ſigno Divinitatis ſuæ, primam ille virtutem declaraverit.* Nonnullos verò, in eo die, à Johanne illum baptizatum in Jordane, teſtari; ejuſque baptiſmi memoriam, hac Epiphaniæ celebritate, conſignatam. Nuſquam hic mentio Nativitatis, quam inter cæteras Diei ſolennitates, ubique commemoraſſet Ambroſius, ſi in vetuſta Eccleſia de illa extitiſſet memoratio. Auguſtinus hæc commemorat, Orat. 1. de Epiph. & diſtinguit illam diem à Natalitiis, *Proximè*, inquiens, *fratres chariſſimi, Redemptionis noſtræ celebravimus Sacramentum, quo Deus hominem cum infirmitatibus induit. Hodie verò illud colimus, quo ſe in homines Deus virtutibus declaravit; pro eo quod, in hâc die, ſive quod in cœlo ſtella ortus ſui nuncium præbuit: ſive quod in Cana Galileæ in convivio nuptiali aquam convertit in vinum: ſive quod in Jordanis undis aquas ad reparationem humani generis ſub Baptiſmo conſecravit.* Addit autem adhuc ulterius, & aliud myſterium & memoriale, *ſivè quod, de quinque panibus, quinque millia hominum ſatiavit. In quolibet horum ſalutis noſtræ myſteria continentur & gaudia.* Paulinus poſt natalem immediate locat Epiphania. Nominis rationem triplicem aſſignat: nullam propter nativitatem eo die celebratam: imò diſtinguit a Nativitate, in Natali Fœlicis Nolani Nono, his carminibus de Nativitate.

Epiphania non natalia.

Ut veneranda dies cunctis, quâ Virgine natus
Pro cunctis, hominem ſumpſit Deus.

Et tum addit de noſtro Feſto hæc:

utque deinde
Qua puerum ſtellâ Duce, myſtica dona ferentes
Dupliciter videre Magi, ſeu quâ magis Illum
Jordanis trepidans lavit tingente Johanne
Sacrantem cunctas recreandis Gentibus undas.
Sivè dies eadem magis illo ſit ſacra ſigno,
Quo primum Deus egit opus, cum flumine verſo,
Permutavit aquas prædulcis nectare vini.

Iſidorus quoque ab antiquioribus deſumptum prodi-

dit tribus de cauſis ſolennitatem iſtam Epiphaniorum nomen inveniſſe. *Sivè quia tunc in Baptiſmo ſuo populis oſtenſus fuerat Chriſtus: ſivè quod eo die ſyderis ortu Magis ſit proditus: ſivè quod primo ſigno per aquam vino facto, multis ſit manifeſtatus.* Nuſquam inter manifeſtationes mentio aliqua Nativitatis.

133 Et certè per illum diem manifeſtatio fuit admodum tenuis. Iis qui propè, ſed in Paſtorum paupertate. Iis qui longè, ſed in Magorum paucitate, licèt excellenti tamen dignitate: non eodem die, imò nec anno quo naſcebatur. Venit ad proprios, & proprii illum non agnoverunt. De nocte per tenebras naſcebatur, quia ad tenebras properabat; ſed per Magos, infantia mediatoris Dei (quemadmodum loquitur B. Leo) & hominum, univerſo jam mundo declarabatur, cum adhuc exiguo detineretur oppidulo. Erat igitur hæc revera apparitio, vel oſtentio, vel manifeſtatio. Atque ideò ſer. 2. in Epiphaniam, idem pater feſtivitatem declarationis Chriſti profitetur. *Verbum enim caro factum, ſic ſuſceptionis noſtræ temperavit exordia, ut natus Jeſus credentibus eſſet tunc manifeſtus.* Chryſoſtomus igitur præcisè narrat, & negat Epiphaniorum titulum & nomen Natalitiorum feſtivitati eſſe adoptandum: neque poſitum fuiſſe in more Eccleſiæ ut Epiphania illud feſtum diceretur. Τινὸς ἕνεκεν, ὐχ ἡ ἡμέρα, καθ' ἣν ἐτέχθη, ἀλλ' ἡ ἡμέρα καθ' ἣν ἐβαπτίσθη Ἐπιφανεία λέγεται; Αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ἡμέρα, καθ' ἣν ἐβαπτίζετο ὁ τὴν τῶν ὑδάτων ἡγιασε φύσιν. *Cur non dies in quo naſcebatur, ſed ille dies in quo baptizabatur Epiphania diditur? iſte enim dies ille eſt in quo baptizabatur, & naturam aquarum ſanctificavit.* Cui quæſtioni reſpondet, ὐχ ὅτε ἐτέχθη, τότε πᾶσιν ἐγένετο καταδηλος, ἀλλ' ὅτε ἐβαπτίζετο. Ideò erat, *quod nequaquam tum cum naſceretur, ſed cum baptizaretur manifeſtò apparebat omnibus.* Ad illum enim uſque diem quàm maximam hominum partem, quis erat, latebat; id quod pluribus docet Orat. in ſanctum Baptiſma, ὁ χρυσορρήμων. Ideò illo antiquior Nazianzenus cum Γενέθλια & Θεοφάνια, Natalem appellaſſet, Epiphaniæ nomen Baptiſmo adſcripſit. Ἐφάνη Θεὸς ἀνθρώποις ἀλλα γεννήσεως, inquit Gregorius, ideo Feſtum illud appellat Θεοφάνια. In illa voce Θεὸς ἐφάνη. Nuſquam autem in Ἐπιφάνια.

Conſpirat

Conſpirat ergò cum magiſtro ſuo Nazianzeno, Ambroſio, Paulino, Chryſoſtomo, Auguſtino, Hieronymus, qui libro primo commentariorum in Ezechielem ait, *ſignificat Baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto cœli: & Epiphaniorum dies huc uſque venerabilis eſt, quod huic tempori congruit, quando dictum eſt, Hîc eſt filius meus dilectus, in quo complacui.* Ita nuſquam natalitiis hic dies aſſignatur. Quod ipſum affirmat Hieronymus in illo loco. *Non ut quidam putant, natalis in carne, tum enim abſconditus eſt, & non apparuit.* Quid potuit apertiùs dici, vel afferri, ad conficiendas καινοτομίας Novatorum? 134

Quidam autem illi, quos deſignat obſcurè, non reſpiciunt, ad Gregorium Nazianzenum, quod perperam cenſuit vir doctiſſimus; cum nuſquam id poſuerit Nazianzenus de die: nam quod dixi, ἐφάνη ἀπὸ γεννήσεως, non eo facit: niſi velimus φανῆναι, de nullo prædicari, præterquam nativitate, Divino actu. Illi autem Quidam, erant fortaſſis Ægyptii, de quibus Caſſianns Collat. lib. 10. cap. 11. Et Epiphanius, ipſe Cyprius Epiſcopatu, & Alexandrini Patriarchatus appendix. Non enim de Græcis Aſiaticis, & Syris Epiphanius capiendus, ut quidam volunt. Chryſoſtomus enim Presbyter Antiochenus, negat hoc præcisè, de Syris & Orientalibus. Epiphanii verba ſunt extremo libro 3. pag. 466. Επὶ δὲ τῶν ταῖς πεντήκοντα ἡμέραις τῆς πεντηκοστῆς, οὐκ ἔστιν ὅτε νηστεία, ὅτε τῇ ἡμέρᾳ τῆς Επιφανίων, ὅτε ἐφανήθη ὁ κύριος σαρκί, ἔξεστι νηστεῦσαι. *Per quinquaginta illos Pentecoſtes dies non jejunant. Neque in Epiphaniorum die jejunare licet, quando Dominus in carne naſcebatur.* Hæc Epiphanius non de Eccleſiis Orientalibus, ut comminiſcuntur, ſed de Eccleſia locutus Catholica. Nominarat enim paulò priùs αὐτῶν τῶν καθολικῶν Εκκλησιῶν. Diem verò natalem Epiphania appellat, non de more Catholicæ Eccleſiæ, ſed ſui Patriarchatus peculiari. 135

Certè duæ ſunt Domini Epiphaniæ, vatibus olim ſanctis prænunciatæ. Primam intellexit Beatus Paulus, *Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus.* Alteram idem deſignabat alibi, *Expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei.* Prioris, variæ ſunt partes, & quaſi gradus, incarnati, nati, circumciſi, adorati, baptizati, crucifixi, reſuſcitati: in omnibus enim iſtis atque etiam aliis 136

distinctis gradibus, actus erant singuli τῆς ἐπιφανείων. Nam utcunq; in natali suo die absconditus erat, & incognitus Dei Filius, in imagine parva magnus Deus, ignotus, ignoratus. Non minùs tamen erat absconditus, quoad promiscuam multitudinem, tùm cùm in Jordane baptizaretur: utrobique autem quibusdam selectis in id ipsum, & non aliis manifestatus. Visus est cùm nascheretur, & ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν: Visus à Judæis atque Gentibus; ab illis per pastores in nativitate, ab istis per Magos in adoratione. Tunc per Angelos de Cœlis magnificatus, qui tum primum in albis, Luce amicti conspiciebantur: quem amictum nunquam, nè ab orbe condito, induerant. Nec minùs tùm cognitus videtur, quam cùm in Jordane baptizaretur. Quotus enim quisque tùm astantium Jesum Christum agnovit Dei filium. Cœleste illud encomium & acroama, *Hîc est filius meus dilectus, in quo complacui*, Jesu tantùm & Johanni perceptum intelligebatur. Vidit Johannes cœlos apertos, & Spiritum Dei Sanctum in figura columbina descendentem, & in eo residentem: Judæi præsentes, Scribæ, Milites, Pharisæi, cæteri, nihil horum, vel auribus suis, vel oculis percipiebant.

137 Multò igitur magis ab hac notione, diceretur Epiphania, dies ille in quo quinque hominum millia, quinque panibus pavit; aut in quo aquam in vinum commutavit. Nam tum primum signis, atque miraculis ait Maximus Taurinensis, credentium cordibus Deus Christus illuxit, & in tenebrosas hominum conscientias fidei splendor advenit. Quod cùm ipsa scriptura conspirat, ubi ῥήτως dicitur. *Manifestavit* (hoc signo) *gloriam suam Jesus, & crediderunt in eum Discipuli ejus.* Dies autem resurrectionis, & ille alter, in cœli sacraria ascensionis, fortassis ante dies omnes alios, τῆς ἐπιφανείων titulo & appellatione debebant insigniri, in quibus potenter declarabatur Filius Dei.

138 Sed in illa nominis notatione, ad plura significata indifferenti, cur non licuerit Ecclesiæ, obnunciantibus Philologis & Grammaticis, pro jure communi populorum omnium ad hanc, illam, alteram, quamcunque occasionem vel intelligentiam nomen applicare? Et nimium pervicaces importunique censores sint illi oportet, qui

qui ſacram hanc Eccleſiæ authoritatem eunt minutum. Doceant autem nos Magiſtri novi, qui recentioris hoc feſtum inſtituti clamant, tempus illud, quo primum in Papiſmo ſcilicet inſtituta fuerit hæc ſolennitas, ut ſic qui deinceps Annales condunt in digerendis Eccleſiæ ritualibus, ordinem obſervent exactiorem; cum ne meminiſſe debuerit hujus Feſti, ut volunt, Cardinalis, ad hunc annum Jeſu Chriſti, in quo Magorum hiſtoria contingebat.

Poſtquam verò receſſerant Magi, *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Joſeph, dicens, Surge, accipe puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi uſque dum dicam tibi. Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum.* Contigit autem iſtud dubiò procul, ſequenti nocte, poſtquam receſſerant inde Magi. Neque enim protelandum erat tempus, aut moræ innectendæ, in tanta Herodis vigilantia. Fuga porrò iſthæc in Ægyptum, arduum illud iter, & longinquâ profectione conſummandum, omnino demonſtrat Herodem nequaquam morbo extinctum, ad Paſchalem ſolennitatem, quæ proximè ſequebatur nativitatem: ita enim contingeret, ut inter vivos deſierit Herodes eſſe, poſtquam limites Ægypti attigerant, ut vix ſalutatâ illâ regione, ſtatim eſſet regrediendum ipſis: Quæ ſunt à Divina ſapientia, providentia, & diſpenſatione aliena. Certiſſimum ergò eſſe debet, aliquot annos Herodem nativitati ſupervixiſſe. 139

Joſephus autem, ad modum hunc admonitus, ſurgens accepit puerum & matrem ejus de nocte, & ſeceſſit in Ægyptum. Non opinor ſtatim, aut eâdem nocte quâ admonebatur ſurrexit: eſt enim nimis coacta hæc Cajetani opinio, ſed proximè inſequenti potiùs, apparatis nimirum ad profectionem neceſſariis, & diſpoſitis rebus ſuis quas habebat Bethleemi. Certum eſt enim ſtatim abiiſſe in Ægyptum poſt abitum Magorum: Magos adorâſſe illum Bethleemi certum eſt. valeant ergò illa aliorum commenta, de profectione è Nazaretha: de Magis adventantibus & adorantibus, ante Purificationem peractam Jeroſolymis: de fuga arrepta ab Hieroſolymis, & ſiqua ſunt alia ejus furfuris. Quæri autem poteſt, 140

quid opus in Ægyptum secessionem ? an non Deus illos tutos præstare poterat in terra Canaan? poterat certè. Sed tùm quomodo adimpleri Scriptura potuit? *Hoc enim factum est, ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, Ex Ægypto vocavi Filium meum.*

141 Oraculum hoc quod insinuat Evangelista, extat Oseæ. 11.2. *Quia puer Israel, dilexi eum: & ex Ægypto vocavi filium meum.* Qui locus expressissimè apud Prophetam, de exitu ex Ægypto Israelis habetur, quem filium suum appellat Deus; ità enim Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel.* Spiritus tamen Sanctus, prophetiæ illius author, qui suum ipsius sensum optimè noverat, idem ipsum vaticinium, etiam χῦ σκόπου πρῶτον, & χῦ γράμμα, ad Filium Dei naturalem, cujus Israel erat typus, accommodavit. Scripturæ ὃ βάθος, & admirantur, & prædicant sancti Patres, & thesaurum esse statuunt copiosissimum: in qua sunt πρωτόλια, πρωπύλαια, & τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, quemadmodùm loquebatur Basilius. Divitias Spiritus, μικρόλογοι μικρώνιοι Novatores negant, & in angustias compingunt illius copias: indigam & tenuem in re tenui Scripturam fingunt, & ἐν πρὸς ἕν, non πρὸς πλείω; unius loci, unicum tantùm volunt esse sensum; illumq; ipsum, non quem perpetua Ecclesiæ traditio, sed quem ipsi de suo cerebro comminiscuntur. ὃ τὸ βάθημα ὃ νόμῳ ἔγνωσαν, ait Clemens Alexandrinus de Hæreticis, ἀλλ' ὃ ὑπέλαβον αὐτοὶ, τοῦτο ὃ βάλεσθαι τὸν νόμον ὠήθησαν. A quibus non longè recessit hîc Jansenius, qui testimonium hoc propheticum ab Evangelista usurpatum, scripsit per accommodationem tantùm adhiberi. Coactè, & in Spiritum Sanctum contumeliosè, qui secundùm literam ad Dominum illud applicat servatorem. Potiùs Israelis τῦ τυπικῦ ex Ægypto ἀνάβασις ductore Moyse, accommodanda fuerat ad descensum & regressum inde Jesu Christi, cum omnia illis contingerent in figura.

142 Secessit ergò fugâ in Ægyptum Christus infans, Herodis furores declinaturus; suo ipsius exemplo ab initio sanciens, quod deinceps præcepto confirmabat. *Quoties vos in unâ Civitate persecuti fuerint, fugite in aliam.* De hac dispensatione Divina, pulchrè Euseb. lib. 9. ἀποδ. cap. 4. *Si quis autem servatoris nostri secessionem in Ægyptum vituperet,*

vituperet, is intelligat illud totum ſecundum optimam rationem factitatum. Non enim par & conveniens erat, ut ſpontanea Herodis improbitas & malitia cohiberetur: neque congruum erat, ut infans adhuc ſervator miracula ederet, atque ante tempus divinam ſuam manifeſtaret virtutem: quod omninò illum oportuit feciſſe, ſi per mirabilem aliquam rationem, Herodem ſibi inſidias ſtruentem, puniviſſet, & illam cum parentibus in Ægyptum ſeceſſionem declinaſſet. Sed pertinebat ad divinam diſpenſationem ad convenientiora uſque tempora miraculorum rejicere patrationem. Is porrò, qui per totum ſuæ vitæ curſum manſuetus fuiſſe, & clemens perhibetur, & ad bene merendum faciendumque proclivis, adeò ut vindictam in nullum exercuerit inobedientem, nè tùm quidem cùm, ovis veluti, ad mactationem ducebatur, ſed ut agnus coram tondente obmuteſcebat: τὸν ἕκτον ἰῶ, eum, qui talis ſemper extitit, puerum adhuc, non locum dare malitiæ Herodianæ? Hæc & plura Euſebius, vaticinium illud Oſeæ declarans.

Spiritus Dei Sanctus, contentus nudâ narratione ſeceſsionem in Ægyptum commemoraſſe, viam deſcribere prætermiſit: de rebus in itinere occurrentibus nihil addit: ubi reſederint in Ægypto: quibus modis accepti fuerint, nihil planè dicit: cùm tamen Scriptores quidam Eccleſiaſtici, diffuſiùs hæc omnia, vel horum pleraque fuerint perſecuti. Quæ Domino noſtro Jeſu Chriſto Ægyptum adeunti contigerint, ex Sozomeno hæc ſcribente, deſcribimus, ait Cardinalis. *Memorant arborem eſſe, quæ Perſis appellatur Hermopoli, quod eſt oppidum Thebäidis, cujus fructus, folium, aut particula aliqua corticis, ægrotantibus applicata, morbos depulerit à compluribus. Nam traditum eſt, Joſeph, cùm propter Herodem aſſumptis ſecum Chriſto, & Mariâ ſanctâ Deiparâ fugeret, veniſſe Hermopolin; atque ſimul ac portæ appropinquavit, iſtam arborem, licet mole maximam, adventu Chriſti turbatam fuiſſe, atque ad ſolum uſque ſe inflexiſſe, & Chriſtum adoraſſe. Atque hæc quidem de hac arbore, ſicut à multis audivi, à me commemorata ſunt. Quæ quidem, ſi quid ego judico, vel ſignificabant Chriſtum Deum urbi illi adveniſſe præſentem: vel, quod non abhorret à veriſimilitudine, non modo arborem illam, quam incolæ propter magnitudinem* 143 *Sozom. li. 5. cap. 20.*

tudinem & pulchritudinem, lege Gentilitiâ venerabantur. Dæmone, qui ibi colebatur, ob Chriſtum talium rerum everſorem, qui in eo loco comparebat, perhorreſcente, ſuâ ſponte commotam eſſe: verum etiam omnes Ægyptiorum ſtatuas, adventante tum Chriſto, juxta prophetiam Eſaiæ concuſſas. Itaque Dæmone indè abacto, arbor, quo rei geſtæ teſtimonio eſſet, remanſit ibi, fideleſque morbis liberavit. Atque ut Ægyptii & Paleſtini iſtarum rerum, ſic alii ſinguli aliarum, quæ apud ipſos geſtæ ſunt, teſtes locupletes exiſtunt. Hæc Sozomenus: non autem aliquid ex eo Nicephorus, Lib. 1. cap. 31. vel alibi; quod miror tamen, ut notatum in margine ad Annales.

144 Locus autem ille Prophetæ Eſaiæ quem inſinuat Sozomenus, habetur cap. 19. *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulachra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.* Ubi Tertullianus, per Ægyptum, mundum totum intelligit. Sed Origines Homil. 3. in diverſos, ſecundum literam capit. *Quare in Ægyptum? propter multitudinem, quæ ibi eſt, Idolorum, abominationumque multarum. Fuge in Ægyptum, propterea ut deſtruantur manufacta eorum: ut confringantur & pereant Idola ipſorum: ut Dæmones turbentur: & regum fabricæ in Idolis deſtruantur: ut fiat in adventu Domini fugitivorum ſervorum atque malorum interitus. Fuge in Ægyptum, ut adimpleas quæ dicta ſunt, Ecce Dominus ſedet in nube puſilla, & veniet in Ægyptum, & commovebuntur omnia manufacta Ægypti. Ecce Dominus ſedet in nube puſilla, carnalem animam non habente, nec aliquam peccati gravidinem. Fuge in Ægyptum, ut fugiant ex Ægypto qui ibi ſunt Dæmones: ut appropinquent ibidem Angeli ſancti qui Deum conſequuntur, qui ſanctis jungantur: ut pro multitudine templorum atque abominationum multarum, multitudo exuberet Eccleſiarum: pro Idolorum turbis, turbæ abundent fidelium, atque colentium Dominum.* Hæc & alia fuſiùs Origines ibidem.

145 Poſt illum Euſebius in 9. Απολ. cap. 2. *Ecce Dominus ſedet ſuper nubem levem, & veniet in Ægyptum, &c. Cauſa porrò cur Dominus ità in Ægyptum venturus deſtinatur, fuiſſe mihi videtur iſta. Primi ſiquidem omnium hominum Ægyptii, errori, colendi multos Deos ac Dæmonas, initi-*

um

um dediſſe dicuntur, & reliquis univerſis mortalibus, ſuperſtitionis autores extitiſſe: quinetiam omnium aliorum hominum maximè Dæmoniacis operationibus & curioſitatibus ſtuduiſſe iidem prætereà, ab ipſa Scriptura Divina, hoſtes populi Dei fuiſſe perhibeatur; ab omni retro antiquitate. Sed & vetuſtus quidam eorum Rex, Dominum ſe minimè agniturum, ab ipſa Scriptura commemoratur. Ergò ſtupendum planè quoddam Divinæ virtutis miraculum exhibere volens Propheta, Domini adventum in Ægyptum prædicat, quandonon levem futuram Ægyptiorum mutationem prædicat dicens, & cognoſcent Ægyptii Dominum. Quin & ad Tertulliani intellectum accedit in ſequentibus Euſebius. *Et nihil quidem impedit, aliter quoque idem accipere oraculum, ut videlicet figuratè terrenum hunc mundum ſignificet: in quem verba ipſa Dominum ſuper nube levi venturum vaticinantur. Ubi verò manufacta Ægypti commovenda dicuntur, ipſa Gentium ſimulachra: atque Dæmonas eadem inhabitantes, ſicut olim Ægyptios, colendis Idolis aliquando addictiſſimos.* Sed potiùs in priore acceptione acquieſcit, quam tandem ſic concludit, πλὴν ἀλλὰ & σωματικῶς τῷ σωτῆρι ἡμῶν ὑποπορευέτω τῇ Αἰγυπτίων χώρᾳ, nempe, cùm conſurgens Joſeph juxta Divinam admonitionem, Mariam unà cum puerulo accepit, & pervenit in Egyptum, tùm per occultam ſuam virtutem atque poteſtatem, maleficas ibidem priùs habitantes poteſtates, non mediocriter commotas fuiſſe, par eſt credere.

Utramque expoſitionem complexus eſt Ambroſ. in Pſal. 118. Octon. v. *Illa autem columna* (nempe quæ Iſraelitarum exercitum præcedebat in Exod.) *nubis ſpecie præcedebat filios Iſrael, myſterio autem ſignificabat Dominum Jeſum, in nube venturum levi, ſicut dixit Eſaias, hoc eſt, in Virgine Mariâ, quæ nubes erat ſecundum hæreditatem Evæ, levis erat ſecundum virginitatis integritatem, &c. Venit in nube levi Chriſtus in Ægyptum, hoc eſt, venit in ſuſceptione corporis in hoc ſæculum. Quis juſtorum aut Regum,* (verba ſunt Athanaſii) *in Ægyptum deſcendit, & per ejus deſcenſum Idola in Ægypto corruerunt? Abraham deſcendit, nihilominùs tamen ubique viguit Idololatria: natus eſt in Ægypto Moyſes, æque illic hæſit religionis error. At Ægyptiorum ſuperſtitio, & Idolorum errores Chriſto deſcendente ceciderunt* 146

derunt, & evanuerunt. Nempe deinceps per prædicationem Evangelii evanuerunt: ad ingreſſum corruerunt. Omnia in omnibus nempè templis, ſicut olim ante arcam cecidit Dagon. Vel unum ſaltem in uno quoque Templo, velut priùs in occiſione primogenitorum in ſingulis ædibus ſinguli moriebantur, ſicut aliqui λειτολογοῦσι.

147 Addit deinceps Reverendiſſimus Baronius, non modò Ægyptum Domini præſentiâ illuſtratam, ſed & ipſam ſolitudinem per quam tranſierant in Ægyptum. Id quo modo factum fuerat exponit, *Quod illa ſolitudo, tot ſanctorum Monachorum* (ſecutis nimirum temporibus) *ſacra produxit examina, quemadmodum eo reſpiciens idem Propheta Eſaias prædicebat; exultabit ſolitudo inquiens, & florebit quaſi Lilium: germinans germinabit.* Hoc effatum non effugit cenſuram Caſaubonianam: & fortaſſis optandum fuerat obſervaſſet Cardinalis, ſapientis illius apopthegma, μηδὲν ἄγαν. Non contentus dixiſſe Ægyptum miraculis nobilitatam, Jeſu Chriſto illam ingrediente: & vaticinium Eſaiæ, 19. de dejectis Idolorum ſtatuis & imaginibus, interpretari adhuc ulteriùs provehebatur, & ipſas ingentes ſolitudines, ferarum domiciliis & cubilibus deſtinatas, illuſtratas vult & quaſi in aliam faciem converſas.

148 Sed hic imprimis quærendum eſt, quamnam ille ſolitudinem ſic illuſtratam velit. Non enim una eſt aut unica, per ſacrarum literarum corpus, ſolitudo. Imò ne quidem uniça iuter Judæam & Egyptum. Tradant ergò nobilitatum deſertum Annales; dum non explicant ſpeciatim, aut deſignant ſolitudinem, nihil certi nobis tradunt. Sed nec aliunde reciſcere illud poſſumus. at hoc certum eſt, exivit in deſertum ſeminator, ſeminavit ſemen Monachorum. Benè ergò habet, quod alicubi tandem terrarum inimicus non invenerit, ubi ſua ſuperſeminet Zizania: ſancti enim erant Monachi: omnes ſancti quia Monachi. Omnes qui per deſertum efloruëre, in terra priùs aridâ & ſiticulosâ. Fortè autem ſeminati ὑποκρύφως, ut ille Superſeminator ſeminatos planè ignoraret. Proculdubiò autem tempore non ſatis accommodo, cùm tam tardè ſemen illud pullulaverit. Nam per illud deſertum Monachorum ſegetes non

non niſi multis retrò annis, forſitan ſæculis, pullularant. Quis credat facilè tradentibus ſolitudinem adeò nobilitatam, efficaci illâ pertranſitione Servatoris, inultam tamen ac deſolatam tam diu jacuiſſe, cùm ad primum conſpectum ejus illa arbor Perſea ſe incurvaverit ad terram. Arbores nimirùm faciliùs incurvantur juxta portas urbium, quàm Monachi creſcunt per deſertum: quòd ſi benedictione illâ irrigabatur deſertum propter tranſitum illius, qui *eſt flumen exiens de Paradiſo Dei*; quidni, & quâcunque tandem iter faceret, ubicunq; ſubſiſtebat, pernoctabatur, hoſpitabat, præcipuè ab inchoato ipſius per Spiritus ſancti inunctionem miniſterio, Tabor, Carmelus, montana Judææ, mons Oliveti, domus Marthæ & Mariæ; Templum ipſum Hieroſolymitanum, Monachorum proventibus beabantur, & examina fundebant Aſcetarum.

Tranſivit ſolitudinem, in Ægyptum comeans Chriſtus: Hinc Eremopolitæ confluxerunt eò. At non omnes tranſivit ſolitudines: Cur, quia non tranſivit, eremus una, altera, plures, tam frequentes tamen Aſcetarum conventus habuere? illa autem per quam tranſivit, vel planè nullos, vel certè non tam frequentes. Baſilii αὐλαὶ καὶ δελικαί, & deliciæ, flumen Iris ubi decurrebat; & Pontica, quam commemorat ἐξαπὰ, præruptis montibus undiq; cincta; Hieronymi φρουρίεμ, deſertum Syriæ; Thebaidis Ægypti ſolitudo, & Sieni proxima vel Mareæ paludi, nunquam Chriſti tranſitu nobilitabantur; & tamen cùm plures, tùm etiam priores Monachos progenuere. 149

Libentèr Monachis refertas profiteor ſolitudines; Aſcetatum admiror, ſtupeo, & exoſculor ἀνδραγαθήματα, tamen nullam deſtinam illi profeſſioni apponam, quæ non tam ſufflaminando inſerviat monachatui, quam deſtruendo. Cedò enim Interpretem mihi, qui locum illum Prophetæ de μοναῖς Aſcetarum interpretetur: de Eccleſiâ è gentibus, cœtu illo collectitio univerſim, credo omnes interpretantur. Ante Chriſtum Dominum incarnatum mundo exhibitum, & per mundum prædicatione Evangelii gradientem, tanquam arida & ſolitudo fuit gentium univerſa multitudo; nullis à Deo gratiæ alicujus ſpecialioris ſcaturiginibus irrigata. At deſertum 150

illud deinceps amœniſſimus erat hortus: hortus conſeptus & concluſus, velut Dei quidam Paradiſus germinans germinavit, & exultavit, & fructus produxit longè ſuaviſsimos. Quicquid ornamentorum erat per Deum depoſitum apud Synagogam, illud omne transferebatur in Eccleſiam. Hanc eſſe mentem & ſententiam vaticinii illius, abſit ut ego putem doctiſsimum Analiſtam ignorâſſe. Ἐρράγη ὁ ἐρήμῳ ὕδωρ, καὶ φάραγξ ὁ τῇ διψώσῃ: Fontem aquæ ſalientis in æternam vitam, à Deo in ſolitudine fecit Chriſtus ſcaturire. Hoc exponens vaticinium doctiſsimus & antiquiſsimus Pater Juſtinus Martyr, cum Tryphone Judæo διαλογιζόμενος: *Unde cognoſcere poteritis*, ait, *quo modo à cognitione Dei vacuis, dico autem gentibus, qui & oculos habentes non viderunt, & cor obtinentes non ſapuerunt, ex materiâ fabrifacta ſimulachra adorantes, prænunciaverit, ea illas abnegaturas eſſe: Atque in hunc Chriſtum ſpes ſuas collocaturas. Gentium Eccleſia*, ait Cyrillus in Eſaiam, *quæ olim in illis erat; non habens è cœlo intelligibilem ſponſum, Chriſtum inquam; ſed inopiâ laborans bonorum omnium, & quaſi nutrix ſpinarum, ſiticuloſa, & aquis carens: Aſt ubi in eâ erat Chriſtus, ulteriùs ſterilis non erat, nec deſertum; imò fœcunda, & ſub ſponſo, & florida.*

151 Nec diſſentit Hieronymus, nihil ille de Monachis, Monachorum tamen ſummus admirator. Agnoſcunt ergò omnes ſolitudinem nobilitatam rore, & benedictione cœleſti; ſed ſolitudinem non τὴν σκόπον ταρσὸν, deſertam aliquam terram, horridam, incultam, imaginantur; ſed aliam, dictam nimirum per ſimilitudinem, cordium humanorum, minimè capacem, vel irrigatam divinâ gratiâ. Intelligunt ergò benedictionem, illam multitudinem miſerationum Dei; ſolem juſtitiæ, lumen gentium; ſtellam de Jacob, Iſraelis gloriam; Jeſum Chriſtum, à quo velut jugi ſpiritualium puteo, irrigata Eccleſia gentium fœcundatur. Errant qui referunt hoc vaticinium ad Judæam; multò magis qui ſugillant ſtudium illud vetuſtiorum, quo, quæ commodè poterant ad Meſsiam vaticinia referebant: quaſi finis Legis & Prophetarum Chriſtus non fuiſſet; quaſi non omnes Prophetæ teſtimonium illi perhibuiſſent: Et non

minùs

minùs arbitror erravit Cardinalis, qui per deſertum μονας, & ἀσκήτεια hinc conſtruxit, & benedictionem ſolitudinis in illis collocavit. Sed tandem de Ægypto in Judæam, à Chriſto ad Herodem revertamur.

Videns autem Herodes, quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè; & mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus, à bimatu & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat à Magis. Tunc adimpletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam Prophetam, dicentem; Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari quia non ſunt. Multa de tempore comminiſcuntur; ut Magorum adorationem præceſſiſſe doceant illam ἀναπλοῦ, & in Templo præſentationem. Volunt die xii. vel ſaltem xiii. adveniſſe Magos, & adorantes, ſtatim ἀναχωρῆσαι, receſſiſſe in patriam ſuam; nec, prout condixerant, Herodem Hieroſolymis inviſiſſe: Herodem illorum abitum non ſenſuiſſe ante completos quadraginta dies purificationis, cùm in Templo præſentaretur Dominus: Ibi illa accidiſſe, quæ narrantur de Hannâ & Simeone. Quorum dicta ubique & diſſeminata fama, torpentem Herodem, deſidem, ſecurum de Magis & nato Judæis Rege, demùm excitavit; adeò ut tum primùm quæſitum miſerit quid de Magis factum fuerat: quia videbat omnium animis, famâ Magorum, & teſtificatione Simeonis atq; Hannæ, excitatis & commotis, ſe non poſſe id quod animus irâ furens meditabatur, ſine periculoſo tumultu & ſeditione perficere; diſtulit in aliud commodius tempus. Interea verò quæ ad occaſionem & commoditatem perpetrandi ſceleris facere videbantur, ſtudioſè conquæſivit. 152

Hæc Chemnitius, qui & alia ſuggerit, cum hæc, ut opinor, ſatisfactura minimè putaret. Poteſt & hoc cogitari: Cùm Herodes audiviſſet puerum illum in Templo fuiſſe præſentatum, diligentèr inquiſivit ubi manſiſſet interim: ſed cum nuſquam in totâ Judæâ cõpareret, putavit ipſum metu forſan occultari. Iram itaq; tum conceptam aliquandiù diſſimulavit, ut hac occaſione parentes, nihil amplius timentes, puerum è latebris rursùs proferrent: ſed cùm poſt longam diſsimulationem puer ille in Judæâ nuſquam compareret; cum etiam fervor populi, illuſtri- 153

bus

bus de puero illo testificationibus excitatus, paulatim deferbuerat. Herodes altero anno, cùm existimaret commoditatem & occasionem, quam diu captarat adesse, facinus quod jamdudùm animo cogitarat instituit aggredi; quærere scilicet animam pueri Jesu. Sed quia nec ipse noverat, nec aliquis alius certò monstrare poterat, quisnam, aut ubi puer ille esset; nisi quod de domo & familiâ Davidis, in civitate Bethleem natum esse intellexerat, cruentum & immane hoc consilium excogitavit: Si in civitate Bethleem, & in omnibus finibus ejus, hoc est, in illis castellis, vicis, & civitatibus, quæ habitationi domus & familiæ Davidis designatæ erant, omnes parvulos trucidâret, non posse evadere puerum Jesum, quia simul interficeretur. Ne verò error aliquis in ætate admitteretur, subductâ supputatione juxta tempus apparitionis stellæ, quod ex Magis inquisierat, constituit, cujus ætatis puer ille tunc esse posset; & si forsan supputatio præcisè non responderet, sed vel deficeret vel abundaret; cautionis gratiâ aliquid adjecit, & supra & infra numerum supputationis.

154 Hactenùs Chemnitius, quem sequitur, quod summam rei attinet, etsi non in singulis, Cardinalis. Non sensit, ait ille, ante dictum tempus dierum quadraginta Herodes se illusum à Magis; siquidem cum illi magno silentio recessissent, spe suâ frustratos, atque delusos esse putavit, vitâsque in itinere Hierosolymam, ne populi totius derisioni paterent. Hæc ratus ille, quæ Magi dixerant de Christo nato humanum existimavit esse figmentum. Cùm primùm autem de eodem ex his quæ acciderant in Templo certior factus esset, tunc se à Magis, qui se redituros Hierosolymam ad ipsum spoponderant, delusum fuisse cognovit: magnoque furore percitus, quoslibet mox infantes qui Bethlehem essent, ac in finibus ejus, necandos esse mandavit: eos videlicet qui essent bimuli, ac inferioris ætatis, usque ad illud tempus quo stella Magis apparuerat, & de Christo nato fidem certam fecerat. Hæc illi utrinque commenti sunt, parum probabilia, imò ab omni ratione aliena, cùm politicâ & civili, tùm divinâ & Scripturarum, quemadmodum priùs ostensum est. In Magorum adventu consignando

ſignando rectiùs ergò Haimo in locum cenſuit; completo anno à nativitate Filii Dei, & quarto die ſequentis anni adveniente, fuit hæc interfectio peracta. Quod idem Anſelmus, Hugo, & Gloſſa arbitrantur ordinaria.

Magi autem cœlitùs admoniti non redierunt ad He- 155
rodem, ſed alio divertentes itinere, patriam ſuam repetierunt. Hîc etiam fabulas comminiſcuntur. Lyranus ſcribit, navem illos conſcendiſſe navigantem in Tharſis: atque ideò furore accenſum Herodem, naves omnes Tharſenſium incendiſſe: Huc referet illud è Pſal. 47. *In ſpiritu vehementi conteret naves Tharſis.* Sic & Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ: *Cùm Herodes iter faceret per Ciliciam, audiens naves Tharſenſium Magos traduxiſſe, in ſpiritu vehementi combuſsit naves Tharſis, ſecundùm quod David Propheta verat*, Pſal. 47. Quod ipſum ſequuntur alii, ut puta, Petrus de Natalibus, Ludolphus, & Antoninus. Anſelmus autem pauliſper variat: Herodem enim ſcribit, vulgatis iis quæ de Jeſu Meſſiâ Simeon & Anna edixerant in Templo: Magos domum redeuntes perſequutum eſſe uſque Tharſum Ciliciæ civitatem; cumque eos ibidem non reperiſſet, naves quibus vecti fuerant diſſipâſſe. Ita variè ludunt, ex ingenio, vel frivolis conjecturis in hâc Hiſtoriâ.

Illud Pſalmiſtæ effatum, Deum reſpicit, non Hero- 156
dem, vel mortalium aliquem: Ubi Tharſis mare ſignificat, de quâ voce Hieronymus in 2. Eſaiæ: *Hebræi putant linguâ ſuâ propriè mare Tharſis appellari, atque ita Jonas fugit in Tharſen, hoc eſt, ad mare deſcendit.* Sed nec quicquam poteſtatis habebat Herodes in Ciliciâ, vel in mari, ut Magos extra ſuos fines perſequeretur. Indignatus ergò de illorum abitu: ſpe ſuâ conceptâ dejectus, quòd per illorum indicium natum illum Regem adeptus, opprimeret in cunis. Id agit quod & Tyrannum truculentum, & regno rebusque ſuis metuentem, facere par erat: mittit milites, & occidit omnes infantes Bethlemi. Statim nimirum, & ſine morâ, poſtquam abitum Magorum reſciverat, qui & facilè & citò annunciari poterat, & in rem intento, & non longè diſſito, abiiſſe.

Non ergò laboraverim inquirendo cauſas, cur tam 157
diu diſtulerit Herodes cædem; mihi enim conſtat non diſtuliſſe.

diſtuliſſe. Quocirca nec ſubſcripſerim Auguſtino, cujus iſta ſunt, lib. 2. de conſenſu Evangeliſt. cap. 11. *Omitto dicere quot & quantis occupationibus regia cura diſtendi poterat, & per plurimos dies ab illa intentione vel averti omninò, vel impediri. Illud dico, poſteaquam Herodi Magi nihil renunciaverunt, cum credere potuiſſe illos fallaci ſtellæ viſione deceptos, poſteaquam non invenerunt, quem natum putaverant, erubuiſſe ad ſe redire; atque ita eum, timore depulſo, ab inquirendo & perſequendo puero quievisſe. Deindè, vulgatis rebus quæ in Templo factæ, dictæ fuerant, Herodes ſe à Magis ſenſit deluſum, & infantes occidit.*

158 Multò minùs tolaranda ſunt quæ Lyranus, Magiſter Hiſtoriæ, Carthuſianus, & alii comminiſcuntur, de profectione Herodis Romam inſtitutâ per illa tempora; unde factum, ut dilatum fuerit infanticidium uſque ad regreſſum ejus in Judæam. Iſtos opinor intelligebat Baronius, cùm Sect. 48. ità ſcriberet. *Hîc tantùm refellendum eſt illorum commentum, qui dixerunt idcircò, bimulos ab Herode fuiſſe juſſos occidi, quòd tùnc temporis ipſe Romam abierit, accuſatus à filiis, neque uſque ad biennium redierit in Palæſtinam. Hæc licèt conficta eſſe videantur, tamen eſſe falſa Joſephi teſtimonio convincuntur. Conſtat quippe ejuſdem authoritate, Antiq. 16. cap. 7. 8. 9. Herodem tempore regni ſui Romam bis conceſſiſſe: Primò quidem, non accuſatus à filiis, ſed potiùs ipſe accuſaturus filios, illuc ſe contulit; indéque in Palæſtinam eſt reverſus ante annum vigeſimum octavum regni ſui: quo anno, Olympiade centeſima nonageſima ſecunda, Cæſaream, in honorem Cæſaris, dedicavit. Quod certè tempus, neque ſecundùm annos regni Herodis, ab eodem Joſepho ſupputatos; neque ſecundum initam à nobis ſuperius rationem, ejuſdem regni temporî Natalis Domini aptari poteſt. Et multò minus poſterior ejuſdem Romam adventus, cujus idem Joſephus meminit, eodem libro, cap. 13. ut rectè intuenti veritas ſe ante oculos offert.*

159 Rem ipſam quod attinet, fabulam Baronius opinatur, quod affertur de abſentiâ Herodis poſt Magorum acceptum nuncium, & certè eſt fabula; ſed non minùs fabuloſum eſt quod idem contendit, bis omninò Herodem Romam profectum fuiſſe regni ſui tempore. Ter enim conſtat è Joſepho poſt acceptum, Romanorum beneficio,

cio regnum, illum Romam navigâſſe. Primùm, cùm filios ſuos Romæ educatos inviſeret; cujus meminit Joſephus pag. 487. Secundò, quandò Antigonum & Ariſtobulum accuſaturus, Romam profectus eſt, & coram Cæſare gravitèr accuſabat, pag. 493. Tertiam memorat idem ſcriptor, pag. 506. & 697. Non ergò Romam profectus eſt tunc temporis Herodes. An verò Cæſarem certiorem fecerat rumoris illius inter Judæos per Magos diſſeminati, de nato Judæis Rege, haùd liquet: Non eſt omninò improbabile; at illud planè abſurdum, quod quidam ſtatuunt, auſum illum apud Auguſtum petere, ut licentiam pueros occidendi concederet. Certè nunquam concederet clementiſſimus Imperator; non hoc contenderet ab illo Herodes, qui tot in Judæâ cædes perpetravit: Sed nec opus fuerat ut contenderet, cùm, unà cum regno, vitæ ſimul ac necis in ſubditos acciperet poteſtatem.

Miſit ergò, non conſulto Auguſto, milites, ejuſmodi 160
miniſteriis aptos, quia aſſuetos, & interfecit omnes infantes à bimatu, & infra, in totâ regione Bethleemiticâ; etiam trium, duorum menſium, hebdomadarum, dierum. Nam & cautelæ prudentis viri, & diſpoſitioni immaniſſimi Tyranni id congruebat, potiùs quàm quod alii volunt, illos tantùm interfectos qui jam bimatum attingebant. Sed & magis ad Hieremiæ vaticinium accómoda fuerit hæc, quàm illa altera opinio: de quo tamen vaticinio varia Interpretes attulerunt, quæ poſſunt apud illos obſervari. Poſtremò, volunt aliqui in unum locum deportatos infantes, quemadmodum memorat Salianus; atque ita demùm ſimul per milites contrucidatos. Quod mihi videtur veroſimile, neque enim communi Patrum expoſitioni, aut textui adverſatur Evangelico: frigidum eſt enim quod affert Salianus in contrarium, miſſos fuiſſe milites ad occidendos, non colligendos infantes; res enim peracta, non opinor, excludit modum peragendi. Et multò magis congruit peragendæ rei modo, ut collectos trucidarent, quàm per ſingulas domos diſcurrendo. Ita enim matrum diligentiam ſedulitatemq; in occultandis ſuis liberis eluderent, quam effugere non poterant ſi ſingulatim interfeciſſent.

Neque enim intelligebant rationem facti, vel consilii Regis in colligendis infantibus, atque ideò libentèr omnes offerebant, putantes id agi ut ratio ætatum iniretur.

161 Horrendi istius infanticidii rumor longè latéque diffusus propagabatur, adeò ut etiam Romam ad Augusti Imperatoris aures perveniret: Ita enim narrat Macrobius, Lib. Saturnal. 2. cap. 4. *Cùm audisset Augustus, inter pueros quos in Syriâ Herodes Rex Judæorum infra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, dicebat, Melius est Herodis porcum esse quàm filium.* Unde hanc narrationem habuerit Macrobius non constat, certum est aliundè habuisse quàm è Scripturâ: Non tantùm quod à Religione Christianâ abhorrebat, sed quòd Augusti responsum commemoret de facto tam atroci: Proculdubiò Romanarum rerum aliquis Scriptor, qui multi Macrobio visi & lecti nobis perierunt, illius fecerat mentionē. Silentio rem pressit Josephus, quod miror; Nec tamen assentior doctissimo viro, qui Josephi silentium trahit in argumentum negativum, nullum talem filium Herodi fuisse; utcunque liberos & progeniem Herodis etiam particularius recensseret. Fieri potuit, ut inter illos innocentes aliquis Herodis filius, vel filiorum filius occubuerit. Quid enim impedit quò minùs Herodes, per totam vitam λαγνάτατ@, liberis daret operam, & re venereâ uteretur septuagenarius, cùm sciamus non modo Masinissam, sed & nostrâ ætate aliquos nonagenarios genuisse. Quid impedit quo minùs filiolus ille Bethleemi nutriendus elocaretur, & non Hierosolymis, vel in aulâ. Non erat multum solicitus Herodes de liberis suis conservandis, & illorum vitâ tuendâ, quoties aliquid de regno & successione interveniret. Certum & de fide, nemo dixerit tenendum; sed tamen de Historicâ fide certum, nihil video allatum per obtrectatores, quin habeatur. Atq; velut ejus generis, non aliter, retulit illud in Historiam Cardinalis.

162 Alterius generis illud est quod Sect. liii. refertur ab illustrissimo Analistâ, è Petro Alexandrino Episcopo & Martyre, qui in suis regulis Ecclesiasticis, quas recepit atq; probavit sexta Synodus, occasione hujus Infanticidii; Zachariam Sacerdotē Johannis Baptistæ patrem, ab Herode

rode narrat interemptum, quod Johannem quæſitum ad necem occultaſſet, nec voluit indicare. Petri locus habetur Can. 13. apud Balſamonem. *Cùm quibus, & alium priùs natum infantem cum interfecturus quæſiviſſet, & non inveniſſet, patrem ejus Zachariam interfecit inter Templum & Altare, cum effugiſſet filius unà cum matre Eliſabeth.* In quâ narratione approbandâ habet ſanè Baronius, quod fatetur ipſemet Exercitator, graves Authores, qui eidem Hiſtoriæ fidem adhibuerunt. Et tamen propter iſta aculeum ſtrinxiſſe dicitur in Baronium à Bulengero. Ineptè: niſi laudaſſe, quòd ſequatur graves Authores, ſit aculeatè pupugiſſe. Verùm animadvertendum eſt, graves illos Authores à ſententiâ Petri, non ſtare, de Zachariâ ideò occiſo per Herodem; ſed interempto per Judæos inter Templum & altare. Cauſam ex illis explicat Scholiaſtes meus Græcus nondum editus. Ζαχαείαν δὲ Ⓠ μὲν λέγουσιν ἕνα τῶν ιβ. προφητῶν: Ⓠ δὲ Ⓦ τὸν Ιωδαὲ καλούμενον Ⓦ: ἕτεροι Ⓦ τὸν Αζαείαν: Ⓠ πλείους δὲ, Ⓦ πατέρα τοῦ Βαπτιστοῦ. Γεγράφασι γάρ, ὅτι παρέλαβον ἐξ ἀγράφου παραδόσεως τῶν πατέρων, ὡς ἦν τόπος Ⓠ ἐν τῷ ναῷ ταῖς παρθένοις ἀποκεκλεισμένος Ⓠ: ἐν ᾧ ἁγιάζας ποτὲ τὴν θεοτόκον μητέρα μετὰ τόκον, οὐκ ἐξέβαλεν αὐτὴν Ⓠ, εἰπὼν ὅτι παρθένος Ⓠ ἐστί: διὸ καὶ ἐφονεύθη μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ ἔξω θυσιαστηρίου. *Zachariam porrò iſtum ſunt qui ſcribunt unum fuiſſe è duodecim Prophetis: alii, illum qui alio nomine Iodaas vocabatur, vel qui dictus fuit Azarias: plures, Baptiſtæ patrem extitiſſe arbitrantur. Scribunt enim ſe d non ſcriptâ Patrum traditione accepiſſe, fuiſſe quendam locum in Templo Hieroſolymitano virginibus aſſignatum; in quo ſtantem aliquandò Deiparam poſt partum, iſte non ſemovit, aſſeverans quod virgo foret, propter quam aſſertionem inter Templum & Altare interficiebatur.*

Inter illos plures Origenes eſt imprimis, cujus hæc 163
ſunt, Tract. 23. in Evangel. Mat. *Venit autem in generationem eorum qui implerant menſuram patrum ſuorum, & ſuperpoſuerunt Jeſu Chriſti Prophetas, & ſapientes, & Scribas, omnis ſanguis juſtus qui effunditur ſuper terram, à ſanguine Abel juſti, uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, cujus interfectionem imputat Scribis & Phariſæis, quaſi non eſſet interfectus à Patribus eorum, ſed ab illis ipſis: ſic enim ſcriptum eſt, Quem occidiſtis inter Templum &*

Altare. Non autem poſſunt qui exprobrantur à Chriſto dicere Zachariam filium Barachiæ unum fuiſſe è Prophetis duodecim, quorum ſcripta habemus in manibus: ſed Zachariam dicit patrem Johannis, de quo per Scripturas quidem Canonicas oſtendere non poſſumus, nec quod filius fuit Barachiæ, nec quod Scribæ & Phariſæi interfecerunt eum inter Templum & Altare: Sed venit ad nos quædam traditio talis, quaſi eſſet aliquis locus in Templo ubi virginibus quidem conſiſtere licet, & orare Deum, expertæ autem thorum virilem non permittebantur in eo conſiſtere. Maria autem, poſtquam genuiſſet Salvatorem, ingrediens orare, ſtetit in illo virginum loco: prohibentibus autem iis qui noverant eam jam filium genuiſſe; Zacharias ſtetit, atq; dixit eam prohibentibus, quod digna eſt virginum loco, cùm ſit etiamnum virgo. Ergò Zachariam, ut manifeſtiſſimè agentem contra legem, & in locc virginum mulierem ſtare permittentem, occiderunt inter Templum & Altare.

164 Hanc traditionem ſequuntur Baſilius, Homil. de humanâ Chriſti generat. Nyſſenus in natalem Chriſti: Cyrillus adverſus Anthropomorphitas: Theophylactus, & alii. Petri Alexandrini relationem pauci, aut omnino nulli, præter Fabulatores, Nicephorum & Cedrenum: forſitan etiam qui ſub titulo fertur Epiphanii, De vitis Prophetarum, huc alluſit; qui Zachariam occiſum ab Herode refert, licet cauſam non exprimat: ſed hæc ſunt ſomnia, ut appellat Hieronymus, *Apocryphorum.* Quale etiam & illud eſt quod refertur à Caſtrio è Græcorum Calendario, Infantes Bethleemiticos ab Herode interfectos, fuiſſe ad quatuordecim millia. Quod idem haberi ait in Miſſa Æthiopum: ſed χαιρέτω; τερετίσματα γδ. Ad magis ſeria accedamus: ſolennem iſtorum in Eccleſiâ ab antiquiſſimis temporibus memoriam, anniverſaria panegyri celebratam, cum inter martyras referrent.

165 *Propter hoc & pueros eripiebat, qui erant in Davidis domo, benè ſortiti illo tempore naſci, ut eos præmitteret in ſuum regnum: Ipſe Infans cum eſſet, infantes hominum martyres parans propter Chriſtum, qui in Bethlem Judæ natus eſt, in civitate David interfectos, ſecundum Scripturas.* Ita Iren. lib. 3. cap. 18. Et Cyprianus Epiſt. lvi. *Nonne qui juſti occi-*

occiduntur propter juſtitiam, mori nos quoque docuerunt? Chriſti nativitas à martyriis infantium ſtatim cœpit, ut ob nomen ejus à bimatu, & infrà, qui fuerant, necarentur. Ætas necdum habilis ad pugnam, idonea tamen extitit ad coronam, ut appareret innocentes eſſe qui propter Chriſtum necantur: Infantia innocens ob nomen ejus occiſa eſt. Et Tertullianus alicubi ſcripſit contra Valentinianos, *Infantes teſtimonium Chriſti ſuo ſanguine litaverunt.*

Et certè quidni infans, adhuc tener, qui neſciat mor- 166
tem, qui ſub cultro rideat, ut in Apologetico loquitur idem Tertullianus, martyrii titulo inſigniatur. Martyres enim cauſa non pœna facit. Pœnam ſubiere, nam fuderunt ſanguinem, mortem cruciati oppetierunt. Cauſam martyrii juſtam habuere, Domini Jeſu Chriſti confeſſionem: neque enim ore tantùm fit confeſsio, itaque nec unicum in Eccleſiâ martyrium. Sanctus enim Ignatius de Prophetis ait, qui Chriſtum incarnatum præceſſerunt, vixiſſe illos ſecundum Chriſtum, διὸ καὶ ἐδιώχθησαν, paſsi erant, ut Martyres, perſecutionem. Et Zeno Veronenſis, Serm. de Abrahamo, Iſaacum vocat Martyrem. Nec unicam ob cauſam in Eccleſiâ martyrium, licet omne martyrium ultimatè, ut loquuntur, ad Jeſu Chriſti nominis confeſsionem referatur.

Quod perſonas ergò attinet patientes, gradibus qui- 167
buſdam, & ipſos, & ipſorum ἀναφαλήματα diſtinxit vetuſtas. Memorant enim Patres πρωτομάρτυρα, qui titulus erat B. Stephano peculiaris, & inter mulieres B. Teclæ Memorant illi ἱερομάρτυρας, quo nomine deſignabant qui ſacris ordinibus initiati, uſque ad ſanguinem decertarant. Tertiò referunt μεγαλομάρτυρας, hoc eſt, dignitate aliquâ civili conſpicuos; Magiſtratum obeuntes, aut loco editos & genere nobiliori. Quartò commemorant καλλιμάρτυρας, mulieres, vel virgines coronatas. Et quintò, promiſcuâ de multitudine, quales Mamas, & ſimiles, ἁγιομάρτυρας indigitabant: quorum omnium Ducem & Imperatorem ſummum, Chriſtum Dominum μέγαν μάρτυρα nominabant: Ita enim narrat ſacra Scriptura, illum ſub Pontio Pilato obiiſſe martyrium.

Poſt perſonas, formam patiendi diſtinguebant; nam 168
erant quidam *Martyres re & voluntate*, qualis omnium Princeps

Princeps B. Stephanus. Erant alii *voluntate, non re*, talis Johannes commemoratur, qui quantum ad propoſitum ἐμαρτυρήσατο, cùm conjectus in dolium olei ferventis non conſumebatur; qui tamen, non minùs quàm ipſius frater Jacobus ab Agrippâ decollatus, dicitur Chriſti calicem ebibiſſe. Et tertiò, erant *Martyres re, non voluntate*, cujuſmodi erant iſti innocentes, qui ſuo ipſorum ſanguine baptizabantur. De quo genere baptiſmi Nazianzenus, Οἶδα δὲ καὶ πέμπτον βάπτισμα, τὸ διὰ μαρτυρίου καὶ αἵματος, ᾧ καὶ αὐτὸς Χριστὸς ἐβαπτίσθη, καὶ πολλοὶ γε τῶν ἄλλων, (nam tria genera poſuerat in præcedentibus) ἀιδεσιμώτερον, ὅσῳ λευπέροις ῥύπτεις ἢ μολυσμός): quo baptiſmo volunt latronem in Cruce baptizatum. Atque hanc diſtinctionem triplicis martyrii ſequebatur, opinor, Eccleſia vetus, cùm illos qui principes omninò erant hujus, illius, tertii ſimul commemorari in Eccleſiâ voluerunt, potiùs quàm quòd exactè definiebat Stephanum, Johannem, Innocentes, diebus Decembris 26. 27. 28. fuiſſe martyrii adoreïs lemniſcatos. Nec opus eſt ut ad nonnullorum χρησφύγετον accedamus, quos refert in 2ª. 2ª. qu. 124. B. Thomas, acceleratum fuiſſe in iis uſum rationis: moriendo enim, etſi non profitendo Chriſtum confitebantur.

169 Atque ita deducto in Ægyptum domino, & ſanguine infantum conſecrato Bethlem, finem imponimus ſecundo nativitatis Chriſti anno, uſque ad regreſſum & interitum Herodianum. Quod utrumque, quo, & quoto anno Jeſu Chriſti Servatoris, & ſub quibus Conſulibus contigerit, propter diſſentientes hac de quæſtione opiniones, paulo diſtinctiùs inquiremus. Hoc interim poſito, Chriſtum, qui ſub conſulatu Cæſaris Auguſti xiii. & M. Plantii Silani; anno Auguſtali xlii. Urbis conditæ 752. in exitu ipſius anni naſcebatur; Circumciſum fuiſſe primo ſequentis Januarii, ſub Conſulatu Coſſi Cornelii Lentuli, & L. Cornelii Piſonis, ineunte. Illum autem annum integrum cum Parentibus Bethleemi ſubſtitiſſe; atque ita ſequenti anno, hoc eſt, Auguſtali xliv. Urbis conditæ 754. ſub Conſulatu Caii Cæſaris, Auguſti Filii, cum L. Æmilio Paulo, ad diem vi. Januarii adoratum à Magis, & ſtatim in Ægyptum ſeceſſiſſe. Hæſiſ-

ſe

ſe autem in Ægypto totum illum annum, & ſequentem: atque inde rediiſſe in terram Canaan, ſub Conſulatu L. Ælii Lamiæ, & M. Servilii Gemini, hoc eſt, Auguſtali xlvi. & Urbis conditæ Dcclvi. cùm Herodes circa tempus Paſchale eodem anno priùs obierat, malâ morte defunctus, & deſcenderat ad Infernum. Sed multis priùs & magnis cruciatibus excarnificatus, multis etiam & memorandis domeſticis difficultatibus implicitus: quas non immeritò retulit Euſebius ad immanem illam in Infantes Bethleemiticos lanienam. Cujus de hoc hominum monſtro, & tyrannorum portento, τῶν πρόσω aliquantò longior, non eſt in rebus Eccleſiæ omittenda. Libro igitur Hiſtor. 1. cap. viii. Ità ille.

Simulatque verò Chriſtus, temporibus ſupra declaratis, convenienter Prophetarum prædictionibus, in Bethleem Judæ naſcebatur; Herodes, ob interrogationem Magorum ab Oriente profectorum, qui ſciſcitabantur ubinam naſcebatur Rex Judæorum, cujus ſe ſtellam conſpexiſſe dicebant apparentem, atque illam fuiſſe ipſis cauſam tanti ac tam longinqui itineris, quod eo animo, libentèr & ſedulo ſuſceperant, ut illum, velut Deum, veneratum adorarent: Herodes inquam vehementèr ob eam rem animo perturbatus, quippe quod ipſius regnum, quemadmodum ipſi videbatur, in diſcrimen adducebatur: quærebat ab iis qui in Judæorum gente Legis Doctores erant, ubi locorum Chriſtum ſuum in lucem edendum expectarent. Ubi vero Michææ prophetiam, quæ illum in Bethleem Judæ natum fore prædixerat, audivit: uno edicto, omnes pueros lactantes, non in urbe tantum Bethleem, ſed univerſis ejus finibus à bimatu & infra, ſecundum tempus, quod accuratè à Magis ſciſcitatus & edoctus fuerat, mactandos neci mandat. Omninò enim, & erat certè veroſimile, Jeſum ejuſdem cum coætaneis ſuis calamitatis, atque ſtragis participem fore arbitrabatur. Cæterùm puer, à parentibus, per Angeli viſionem quid eſſet eventurum, præſcientibus, in Ægyptum deportatus, inſidias illius prævertit. Quod ſanctum Evangelium perſpicuè docet. 169

Verùm deinceps, quæ merces crudele illud Herodis facinus contra Chriſtum, & pueros ejus æquales admiſ- 170

ſum,

ſum, ſubſecuta ſit: & quo pacto ſtatim poſt illud perpetratum, nullâ, vel minimâ morâ interjectâ, divina illum ultio, dumadhuc in vitâ manebat, exagitaverit; & quaſi proœmium eorum, quæ illi erant obventura poſt exceſſum ex hac vitâ, quoddam proluſerit; operæ pretium eſt intelligere. Quâ autem ratione proſperum ac florentem regni ſui ſtatum, quo ſe frui putabat, domeſticis calamitatibus, quæ aliæ ex aliis oriebantur, ipſe obſcuraverit, dum uxorem, liberos, alioſque generis propinquitate, & amicitiâ conjunctiſſimos, nefariâ cæde affecit, in præſentiâ commodè oratione explicare non poſſumus. Præſertim cum iſtarum rerum argumentum, omnem illam immanitatem longè ſuperet, quæ ſolet à Poetis Tragicis enarrari. Quod ſi quis id ſcire deſideret, legat ille Joſephi hiſtoriam, qui pleniſſimè deſcripſit illam. Hæc ille de cladibus & infortuniis Herodianis, ante ortum Servatoris intelligebat; & cædem dilectæ ſibi conjugis Mariamnes, per calumnias ſororis Salomes, & matris Cypri ſubverſæ; de nece liberorum Ariſtobuli & Alexandri, ex illâ ſuſceptorum. Quid autem iſta ad divinam ultionem illam, qua pœnas de Tyranno repoſcebat Deus, propter ſcelus admiſſum in Chriſti coætaneos, Bethleemiticos pueros? cùm illud præceſſerit homicidium: nec ſolet Deus quaſi per anticipationem punire. Certè τὸ ἐπ' illud ἀδίκ. Neq; hoc volebat Euſebius. Sed Latiniſsimus Interpres Chriſtophorſonus noſter, ut ſolet aliquoties, malè interpretatus eſt Euſebium. Illa enim, ἀδύν. ὅτι τὰ νῦν ἐγκαλέγειν, non illud ſonant, non poſſumus in præſentiâ commodè oratione explicare. Quaſi ſpectarent ad propoſitum, ſed propter ſummam crudelitatem, omnem exuperarent dicendi facultatem: Sed hoc volunt, nequaquam ad præſens propoſitum ſpectant; atque ideò remittuntur Lectores ad Joſephi Hiſtoriam. Quæ verò, ſcelus illud in Chriſtum & infantes admiſſum, ſequebantur, ad hunc modum deinceps perſequitur Euſebius.

171 *Cæterùm quo modo ſtatim poſt inſidias Servatori noſtro, & aliis infantibus factas, cœlitùs invecta plaga illum ad extremum uſque ſpiritum afflictarit, non erit alienum, vocibus Authoris ad verbum citatis, attentè narrantem audire. Ille igitur*

igitur in xvii. Antiquitatum libro, vitæ illius exitum, accuratè deſcribit, ad hunc modum. Herodem acerbiùs indies cruciabat morbus, dum Deus pro nefariis ſceleribus, quibus ſe contaminaverat, in hâc vitâ grave de illo ſupplicium ſumeret. Ardor erat aliquantò lentior ac remiſſior, qui non tantum ſervoris illos, apud eos exerebat, qui illum manibus exteriùs contrectabant, quantum cruciatus inteſtinis ipſius viſceribus inurebat. Inexplebili comedendi deſiderio tenebatur, quod nullo modo poterant exaturare. Putredine inteſtina corripiebantur, præcipuè autem colon inteſtinum cruciatus torquebant intolerabiles, quos humor purulentus & pellucidus circa pedes adaugebat. Simili quoque plagâ & πόαγρω, hoc eſt, abdomen divexabatur. Membri genitalis tabes vermium peſte ſcaturiebat, ſed & penis ſpiritu inflatus arrigebatur. Cui acceſſit ſpirandi difficultas, & propter ſpaſmos crebros ſingultus acerbi. Nervorum præterea contractio pervaſit omnia membra, quæ dolorem intolerabilem illi inurebat. Dicebatur ergò ab iis, qui tenebant artem divinandi, quique ſapientiâ & ſcientiâ rerum iſtiuſmodi interpretandarum pollebant, Deum has pœnas à Rege ob variam ſuam, ac multiplicem impietatem expetiviſſe. Atque hæc Joſephus libro ſuperiùs à me citato: perſequitur Euſebius hanc hiſtoriam.

In primo quoque hiſtoriarum, ſive de Judæorum expug- 172
natione, haud diverſam tradit de illo ſententiam. Sic enim ſcribit. Hinc corpus ejus univerſum morbo correptum, variis perturbationum ac moleſtiarum tormentis diſtrahebatur. Febris quædam tepidior, pruritus non ferendus, per totius cuticulæ extremitatem pererrans, laxioris inteſtini continua cruciamenta, inflatus pedum, tumor inſtar hydropis, & ardens ſuminis æſtus illum exagitabat; putrida genitalium ſanies vermium copiam generabat. Adde his crebritatem halitus, & ſpirandi difficultatem, nervorum contractiones per omnia membra pervadentes: ita ut Vates & Arioli iſtos morborum ſtimulos, quibus ſic perfodiebatur, pœnam pro multis ſuis maleficiis cœlitùs irrogatam dicerent. At ille, licèt cum ejuſmodi cruciatibus luctaretur, adhuc tamen vivendi deſiderio tenebatur. ſpem ſalutis recuperandæ animo capiebat; atque ideò de adhibendis remediis cogitabat. Trajecto igitur Jordane, balneis, quæ juxta Callirrhoen ſita ſunt, uti cepit.

Balnea autem illa, licet in Lacum Aſphaltiten dilabantur, ſunt tamen præ dulcedine ad bibendum valdè accommodata. Hic viſum eſt Medicis, ut oleo tepido totum corpus irrigatum refoveret. Quocirca cùm in ſolium oleo plenum mitteretur, oculi præ imbecilitate deficiebant, & ad modum hominis jam jam morituri, revolvi videbantur. Tandem miniſtrorum tumultu & exclamationibus excitatus, tametſi aliquantulum reſpiravit: de cætero tamen, in vitæ ſuæ ac ſalutis deſperationem venit. Ac propterea ſingulis militibus quinquaginta drachmas diſtribui, ducibus & Conſiliariis grandem pecuniæ ſummam diſpertiri mandavit.

173 *Hinc recedens, Hierichuntem delatus venit: ubi melancholiâ & furore incenſus, & tantùm non ipſi morti minitabundus, in cogitationem nefandi cujuſdam ſceleris perpetrandi venit. Nam è ſingulis vicis atque oppidis, viros quoſque inſigniores, & maximè illuſtres inter Judæos, ſimul convocatos & coactos, in locum quendam, qui Hippodromus dicebatur, concludi juſsit. Accerſitis autem ad ſe Salome ſorore ſua, & viro ipſius Alexâ, Novi, inquit, Judæos de meâ morte præ nimiâ quadam lætitiâ, triumphos & feſtos dies celebraturos. Verùm per alios ego perfacile poſſum efficere, modò vos juſſa mea exequi volüeritis, ut non ſolùm lachrymis & mœrore deflear, verum inſuper funus ſplendidum & inſigne conſequar. Illos itaque quos ego in cuſtodia concluſos teneo, ſimul ac animam efflavero, ſtatim & ſine mora, militibus undique circumcluſos, interficiendos curate: ut ſic cùm univerſa Judæa, tum ſingulæ etiam ædes, vel invitæ, meam mortem acerbè lugeant.* Quod immane facinus à perditiſſimo bipedum, etiam in extremis poſito, per ſcelus inauditum ita mandatum, illi, nequaquam dederunt executioni, ſed illæſos & intactos dimisêre.

174 Addit ſuperioribus Joſephus. Rurſus, cùm partìm inediâ, & tamen cibi capiendi avariſſimus, partìm difficillimâ tuſsi torqueretur, dolorum multitudine victus, mortis periodum antevertere, manus ſibi inferendo, ſtatuebat. Poſtulato igitur & accepto pomo (conſueverat enim id genus fructuum, extremo putamine amputato, libentèr comedere) poſcebat & cultellum. Tùm oculis in omnem partem circumactis, deſpiciebat ne quis ſibi

ſibi in eo facinore perpetrando eſſet impedimento, atq; dexteram, ſemet ipſum confecturus, levabat. Exiguo autem temporis momento interpoſito (nam in hoc flagitio impediebatur) cum ſummo dolore & cruciatu, vitam cum morte commutavit. Priùs tamen quàm expiraret, Antipatrum, filiorum natu maximum è Doride conjuge, patri moribus & nequitiâ quàm ſimillimum, de regno affectato, & conſpiratione in patrem convictum, capitali ſupplicio, die quinto priuſquam ipſe abiret ad populum ſuum, mandaverat afficiendum. Atque tali exitu, perditiſſimus mortalium Herodes deſcendit ad Infernum.

Exitum hunc infelicem & calamitoſum, ſed juſtiſſimum, viri, ſine omni controverſiâ, nequiſſimi, crudeliſſimi, profligatiſſimi, & planè portentoſiſſimi, rejecit in annum octavum nati Chriſti Servatoris, quo Romæ Conſulatum, è Calendis Januarii Lepidus & Aruntius inierant, per tres ferè menſes decurrente illorum Magiſtratu Cardinalis. Hic eſt Calculus Baronianus, novus planè, in Hiſtoriâ inauditus, omnimodò paradoxus & monſtroſus, ac, quod ponitur ab ipſo in confeſſo, contra ſententias omnium aliorum ſubintroductus; falſiſſimæ Ἀγχιστρόφου, de ſimili paradoxo initio regni Herodiani ab Auguſti victoriâ Actiacâ, deducto & derivato. Atq; iccircò, ne temerè hoc ab ipſo, καὶ ὡς ἔτυχεν, in Hiſtoriâ conſtitutum putemus ad annum Jeſu Chriſti octavum, ubi loco ſuo proprio diſputari debuerat, rejicimur ad illa, quæ, ſi ipſi credimus, diligentiâ planè exactiſſimâ inveſtigavit, cùm de tempore Chriſti incarnati diſputaret: hoc eſt, ad illa quæ diſputantur in apparatu. De quâ ipſius exactâ illâ, ſic ipſi viſum, diligentiâ, quod ad initium pertinet regni Herodiani, in præcedentibus dicebamus ad Apparatum: Et eam planè deprehendimus prodigioſam, atque ut illam olim Africam, multorum monſtrorum parentem. Cùm verò ad illum locum in Apparatu interitum iſtius profligatiſſimi Tyranni, in ſubductis calculis ad annum 756. rejecerimus, eò Lectorem remittere debemus, & non actum agere, præſertim cùm è memoriis Joſephi Illuſtriſſimus Baronius rem pleniùs perſequatur. 175

Coſs. *P. Vinutius Nepos.*
P. Alfinius Varus.

1 *Salome incluſos Judæos liberat.*

POſtquam ad hunc modum exceſſerat è vitâ, & ad Infernum deſcenderat ille omnium bipedum ſceleratiſsimus, Herodes, bellua profectò & non homo: Ad annum Chriſti incarnati, & in Ægypto tunc temporis exiſtentis quartum, vel quintum potiùs, hoc eſt, ſub Conſulatu Vinutii Nepotis, & Alfinii Vari, anno Auguſtali 45. Salome Soror Herodis, & Alexias ipſius Maritus, quibus in mandatis dederat ille, monſtrum & propudium hominis, ut ex omni Judæâ collectos primores, & Circo incluſos, per milites ſtatim ab illius exceſſu jugularent. Quo facto, haberent, ut rebatur, Judæi datam occaſionem lachrymas in ipſius funere veras effundendi, qui videbantur aliàs exultaturi: Incluſos, inquam, illi liberos, contra mandata Herodis, dimiſerunt ad ſuos; prætexentes ſcilicet, ita voluiſſe juſſiſſe, in extremis ſitum, pœnitentiâ ſcilicet inductum, Herodem. Quibus in hunc modum dimiſſis, non autem priùs, exceſſiſſe Herodem apud milites annunciatum eſt. Joſephus in fine Libri 1. ἀλω. rem ita narrat.

Mors militibus nota. *Priuſquam apud milites in caſtris exceſſus ipſius notificaretur, progreſſa cum marito ſuo Salome, captivos dimiſit, quos morte mulctandos Rex mandaverat. Dicebant enim illum, pœnitentia ductum, mandaſſe ut incolumes domum dimitterentur. Qui poſtquam abierant, exceſſiſſe Regem apud milites edicit, quos unà cum promiſcua multitudine in Amphitheatrum Jerechuntinum convocaverat.*

2 *Progreſſus hic ad conſeſſum Ptolomæus, qui regii ſigilli curam demandatam habebat, Regem laudibus & beneprecationibus proſecutus,* populum eò quoque hortabatur: & ſcriptam ad milites epiſtolam palam legit, quâ Succeſſorem multis quidem verbis ipſorum obſervationi commendabat. Poſt lectam hanc Epiſtolam, productum ſolvit & legit Teſtamentum, quo Philippus Trachonitidis, & vicinorum locorum (hoc eſt, Gaulonitem, & Balaneam, & Paniada intelligens) Tetrarcha deſignatur: Galilææ Antipas: Rex Archelaus deſignabatur.

Teſtamentum prolatum.

batur. Huic dedit in mandatis, ut annulum ſuum Cæſari delatum offerret, & regni quoque inventarium obſignatum: Cæſarem enim, tanquam ſupremum omnium Dominum, & Teſtamenti & Legatorum confirmatorem volebat eſſe: quæ prioribus codicillis teſtamentariis præſcribebantur. Addit in Antiquitatibus Joſephus, Lib. 17. cap. 11. Salome Sorori illum Jamniam, Azotum, & Phaſelida legaſſe, & argenti ſignati myriadas quinquaginta. Cæteris etiam domeſticis, & affinitate conjunctis, abundè providiſſe, cùm datâ pecuniarum ſummâ, tùm etiam reditibus aſſignatis. Cæſari, legati nomine contulit argenti ſignati mille myriadas, præter vaſa aurea & argentea, & veſtitus valdè pretioſos. Juliæ, Cæſaris uxori, & quibuſdam aliis, nimirum Romæ familiaribus, alias argenti 50. myriadas. His ita lectis & auditis, acclamationibus & votis in Archelaum conſentiebatur: & turmatim populus cum militibus illum aditum ſalutant, ſuam operam benevolam pollicentur; nec non eandem à Deo precibus expoſcunt.

His ad iſtum modum peractis & procuratis, de funere magnificè celebrando tractabatur. Curæ enim fuit Archelao πολυτελεστάτην γενέσθαι αὐτοῦ ἀκολουθίαν τε πατρὸς, καὶ πάντα τὰ νόμιμα τοῖς τεθνηκόσι, ἐκ τοῦ συμπεσόντος τῷ τοκεῖ. Efferebatur igitur lecto aureo decumbens, multis & variis magni pretii lapidibus & gemmis adornato: ſtragulæ purpureæ lectum ſternebant, ſuperimpoſitâ, cum diademate, coronâ aureâ: dextrâ manu ſceptrum geſtabat: lectum filii & affines circumſtabant: ſequebatur exercitus, in turmas per proprios titulos atque ordines diſpoſitus. Primi incedebant Satellites lancigeri, tum Thracica cohors, poſtea Germani atque Galli, tanquam ad prœlium diſpoſitis univerſis, ſub propriis ſuis ducibus & ductoribus. Sequebantur exercitum quinquaginta domeſtici, aromata portantes. Quo ordine & proceſſu deducto per octo ſtadia funere, ad Herodium, qui vocabatur, locum, ubi ſe tumulari teſtamento mandaverat, corpus telluri mandatum eſt, anima ad æternos cruciatus, prout meruerat, proculdubiò adjudicata. 3 *Funus Herodis.*

Funeream hanc pompam à Joſepho deſcriptam, arrodit, de more, Salianus, quaſi copioſiùs quàm verius deſcriptum. 4 *Saliani calumnia diſcuſſa.*

deſcriptum. Certè non tam copioſè pompam tam celebrem deſcripſit Joſephus: decem omninò lineis, neque pluribus totam explicuit, & quidem conjunctam cum veritate. Nihil enim deſcripſit vel nominavit Joſephus, quod à regiâ magnificentiâ abhorret. Quod ſi verum hoc eſſet, deſcriptum hoc funus ad imitationem Romanorum, nihil hoc detraxerit veritati Hiſtoriæ: cùm ſemipaganus Herodes fuerit, & mortuus non minùs quàm vivus, in illorum inſtituta, potiùs quàm Judaica, pronus. Sed friget calumnia Jeſuitæ. Neque enim aliquid ferè commune habebat ſepulchralis illa pompa, cum exequiis Romanorum, ſed potiùs accedebat ad antiquam Judæorum conſuetudinem, & illa in Jacobi Patriarchæ funere obſervata. Sed antiquum obtinet Salianus Joſephum arrodendo.

5 *Archelai initia.*

Condito cadavere, & peracto funere, per vii. continuos, juxta patrios mores (hoc eſt, Judæorum, non Romanorum) dies, patrem defunctum lugebat Archelaus; nec intereà Rempub. attrectabat. Quibus decurſis, ἐξιάσας τὰς ὁμίλυς, ἐκ κλαλύσας ὃ πένθος: luctum ſolvit, & populo funebre quoddam epulum apparatum exhibet. Templum aſcendit, populi lætis acclamationibus & *euphemiſmis* quaquaverſum ibat acceptus. Ubi Templum adiit, in præparatam ibidem ſcenam aſcendit, in throno conſedet aureo, & circumfuſam multitudinem læta omnia apprecantem, blandè alloquitur: nec non gratias iis agit, præcipuè quòd tam egregiam erga ipſum benevolentiam oſtenderent, minimè memores injuriarum quibus fuerant variis, & quidem maximis, à patre ſuo affecti; ſummâ ope ſe eniti velle, ut hoſce animos egregios nullatenus obliviſcatur: ſe quidem Regio titulo adhuc abſtinere, cum ſuo, parens ipſius teſtamento id Cæſaris voluntati permiſerit, nec niſi ab illo confirmatum, regnum vel debere, vel adire velle. Atque hanc ipſam ob cauſam, cum in circo Hierechuntino, milites diadema ipſius capiti imponere vellent, nullo pacto acquieſcere voluit, nec illum ſibi honorem exhiberi. Quæ ipſius politia, vel regni protelatio obſervanda eſt ideò, quòd ante Cæſaream accedentem voluntatem, regnare in Judæâ dici non voluit, nec potuit, nec debuit Archelaus;

chelaus: qui tamen regnare dicitur in Judæâ per Evangeliſtam, cum Chriſtus rediret ex Ægypto.

Interim dum regni titulum differt, & apud populum ſalutantem & acclamantem concionatur, multa & optima pollicitus, populus, de vulgi more & conſuetudine, Joſephus ait, ὁ δὲ ἐδέξατο τὰς εὐχὰς τῶν ἡμερῶν τὰς ἀφανείας, ἐμφανίζων τῶν παρόντων, ὅτι τοιᾶς δὲ ἀρχὰς. Quanto blandiore, & ad clementiam compoſitâ oratione magis Archelaus utebatur, tantò effuſiùs laudando progreſſi, ad donationum confirmationes eum vocant. Sed de ipſâ re inter ſe conſentire non poterant, quam imprimis exoptarent. Nonnulli enim annua ſibi tributa, & vectigalia volebant allevari: Alii poſtulabant, ut carceri ab Herode incluſi (qui & multi erant, & vincula perpeſſi diuturniora) libertate donarentur: Alii, impoſitiones ab eo impoſitas rebus venalibus, & acerbiùs exacta, remitti, aut tolli penitùs, deſiderabant. Nihil horum planè rejecit Archelaus, quippe populi ſtudia & concilianda ſibi, & conſervanda adhuc ab initio ſtatuebat: videbatur iccircò annuere, & in omnia conſentire. 6

Intereà tamen, quæ levitas ineſſe ſolet multitudini, eadem ipſâ die, nonnulli rerum novandarum avidi, cœtu & coitione factâ, Ducibus quibuſdam, qui proximè attingebant cognatione Matthiam & Judam; quos ob inauratam aquilam in Templi faſtigio locatam, & per eos dejectam, ſupplicio capitali affecerat Herodes, in unum coïere: & per tumultum & ſeditionem inductâ multitudine, Regem Archelaum adeunt, vehementiùs inſtant, ut Herodis, quem convitiis inceſſebant, familiares & Conſiliarios ad necem ſibi dedat: ut Pontificem ab eo conſtitutum, dignitate & loco moveat, & alium ſurroget, qui ſanctiùs multò & honeſtiùs illam obeat dignitatem. Indignantèr hæc ferebat Archelaus, non tamen palàm audebat contradicere; ſed annuere videbatur poſtulatis, & effecta velle dare, poſtquam Româ reverſus, quò quantociùs contendere habebat in animo, Cæſaream impetraſſet confirmationem. Miſit igitur, qui perſuaderet populo ut pauliſper quieſcerent, & poſtulatorum fidem à reverſo expectandam vellent. Exercitus ductores ſeditioſi non admiſere nuntium, nedum 7 *Turba concitata.*

mandata

mandata explicantem ferre volebant: ſed lapidibus impetitum, et poſt eum alios (nam plures ad eos legavit Archelaus) rejecerunt. Res ad bellum videbatur inclinare, auctâ, per *Paſchalem ſolennitatem* quæ tunc inſtabat, multitudine. Quocirca Tribunum, cum militum manu miſit, qui priuſquam in immenſum creſceret ſeditio, convenas dejiceret, & ſeditioſorum principes captos adduceret. Plebs eò furoris inceſſit, ut contra milites ad arma devenirent, multos occiderent, & Tribunum ipſum vulneribus mulctatum in fugam verterent. Quibus irritatus Archelaus, Equitum alas, & univerſum in eos immiſit exercitum, qui ad tria eorum millia occiderunt; cœteros extra urbem, deſertâ Paſchali ſolennitate, fugere in deſerta & montana compulerunt. Quos ſtatim Præcones miſsi ſequebantur, & ad reditum ac quietem invitabant. Ita domum ſinguli reverſi ſunt, nondum celebrato aut finito Paſchate. Atque hæc, ab ingreſſu primo, Archelaum exercuere.

8 *Romana Archelai profectio.*

Sedatis turbis, & disjectâ multitudine, profectionem Romanam continuò aggreditur, rebus ſuis atque regno fratri Philippo interea commendatis. Duxit autem ſecum matrem ſuam Malthacen Samaritanam, Nicolaum Damaſcenum, & Ptolemæum, intimos amicorum; atque unà magnam familiam. Adjunxit ſe eunti Salome, Herodis illa ſoror, unà cum ſuâ familiâ: multi etiam alii affinitate Regem attingentes; palam præ ſe ferentes, ut adjutores, & gratulatores in regno confirmando, & confirmato eſſent: revera autem, quod eventus docuit, ut omni molitione ipſi adverſarentur. Cæſaream ubi adiit Archelaus, obvium habuit Sabinum Procuratorem Cæſaris per provinciam Syriam, cui & Judæa ab initio attribuebatur. Is Hieroſolymam properabat, ut curam rerum Herodianarum ſuſciperet, & inſtituto ſingularum rationali, mandaret cuſtodiæ. Sed Varus, Syriæ præſes, qui in rem præſentem aderat, ut fortè fiebat, eum inhibuit, nec ulteriùs permiſit proficiſci. Accerſierat autem Varum Ptolemæus, ob id ipſum per Archelaum ſubmiſſus. Quocirca, in Vari gratiam, Sabinus neque arces per Judæam ſitas, in ſuam redegit poteſtatem, neque theſauros obſignavit, ſed in Archelai poteſtatem

te demiſit. At poſtquam navem conſcenderat Archelaus, & Varus reverſus eſſet Antiochiam, ſine dilatione Sabinus Hieroſolymas adit, & regiam in ſuam redigit poteſtatem. Accerſitis tum caſtellorum & arcium Præfectis, & qui rebus regni præerant procurandis, ad rationes reddendas ſibi expenſi & accepti compellere voluit, & arces quibuſcunque ipſi placuit tradere. Verum non ita vecordes erant Archelai Miniſtri; nihil illi concreditorum ſibi voluere dimittere: dictitantes, ſe illa Cæſaris nomine, ipſique Cæſari, cuſtodire. Atque hæc profecto jam Archelao geſta ſunt.

9 Eodem quoque tempore, non autem unà, vel eodem itinere fortaſſis, Archelai frater Antipas, prioribus tabulis Herodi ſucceſſor nominatus, Romam cum ſuis navigavit: Salomes imprimis voluntatem ſequutus & conſilium, quæ ab Archelao, ejuſque in regnum provectione, abhorrebat. Habuit & ille ſecum matrem ſuam. Ab ipſius partibus ſtabat & Ptolemæus, Nicolai Damaſceni frater, & Orator quidam Irenæus, cui imprimis fidebat. Poſtquam ille cum ſuo comitatu Romam venerat, omnes omninò Herodi affines ad ipſius partes tranſierunt, non tàm propter ipſius ſtudium & benevolentiam, quàm propter odium conceptum, & invidiam in Archelaum. Erat omnibus in votis libertate frui, à Regio imperio eximi, & Romanorum parere Magiſtratibus in provinciam miſſis. Hoc ſummoperè deſiderabant: quod ſi omninò Regibus parere neceſſe foret, multis nominibus Antipam Archelao præferebant, quem & Sabinus Procurator per literas accuſabat. Archelaus verò Cæſari literas exhibuit petitorias, cauſæ ſuæ æquitatem edocentes, paternum commemorat teſtamentum, ſupellectilis totius Inventarium, quod cum Ptolemæo, cui concredita illa fuerant inſtrumenta, quotidiè expectabat. Quibus literis acceptis ac lectis, Cæſar Concilium advocat, cui Princeps Caius, nepos ipſius, Agrippæ & Juliæ filius, interfuerat, ita aſſerit Joſephus utrobique: Cùm in Antiquitatibus, tùm in lib. de Bello; ſed errat: geſſit enim abſens ille Conſulatum. Ita Salianus, nec repugno. Conſidente verò Concilio, contra Archelaum accuſationem inſtituit vehementem, Salomes filius Antipater:

Salome & Antipas Archelao obſiſtunt Romæ.

tipater: reſpondet pro Archelao Nicolaus Damaſcenus. Qui cùm finem dicendi feciſſet, procidit ad Cæſaris pedes Archelaus; quem ille humaniſſimè erexit, & dignum quidem regno ſibi videri dixit, ſed tamen diſtulit Teſtamenti ratihabitionem. Dimiſſo autem Concilio, ἐσκοπεῖτο καθ' ἑαυτὸν, utrumne Archelao regnum confirmaret, an toti Herodis generi & proſapiæ commune eſſe juberet, cùm multorum manus & auxilium res viderentur poſtulare.

Finis negotio per Cæſarem impoſitus.

10 *Ridiculus Saliani error.*

Intereà Marthace, Archelai mater, morbo vitam finiit, ait Salianus. Ineptè. Nam mater illi erat Malthace: ſed per errorem Typographi, aut Librarii, μαρθάκη ſcribitur apud Joſephum; & hanc ſcripturam retinuit Salianus. Venerant etiam interea à Varo literæ, quæ Judæorum defectionem, vel ſeditionem potiùs, indicarent, quam ſuâ præſentiâ compeſcuerat Varus, ſumpto de præcipuis authoribus ſupplicio. Quo peracto, revertitur Antiochiam, unam præſidio Judeæ legionem relinquens. Illo autem profecto, Sabini avaritiam & crudelitatem non ferentes Judæi, rurſus ad arma convolant: & Procuratorem redactum in anguſtias, cogunt Varum denuò accerſere. Accurrit ille tandem, & motus componit, qui circa Pentecoſten contingebant. Itaque poſt finitum Paſcha abiit Archelaus: & ante Pentecoſten bis tumultuabantur Judæi. Quos motus ut ſedaret, Quintilius Varus cum duabus reliquis legionibus (nam tribus omnino Syria continebatur) & ſociorum auxiliis in Judæam properat, Sabini literis evocatus. Qui poſtquam advenit, circumferendo arma provinciam quietam reddidit. Sabinus, ſeditionum incentor, clam ſe ſubduxit fugâ, nec in conſpectum Vari venit. Hæc omnia per literas Varus Cæſari ſignificat, quas unà cum Philippo Archelai fratre miſerat; *propter duo*, ait Joſephus: *cùm ut fratrem conſilio & præſentiâ juvaret; tùm ut in diviſione rerum Herodianarum, ratio ipſius haberetur apud Cæſarem.* Eum enim Varus diligebat, & benè illi cupiebat, utpote ingenii quietioris.

Res Judaïcæ abſente Archelao.

11 Nondum redierat Româ Archelaus, quin ante reditum, novis quibuſdam difficultatibus irretitum, expedivit Nicolaus Damaſcenus. Miſerant enim Judæi, permittente

mittente Varo, Legatos Romam, numero quinquaginta, Herodem & Archelaum accuſaturos; tyrannidem eorum deprecaturos; & impetraturos, ſi fieri poſſet, ut non ſub Regibus deinceps, ſed ſub Præſidibus Syriæ Romanorum viverent. Quibus Romæ ſe conjunxerunt Judæorum *octo millia*, Romæ habitantium; quibus in æde Apollinis audientiam dedit Cæſar: & partibus auditis, nihil eo die ſtatuit. Sed paulò poſt, Archelaum non Regem totius ditionis Herodianæ, ſed Ethnarcham, hoc eſt, Judeæ & Samariæ Regem ſtatuit: Antipam Tetrarcham Galileæ: & Philippum Trachonitidis: Herodis teſtamentum confirmans.

12 *Archelai reditus.*

Hæc poſtquam acta fuiſſent Romæ, reverſus eſt proculdubiò in Judæam Archelaus, acceptâ à Cæſare ſtipulatione, futurum ut regno aliquandò donetur, ſi ſe dignum præſtiterit imperio. Atque hîc Joſephi diligentiam deſidero accuratiorem: nam de reditu in Judæam ne verbum addit, ſed nec de rebus ab ipſo geſtis per decennium: Et tamen tandem accuſatum, & mulctatum exilio ait, propter multa & enormia ab ipſo patrata ſcelera. Rediiſſe autem ſtatim poſt finita negotia, par eſt credere: id eſt, eodem anno, eâdem æſtate, quâ proficiſcebatur, ſcilicet, ante maria clauſa, & navigationem intercluſam. Brevitèr autem cap. 15. lib. 17. Antiquit. ejus exequitur politiam. *Collatâ in ſe Ethnarchiâ, Archelaus quàm primùm reverſus eſt in Judæam: Joazarum ſummovet Pontificatu, quaſi rebellibus fautor extitiſſet, & loco ejus ſubſtituit fratrem ipſius Eleazarum. Regias ædes elegantes Hierechunte extruit, & rivi decurſum, quo nova urbs irrigabatur, avertit dimidiâ parte, & in campum deducit, quem palmetis totum ſeverat, vicum de ſuo nomine Archelaida ædificat, & contra leges patrias Glaphyram in uxorem ſuperinducit, repudiatâ Maridine. Quæ cùm eſſet filia Archelai Regis Cappadocum, fratri ipſius Alexandro nupſerat, & ſuſceperat ex ea liberos. Sed nec diù cum Pontificatu Eleaſar fuit, ſucceſſorem accipiens, vivus adhuc, Jeſum Siæ filium.* Hæc poſtquam ſola de Archelao per compendium commemoraſſet, ſatis incuriosè & negligentèr tranſit ad deportationem, anno Ethnarchias decimo, ἀφ' ὧν ὠμότητα καὶ τυραννίδα. Illa enim quæ commemorat de Judâ, E-

Joſephus notatus.

zechiæ latronis filio; de Simone ſervo Herodis, de Atronge Paſtore obſcuriſſimo, & fratribus ipſius, vel omnia, vel pleraque, abſente Archelao, & Romæ adhuc agente gerebantur. Quæ Tacitus Hiſtor. 5. ita brevitèr perſtringit. *Poſt mortem Herodis, nihil expectato Cæſare, Simon quidam regium nomen invaſerat. Is, à Varo Quintilio obtinente Syriam, punitus; & gentem coercitam liberi Herodis tripartitò rexere.* Piè autem & prudentèr illuſtriſsimus Baronius ad annum Chriſti viii. notat. Hæc omnia cùm deſcribat Joſephus, admirari licet quot ludibria, quæ damna coactus ſit ſubire populus Judæorum, poſtquam verum legitimumque à Deo promiſſum ac datum Regem, Chriſtum ipſum recipere ac venerari contempſit. Quo ſemel ſpreto, & in fugam adacto, non unum tantùm Herodem, ſed complures compulſus eſt pati Tyrannos: nec fuit ipſi ampliùs à vexatione quies aliqua, donec à Romanis funditùs deletus eſt.

13 *Chriſti reditus ex Ægypto incertus.*

Romanum Martyrologium, Beda, Uſuardus, Ado, & communis exinde Eccleſiæ conſenſus, Chriſti reditum ex Ægypto in diem Januarii ſeptimum rejiciunt. Nihil eſt memoriæ proditum, quod ego quidem ſciam, hâc de re apud vetuſtiores, ſive Hiſtoricos ſive Patres. Probabile tamen eſt hanc receptam, & nobis vetuſtam Eccleſiæ conſuetudinem, de traditione vetuſtiore, aut ſcriptis etiam Patrum antiquioribus nunc deperditis, dimanâſſe. Utcunque ſit, ſine ſummâ temeritate & ἀλλαξονείᾳ, non poſſumus nec debemus ab illâ ſic receptâ ſententiâ recedere. Hæc igitur ſi inconcuſſa maneat, utì certè manere debet, ſtatuendum eſt Chriſtum non eodem anno quo Herodes exceſsit, & ſucceſsit defuncto patri Archelaus, in Judæam, vel terram Iſraelis rediiſſe. Nam poſt diem ſeptimum Januarii exceſsit Herodes, *paulò ante Paſchalem ſolennitatem*; hoc eſt, antevertit illud Feſtum Tyranni exitus, per quatuor aut tres ſaltem hebdomadas. Neque enim ſubitò funeris illa pompa, quam commemorat Joſephus, apparari poterat: Et poſt conditum funus, vii. totos dies, de more Judaico, lugebat Archelaus: & luctu finito ad populum prodit, illum blandè compellat, tumultuantem compeſcit, ſeditioſos profli-

gat,

gat, ante, vel in Paſchali ſolennitate, finito feſto, ſtatim iter arripuit Romanum, & ad Pentecoſten, cùm per Sabinum tumultus excitatos compeſceret Varus, Romæ erat. Non autem biennio, quod vult Torniellus, Romæ hæſit: ſed tranſactis negotiis, æſtate jam adultâ eâdem, redierat Ethnarca in Paleſtinam.

Statim autem ab exceſſu Herodis, veroſimile eſt Angelum admonuiſſe de nece illius Tyranni Joſephum, & de reditu dediſſe in mandatis. Quid enim erat cur differret Deus? nam ſomnia ſunt apud Torniellum mera de aliis Chriſti perſecutoribus, præter Herodem, expectandis ut morerentur; eò quòd in numero multitudinis dicatur, *Mortui ſunt enim qui quærebant animam pueri.* Non enim aliud hoc in loco vult beatus Evangeliſta, quàm quod Moyſi dicitur, Exod. 4. 19. Revertere in Ægyptum, mortui ſunt enim omnes qui quærebant animam tuam, hoc eſt, Infanticida Pharaoh Rex Ægypti. Herodem vult, & non alios, is enim quærebat animam pueri. Statim autem per Angelum innotuit, ne fama deferret priùs in Ægyptum, obiiſſe Herodem. Nec diſtuliſſe diutiùs reditum ſuum, credendum eſt, Joſephum, poſtquàm cœlitùs illud nuntium accepiſſet. Pervenire autem poterat in terram Iſraelis ante æſtatem illam tranſactam. Sed, quod dixi, propter receptam in Eccleſiâ opinionem, de vii. Januarii huic negotio deſtinato; ſequenti anno rediiſſe ſtatuerim ineunte, poſtquam Româ redierat Archelaus, & Ethnarca regnaret in Judæâ. Signanter enim ait Evangeliſta, in Judæâ, non indefinitè, regnaret; quoniam per Cæſaris arbitrium, & definitivam ſententiam, non illi paternum regnum, ſed regnum Judeæ erat attributum: Atque ita inſinuare videtur Evangeliſta, non niſi reverſo Archelao, rediiſſe Joſephum ex Ægypto in terram Iſraelis: eoque magis, quod illum regnare audierat: qui non niſi poſt Romanum reditum cum regno eſſe poterat. Atque ita manſiſſe in Ægypto Dominum Servatorem duos integros annos exiſtimaverim: ſcilicet, ab ineunte Conſulatu Caii Cæſaris & Æmylii Pauli, ad Conſulatum L. Ælii Laminæ & M. Serviliі Gemini, anno ferè poſt exceſſum Herodis, præcedente anno: cùm ipſe diviniſsimus Infans annum quartum

14

Evangel. explicatum contra Torniellum.

Reditus ex Ægypto terminus.

quartum compleviſſet, & quintum ingreſſus eſſet.

15 Annus Jeſu Chriſti reducis, & in Galilæâ Nazarethæ agentis, ſeptimus complebatur, & octavus inibatur, ſecundùm rationes Baronianas, ſub Conſulatu M. Æmilii Lepidi, & L. Aruntii Nepotis, hoc eſt, annus Auguſtalis 49. & ab Actiacâ victoriâ 37. agebatur, cùm Herodes in vivis eſſe deſierat: quod, per ſtupendum errorem, vir doctiſſimus arbitrabatur. Hinc ſequitur, atque ita ab illo ſtatuitur, Chriſtum non niſi ſequenti anno, ſub Conſulatu A. Licinii Nervæ Siliani, & Q. Cæcilii Metelli Silani ex Ægypto rediiſſe, anno ætatis ſuæ nono currente. Quam ipſius ſententiam intelligebat Torniellus ad annum mundi 4054. ſect 2. Eſt hæc Baronii ſententia cum prodigiosâ quadam ἀνισορπίᾳ conjuncta; omnia enim miſcet, permiſcet, falſiſsima proponit, quæ per illa tempora gerebantur.

Baronii error de reditu.

16 Non negaverim, & facilè labi poſſe in rebus antiquioribus, & facilè lapſus condonari: cum res Chronologica ſit tam intricata, tantis ignorantiæ tenebris circumfuſa, in tantâ paucitate veterum authorum, tam ſupina & damnanda negligentia eorum, qui cum ante librorum calamitatem viverent, & abundè Scriptorum copiam omnigenarum ad manus haberent, tam nihil omninò præſtiterunt ſuis commentationibus ad nos tranſmiſsis, ut vel per tranſennam veritatem illuceſcentem contemplemur. Quis non meritò indignetur & iraſcatur Clementi Alexandrino, Julio Africano, Euſebio, aliis, qui cum haberent, legerent, triverint Manethonis Ægyptiaca, Beroſi Chaldaica, Abydeni Aſſyriaca, Cteſiæ, Dinonis Perſica, multa alia multorum Authorum opera, unde explicari, illuſtrari, & aſſeri poterant, quæ de illarum gentium rebus geſtis in ſacrâ Scripturâ indicantur obſcurè, & nobis planè ſunt ἀνεξιχνίαστα, tam levitèr illud negotium & perfunctoriè, quaſi ſemiſomnes & ſecuri procurarunt, ut omninò non poſſint excuſari. Quod ſi præſentis noſtræ diſquiſitionis τὸ προκείμενον de Herode & Archelao, ὁμογενὲς hiſce eſſet, libentèr Baronii ἀβελτηρίας excuſatum iremus; eò quòd in tenebris niſi tentando progredi nulli liceat. Sed πάντα ἄλλα: in clariſsimâ luce mirificè ceſpitat.

Exceſ-

Exceſſum Herodis, truculentiſſimi tyranni, infeliciſſimum, & maximis ærumnis calamitoſiſſimum, rejecit in annum nati Servatoris viii. quo anno Romæ gerebant Conſulatum Lepidus & Aruntius, per tres ferè menſes decurrente illorum Conſulatu. Sententiam hanc Baronius in annalibus, novam & inauditam, quod non diſſitetur ipſe, contra omnes aliorum omnium opiniones ſubintroduxit. Et quoniam, inquit, alii, iidemque diverſi, in alia & diverſa tempora Herodis obitum referunt, ne nos temerè contra aliorum ſententias, Herodem hoc ipſo anno ab humanis deſiiſſe affirmare videamur, conſule quæ de annis ejus regni, exactiſſimâ diligentiâ, perveſtigata ſunt ſuperiùs. Certè prodigioſâ planè diligentiâ, & ſtupendâ curioſitate, in apparatu, de annis Herodianis, illorum initio, decurſu, atque exitu egit. Imprimis autem & præcipuè de Exordio, inde de Exceſſu, hæc paraleremata mirifica neceſſario progrediuntur. Illam ipſius Epochen luculentèr confecimus, hîc addemus de Exceſſu.

De tempore, quamdiu Chriſto edito in lucem ſupervixerit Herodes, in varias itum eſt opinionum diſcrepantias. Sunt qui Chriſto nato ſupervixiſſe volunt quadriennium, alii reducunt ad biennium, tertii ad trimeſtre ſpatium, quidam ad ſemeſtre; & quidem nonnulli, ex incogitantiâ, inviti & aliud agentes, ante Chriſtum in lucem editum, Herodem mortuum, & ſepultum in Inferno volunt. Diſertìm conſtat è Scripturâ, nec à Chriſtianis vocatur in dubium, vivo Herode, etiamſi fortè non valente, natum Bethleemi Servatorem, adoratum à Magis Herode vivo, deſcendiſſe in Ægyptum Herode vivo, occiſos innocentes Herode vivo. Sed ab iſto cùm receſſerimus delirio, Baronii ſententia de octennio ſuperſtite hoc tyranno, abſurditate omnes σαφηνίζει, quod doceo. 18

Imprimis innititur falſiſsimæ & abſurdiſsimæ illi ſententiæ, de duplici ingreſſu Herodis in regnũ Judæorum, quem in Appar. refutavimus. Certè ab exceſſu hoc Herodis, ſub Conſulatu Lepidi & Aruntii, ad annum urbis Dcclix. ad Antigoni competitoris crucifragium, Agrippâ & Caninio Gallo Conſulibus, anno urbis Dccxvii.

non

non sunt anni intercurrentes xxxiiii. quot regnasse vult Herodem Cardinalis, ab Antigoni cæde; sed saltem xlii. ad Consulatum verò Calvini & Pollionis, anni non xxxvii. quem statuit terminum sed xlvi. vel xlvii. quæ est ratio planè portentosa. Secundò, vult Baronius Christum editum in lucem sub Consulatu Lentuli & Messallini, falsò, sed ita tamen vult: hoc est, anno urbis Dccli. sed ab illo anno ad Consulatum Lepidi & Arruntii, quo excesserit Herodes, sunt revera viii. anni intercurrentes: sed tum non potuit fato fungi tyrannus ille juxta alteram Baronii calculationem: vult enim eum xv. annum egisse cum à patre Galileæ præficeretur. Quod si tueri velit, ultra Consulatum Lepidi & Arruntii vixit ad triennium, hoc est, Dcclxii. ad Consulatum Sabini & Camerini, qui clade in Germaniâ Varianâ insignis fuit. Postremò, hinc sequitur (nolo enim Paradoxa singula persequi) Archelaum, Herodis successorem, quem fuisse cum Judæorum imperio per ix. saltem annos fatetur Cardinalis, non ab Augusto relegatum, sed per Tiberium annos jam aliquot regnantem.

ANNUS

ANNUS CHRISTI XII. B. Lucæ Elogio Inſignis.

SUB Conſulatu P. Cornelii Dolabellæ, & C. Junii Silani, Dominus noſter Jeſus Chriſtus xii. ætatis, & οἰκονομίας ſuæ annum auſpicabatur: non tamen illum agebat ſub iiſdem Conſulibus, niſi tantum per viii dies: ſed ſub Conſulatu M. Æmylii Lepidi, & T. Statilii Tauri: hoc eſt, Urbis conditæ 764. & Auguſti 54. Qui quidem annus inſignis habetur Hiſtoriâ quadam rei memorabilis, per Chriſtum in pueritiâ geſtæ, quam ſoli debemus B. Lucæ Evangeliſtæ. Ab exodo enim vel receſſu ab Ægypto ad hunc uſque annum, nihil planè aliud Sacris literis traditum, ab aliquo Evangeliſtâ, reperitur, de Parentibus, vel divino illo Puero Jeſu. Lucas autem narrationem ſuam ſic inſtituit.

Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientiâ, & gratia Dei erat cum illo, nimirum in ætate illâ puerili. Quod ipſius ἀπόφθεγμα, illuſtri quodã exemplo adducto, confirmat, ad hunc modum. *Et ibant parentes ejus per omnes annos in Hieruſalem, in die ſolenni Paſchæ. Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam, ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatisque diebus cùm redirent, remanſit puer Jeſus in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus. Exiſtimantes autem illum eſſe in Comitatu, venerunt iter diei, ac requirebant eum inter cognatos & notos, & non invenientes, regreſſi ſunt in Hieruſalem requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum, invenerunt illum in Templo, ſedentem in medio Doctorum, audientem eos, & interrogantem eos: Stupebant autem omnes qui eum audi-* 2

ebant ſuper prudentiâ & reſponſis ejus: & videntes admirati ſunt. Et dixit mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego, dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus erat ad illos.

3 Sunt igitur in Hiſtoriâ Jeſu Chriſti incarnati tria velut interſtitia, poſt narratam in Ægyptum ſeceſſionem. Primum ſe extendit, ab egreſſu uſq; ad annum ætatis xii. Secundum, hinc pertingit, ad illum tantum annum; & illius quoque anni unicam narrationem. Tertium, à finito xii. anno pueritiæ, ad virilem ætatem triginta annorum, & initia inde auſpicata miniſterii. Primam iſtius diviſionis partem, poſtquam deduxerat illum Nazaretham Evangeliſta, illis quidem verbis terminavit, Ver. 40. *Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientiâ, & gratia Dei erat cum illo*: aut, ut græcè habetur, ὑπερικώτερον ἐπ' αὐτῷ: quaſi in eum, vel ſupra eum, de loco ſuperiori adveniſſet.

4 Duodecimi anni τὸ παραγμένα latiùs aliquantulum perſequitur: In utroque membro ſimul conjuncto, educationem, inſtitutionem, & puerilem ἀναστροφὴν, vel converſationem ſolent Interpretes obſervare. A quibus omnibus, miracula abfuiſſe colligunt per pueritiam edita: quicquid olim Hæretici, Impoſtores, vani, creduli, & εὑρήσεις confinxerunt. Nec in hac re diſſentiunt partium adverſarum ῥητέρατοι. Expreſſè quidem narratur Johannis 2. mutationem aquæ in vinum, fuiſſe omnium ipſius miraculorum primum & principium. Atque ideò rectè colligunt, nihil omnino extraordinarium, in puerili Jeſu Chriſti diſciplinâ, vitâ, victu, converſatione, accidiſſe: eò quòd penitùs hîc tacuerint Evangeliſtæ. Utcunque enim ſe curioſitati humanæ accommodare non ſoleat Deus, tamen gloriæ ſuæ deeſſe, & honori non ſolet; prælertim ſi res ita comparentur, ut & hominum inſerviant ſaluti procurandæ. Et quoties tacent Scripturæ de viis & inſtitutis extraordinariis, & ordinaria tamen commemorata reponunt; id eam ob cauſam ita faciunt, quòd finem & menſuram ordinariorum nequaquam excedebat in illâ ſuâ οἰκονομίᾳ Deus. Liquet ergò

Miraculum nullum pueritiæ.

Jeſu

Jeſu Domini puerilem & Nazaretanam educationem, fuiſſe conformem uſitatæ aliorũ, non autem novo modo, & extraordinariò inſtitutam. Appoſitè Chryſoſtomus in hanc rem, Hom. xvii. in 1. cap. Joh. *Ego opus habeo à Te baptizari, & Tu ad me venis? Eſt hoc quidem indicium, illi eum cognitiſsimum fuiſſe. Rectè tum: ſed non ita pridem, tamen primo notũ. Miranda enim illa, putà, quæ de Magis, & aliis quibuſdam narrantur, dum Infans eſſet, ante multos retrò annos acciderant, cùm & ipſemet Johannes etiam infans in cunis vagiret. Interea verò temporis, quod ſatis diuturnum intercedebat, omnibus omninò incognitus fuerat. Certè ſi innotuiſſet tum paſsim aliis, nunquam illud dictum adhibuiſſet, ut innoteſceret Iſrael, miſſus ego ſum ad baptizandum. Atque hinc liquere poteſt, & conſtare deinceps nobis debet, miracula illa & ſigna, quæ Chriſti puerilia, vel per luſum edita commemorantur, falſa omninò circumferri, & conficta ab iis qui illa ſubintroduxeruut.* Profectò ſi ab ineunte ætate, miraculis patrandis aſſueverat, neq; Johannes illum ignorâſſet, nec illo Doctore indigeret populus, ut manifeſtaretur. Qui & alibi verſatur in eâdem ſententiâ: nempe, ad 2. caput Johannis; quem cordati utrinque omnes, non inviti ſequuntur.

Τοῦτο γὰρ τεκμήριον, ὅτι σφόδρα αὐτὸν ἐῴδεισαν, λοιπόν. Ἀλλ' οὐκ ἐμπροσθεν, ἀλλὰ πολλῷ χρόνῳ. καὶ εἰκότως. Τὰ μὲν γὰρ θαύματα, ὁσάκις παιδὸς ὄντος ἐγίνετο, οἷον τὰ περὶ τὰς μάγους, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα τοιαῦτα, πρὸ πολλοῦ συμβέβηκε καὶ χρόνῳ, τῷ Ἰωάννῃ σφόδρα, καὶ αὐτῷ παιδὸς ὄντος. Ἐν δὲ τῷ μεταξὺ, πολλῶν γενομένων καὶ χρόνων, εἰκότως πᾶσιν ἄγνωστος λοιπόν. Ἐπεὶ, εἰ γνώριμος λοιπόν, οὐκ ἂν εἶπεν, ἵνα φανερωθῇ τῷ Ἰσραὴλ διὰ τοῦτο ἦλθον βαπτίζων. Ἐντεῦθεν ἡμῖν λοιπὸν δῆλον, ὅτι καὶ τὰ σημεῖα ἐκεῖνα, ἃ παιδικὰ εἶναί φασι καὶ ψευδῆ, καὶ πλάσματα τινὰ ἐπεισαγόντων ἐστίν.

Quocirca, ſine ullo ſtrepitu & tumultu de miraculis, ſecretò & accommodè ablactatus in Ægypto, ante reditum, in parentum ædibus educabatur; nullis Angelorum miniſteriis, aut ſedulitate, nullo officiorum genere. Quod mirum eſt audaculos non confinxiſſe, qui de ſancto ſanctorum B. Virginis θρηπτηρίῳ & τροφοσημείῳ, tam ridiculè, quàm falsò & impudenter, blaterant. Chemnitius, è Scripturis, aliquantò particulariùs educationem perſequitur puerilem. Lacte materno imprimis nutritum: quod facilè credimus, & libenter profitemur. Non tamen id probat διαῤῥαπτὼ locus Lucæ 11. 27. quem allegat: *Beatus venter qui Te portavit, & ubera quæ ſuxiſti.* 5

Loquitur enim ſecundùm communem phraſin, & opinionem, & de more mulierum. Hoc enim textu non obſtante, poterit quis contendere, ſed non tamen ſine temeritate, Chriſtum lacte nequaquam alitum, ſed fortiori quodam cibo. *Cum parvulis lac congruat*, 1 Cor. 3. 2. *Solidus autem cibus*, Heb. 5. 12. *robuſtioribus*. Sed quicquid deducatur, & concludatur ex illo loco; certum eſſe debet lac maternũ ſuxiſſe puerum Jeſum. In cujus rei ſignum, qui modo quodã excellentiori typum gerebat Iſaacus Chriſti, Gen. 21. 8. dicitur *ablactatus*. Poſt ablactationem verò, tempore ſuo competenti factam, cibum alium deſcribit Propheta Eſaias 7. 15. quo per infantiam veſcebatur: butyrum, nempè, atque mel; hiſce enim duobus dicitur abundâſſe terra Canaan: atque ideò butyri uſus communior, ut Gen. 18. 8. 2 Reg. 17. 28. Delicatiora ſunt edulia, quæ Ezech. 16. 13. commemorantur, *Similam, & mel, & oleum comediſti*; quibus locupletiores, & magnatum liberi paſcebantur. De quibus illud Pſalmi uſurpatur: *Adipe frumenti ſaturavit eos. Qui talem comederit cibum*, inquit Hieronymus ad locum Ezechielis, *& hoc dulciſſimo & ſuaviſſimo pane, oleique ſplendore fulgenti paſtus fuerit ac nutritus, vertetur in decorem, & fiet pulcherrimus.*

Chriſtus à matre lactatus.

6 Hoc cibo, his alimentis, augmentum cepit corpuſculum illud, in utero virgineo efformatum; & de utero in hunc mundum ſine ullis ſordibus, ullo virginei clauſtri detrimento, prodiens. *Succreſcebat* enim, ait ſacer Hiſtoricus, ἠύξανε, hoc eſt, de parvâ in majorem, cùm molem, tùm ſtaturam progrediebatur. Eſt enim αὔξησις apud Medicos & Phyſicos, *Partium corporis ſolidarum ampliatio, in longum, latum, & profundum. Eſt actio, ſeu opus naturæ, ab ejus facultate auctrice profectũ, quam nulla ars imitari poteſt*, quòd ſit ſolius naturæ proprium munus. Sunt autem ſolidæ corporis partes, quæ augentur: arteriæ, venæ, nervi, oſſa, cartilagines, membranæ, ligamenta, tunicæ; & ſi quæ præterea ejuſmodi ſunt particulæ elementares, ſimilares & ſimplices dictæ. Non etiam caro, adeps, aut humor, quæ quamvis ſupra modum increverint, ut in athletico habitu cernere eſt, veram tamen auctionem non admittunt. Eſt autem materia, quæ hujuſmodi incrementum

Gorrhæus in definit.

crementum perficit, humidum primigeniũ, quod & radicale appellant, ſingulis corporibus, ab ipſis naturæ primordiis inſitum, ex quo ut unumquodq; primum exiſtit, ita poſteà augetur. Ergò quod augetur, humidũ ſit oportet, non ſiccum: quoniam ſicca corpora minimè ſequacia ſint, nec facilè extendi poſſint. Itaq; ſi humidorum corporum auctio ſit, patet eam non eſſe in animantium corporibus perpetuam; ſed tam diù fieri, quamdiu corpora humida fuerint: hoc eſt, ab eo tempore, quo animal editum in lucem eſt, uſq; ad ætatis vigorem. Hactenùs filii Medicorum. Theologi hinc rectè veritatem Carnis & Nativitatis Chriſti, contra Docitas, & Negantes adſtruxere. Multæ enim hæreſes, ut Tertullianus loquitur, *Chriſti carnem quæſtionibus diſtrahebant*; tanquam aut nullam omninò, aut quoquomodo aliam, præter humanam; nec ſi humanam conſtiterit fuiſſe, præjudicatum ſit adverſus illos, eam reſurgere omni modo. Itáque phantaſma hîc nullum, nulla caro putatitia, nulla de cœlis derivatio; aut tanquam per canálem aquæ, per uterum virgineum effluxio. *De carne Chri. cap. 1.*

Creſcebat corpore, corroborábatur Spiritu: ἐκραταιοῦτο πνεύματι. Quo in loco per Spiritum quid intelligatur quæſitum eſt. Mihi maximè arridet, animam Chriſti humanam indicari. Cùm enim de corpore humano ſumpto priùs diceret, Creſcebat puer, quæ eſt altera pars hominis, animâ & corpore conſtituti; conſequens erat ut de alterâ humanitatis parte, Animâ nimirum rationali, annecteret, ejuſdemq; per facultates & potentias eminentiores, prærogativâ: atq; ita totum Chriſtum hominem, corpore & animâ conſtitutũ, complecteretur. Poſtquam enim ab initio rerum Deus, de limo terræ educto & ædificato Adami corpori, ſpiritum vitæ indidiſſet, hoc eſt, animâ vivente, & rationali animatum exornaſſet; illud ſpiraculum, pars hominis præcipua, ſpiritus paſſim in Scripturis nominatur. Et in diſſolutione integrali hominis per mortem corporalem, ſpiritus, hoc eſt, anima, dicitur redire ad Deum, qui dedit illam. Atque hoc ſenſu Anima Spiritus appellatur, Gen. 6. 3. 15. & Gen. 17. 15. Job 12. 10. Pſal. 76. 4. & Pſal. 77. 30. & de animâ Chriſti humanâ 1 Pet. 3. 19. In quo Spiritu (nam priùs dixit, 7

xit, *Mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu) & his qui in carcere erant ſpiritibus* (hoc eſt, defunctis ſuo fato, & inferno addictis) *prædicavit.* Quo in loco, Puritani & Novatores, Spiritum, non animam Chriſti, quam nullo modo ferre poſſunt *deſcendiſſe ad Infernum*: Sed Spiritum ſanctum intelligunt, in & per cujus virtutem, olim ab initio mundi prædicavit. Quibus videtur favere è ſocietate Mariana: Ita enim ait; *Nam & Chriſtus carne eſt mortuus, & Spiritus ſancti virtute revixit*: quaſi non de animâ Chriſti humanâ, ſed de Spiritu ſancto loqueretur Apoſtolus. Spiritu, hoc eſt, animâ, Chriſtus ἐκραταιώθη, viribus potentèr firmabatur: Voce, non niſi ſacris literis, opinor, uſurpatâ: quæ idem ſignificat, ἐνδυναμωθῆναι: Et explicatiùs Epheſ. 3. δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος. Anima ergò Chriſti, etiam per ætatem illam teneram, puerilem, infantilemque, Spiritus ſancti gratiâ, modo excellentiori & eminentiori, ſeſe exerente, illuſtriſſimâ quâdam menſurâ donorum lemniſcata cohoneſtabatur; idque per omnes illius facultates & potentias, evidentiſſimè manifeſtabatur. Alitèr enim illa ætas in hoc puero agebatur, quàm in omnibus & ſingulis aliis. Nam nulla τὰ παιδικὰ, nullæ puériles ineptiæ, vel inordinationes obſervabantur: ſed, quemadmodum ſequitur, *Proficiebat*, ut *ætate*, ita quoq; *ſapientiâ, & gratiâ apud Deum & homines*: De quo pluribus deinceps in fine anni.

8 Profectum hunc & ἐπίδοσιν, in Theſi poſitam, peculiari quodam exemplo illuſtrat in Hypotheſi Evangeliſta. Eò enim tendit illa narratio de geſtis Hieroſolymitanis; & admirabili in Templo, coram Scribis & Doctoribus, ἀναστροφῇ. Unde, & qualis fuerat domeſtica ipſius, apud parentes, educatio: videntur, haùd ineptè, collegiſſe eruditi viri, quam nullo modo omiſiſſe Joſephum & Mariam volunt; ut luculento quodam exemplo, parentes Chriſtiani ad illorum imitationem excitentur. Et imprimis ſtatuunt, duplicem fuiſſe παιδῶν ἀγωγὴν, puerorum inſtitutionem apud Iſraelitas; quemadmodum nunc eſt, & ſemper fuit, apud gentes non planè barbaras, & à communi ratione abhorrentes. Præcipua fuit, etſi non prima, quâ pueri in ſcholas deducebantur à parentibus

Chriſti puerilis inſtitutio.

rentibus,& Scholarchis, vel Informatoribus commendabantur: qui Prophetæ, & Prophetarum filii, paſsim dicuntur in Veteri Teſtamento, & cujuſmodi etiam in Novo commemorantur, Act 2.9.10. & 6.9. Quas Scholas fuiſſe Hieroſolymis, poſterioribus Judaicæ politiæ temporibus ultra quadringentas, Rabbini volunt. Puerum Jeſum hac publicâ inſtitutione non fuiſſe uſum, aut ullis Magiſtrorum præceptis, & piè creditur, & ab ipſis Judæis adverſariis,illi objicitur, Joh.7.15. Et mirabantur Judæi, dicentes, *Quomodò hic literas ſcit cùm non didicerit?* Quem ad locum Maldonatus; Sciebant Sacerdotes, Scribæ, & Phariſæi, ſcholas ſuas puerum non frequentaſſe. Alia pueros inſtituendi ratio, domeſtica fuit; quâ parentes, inter privatos ſuos parietes, liberos imbuebant. Hanc intelligebat Deus, cùm de Abrahamo diceret, ſe ſcire quòd Abrahamus erat domeſticos & familiam ſuam inſtructurus. De hâc commemoratur Exod.12.26. Deut.4.10. & 6.7. Et ab iſtâ puerili inſtitutione,ad Synagogas topicas per ſingula Sabbata,in quibus palam Moyſes & Prophetæ legebantur; & per feſta ſolenniora, Hieroſolymam, ad Templum adultiores facti, per Parentes ſuos deducebantur. Quem morem narrat Evangeliſta, Joſephum & Mariam, erga Salvatorem jam duodecimnm ætatis ſuæ annum agentem, exercuiſſe. *Ibant*, inquit, *Parentes ejus quotannis Hieroſolymam in die feſto Paſchæ.*

Erat hoc de mandato Divino ſpeciali, Exod.23.15,16, 17. *Tribus vicibus per ſingulos annos mihi feſta celebrabitis. Solennitatem azymorum cuſtodies; ſeptẽ diebus comedes azyma, ſicut præcepi tibi, tempore meſsis novorum, quando egreſſus es de Ægypto. Non apparebis in conſpectu meo vacuus. Et ſolennitatem meſsis primitivorum operis tui, quæcunq; ſeminaveris in agro. Solennitatẽ quoq; in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne maſculinum tuum coram Domino Deo tuo. Hoc eſt, in feſto Paſchæ, in feſto Hebdomadarum vel Pentecoſtes, & in feſto Tabernaculorum.* Quod præceptum repetitur Exod.34.25. Deut.16.16. Non tenebantur autem adeò ſtrictè omnes omninò Iſraelitæ, adeſſe ſingulis ſolennitatibus; ſed tantùm qui in vicino Hieroſolymis, ubi Templum erat, 9

Feſtis adeſſe juſsi Iſraelitæ.

rat, habitabant. Cum remotioribus, per Legis Indulgentiam, quod Lyra & Hugo cenſuerunt, diſpenſabatur. Sufficiebat, ſi ſemel in anno, ad feſtum ſcilicet Paſchatis, adfuiſſent: Joſephum & Mariam quotannis in feſto Paſchatis aſcendiſſe. Nemo enim, niſi corpore invalidus & infirmus, abſens per illam ſolennitatem excuſabatur. Pietatem porrò erga Deum, & religioſum Beatæ Virginis ſtudium animadvertere licet; quod cùm ipſi liceret domi conſiſtere, neque enim *fœminæ*, ſed *maſculi* tantummodò, legis præcepto obſtricti tenebantur; ipſa tamen, unà cum viro ſuo, quotannis, ad Deum venerandum, aſcendebat Hieroſolymas.

10 Quid autem interea factum puero Jeſu, ſi parens uterq; domo aberat, ad Paſchalem profecti ſolennitatem? Haud crediderim illos Infantem illum ſecum, ulnis aut equo vectum detuliſſe. Quanquam non negaverit Evangeliſta, illum hoc anno omninò primùm deportatum. Tacet fortaſſis de præcedentibus annis, eò quòd nullâ notâ ſpecialiori inſigniebantur: hunc commemorat, licet fortè non ſimpliciter primum, propter caſum illum memorabilem commemoratum. Fieri quidem ita potuit, & ſatis cum pietate conjunctum eſt: Ego autem potiùs exiſtimaverim, tunc primùm, non priùs, illum ductum à parentibus Hieroſolymam. Interea autem, dum in feſto mater abfuit, tutelæ & curæ vel vicinarum & cognatarum, vel etiam famulæ, ſatis tutò, committere poterat puerum ſuum. Neque enim ignorabat, aut oblita fuerat, quis ille, qualis, quantus foret, quem conceptum in lucem procreaverat. Neque neſciebat, aut non admittebat, id quod in tali caſu promiſerat Dominus, Exod. 34. *Cùm tulero gentes à facie tuâ, & dilatavero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ; aſcendente te, & apparente in conſpectu Domini Dei tui ter in anno.* Curabant divina Iſraelitæ, Deus curabat humana: ſi divina neglexerimus, Deus noſtra humana negliget: ſi præceptorum fuerimus obſervatores, Deus urbes, regnum, populos cuſtodiet. Hoc eſt enim quod promittebat, *Honorantes me, honorabo.* Atque ita probabiliùs exiſtimavero, tùm primùm Hieroſolymas deductum à Parentibus puerum, quanquam contra ſentiat

An aliàs Chriſtus aſcenderit.

tiat Juvencus apud MALDONATUM.

Ad Templum lætis puerum perducere feſtis,
Omnibus annorum vicibus de more ſolebant.

Conſummatis diebus, Paſchalibus nimirùm, hoc eſt, poſt ſeptem dies, cùm redirent in Galilæam. Feſtum enim illud Azymorum, ſeptem totos dies, de primâ inſtitutione perdurabat: primus & poſtremus, maximâ veneratione, ſolemnes obſervabantur. *Septem diebus azyma comedetis*, ait Lex, Levit. 23. *Dies primus erit vobis celeberrimus, ſanctuſque: omne opus ſervile non facietis in eo: ſed offeretis ſacrificium in igne Domino, ſeptem diebus.* Dies autem ſeptimus erit celebrior & ſanctior. Quocirca nulli licuit, niſi finitis & circumactis hiſce diebus, Hieroſolymis abire in patrios lares: quod accuratè obſervatum à divinis parentibus Servatoris. Conſummatis autem hiſce diebus, prout benè iis licuit, in Galilæam reverti ſtatuentes, proficiſcuntur Hieroſolymis. Cùm autem ſic redirent, *Remanſit puer Jeſus in Hieruſalem, & non cognoverunt parentes ejus.* Inſciis ergò illis ſubſiſtebat. 11

Memorabilem hanc hiſtoriam enarraturus Lucas, hoc quaſi lemniſco illam inſignivit, quod *non cognoſcebant parentes ejus*. Tria hoc loco quæri poſſunt, inquit Maldonatus. Cur voluerit Chriſtus remanere in Jeruſalem? Cur eâ ætate remanere voluit, non antea, non poſtea, cùm tamen aliàs aſcenderit ad feſtum? Et poſtremò, cur parentibus inſciis? Non ὡς τύχῃ, vel fortuito quodam caſu remanſiſſe Jeſum, ſed ſponte, & concilio deſtinato, ſubindicat Hiſtoricus illâ voce ἐπέμειναν Ἰησοῦς: Significat enim actionem propriam, profectam à propoſito & ratione. Atque id ipſum docet ipſe in reſponſo ad expoſtulationem parentis; *An neſciebatis* me in his occupatum eſſe debere, quæ Patris mei ſunt? Remanſit igitur, ut divinæ pareret voluntati, & muneris aliquandò ſubeundi, ab initio ſpecimen publicè, præſertim parentibus exhiberet. In naturâ ità comparatum ſcimus, quòd priuſquàm ſuper Horizontem, Sol lucis ſuæ radios paſsim diffundat & propalet, τὰς ἀκτῖνας, ut Heliodorus loquitur, ſoleat διαπέμπειν. Ad eundem modum, in hâc divinæ gratiæ diſpenſatione, Sol ille juſtitiæ, 12 *Cur inſciis parentibus.*

antequam exurgeret, & mundum ſuo lumine diffuſo, colluſtraret, Divinitatis ſuæ radios, ſed velut à longè, volebat patefacere, & ſpecimen præbere futuræ aliquandò diſpenſationis: in eum finem, ut quod in nativitate Johannis Baptiſtæ dicebant vicini, uſurparent audientes, & videntes Judæi, *Qualis nam futurus eſt iſte puer?* Noluit de repentè ad officium proſilire adimplendum, inexercitatus, ignotus, ne non tam fidem & obedientiam procurâſſe populi, quàm ſibi applauſum & admirationem voluiſſe videretur. Sed & hoc ejus ſtudium & deſiderium, per Judæorum impietatem incaſsùm cecidit. Nam quaſi nihil de illo vidiſſent, aut cognitum habuiſſent, per contemptum quærunt: *Unde huic ſapientia hæc, & virtutes?* Mat.13.54. *Quomodò hic literas novit, cùm non didicerit?* Joh.7.15. Ita facilè, ſcilicet, in illorum deſcendimus, per ſummam incuriam, oblivionem, quæ divina bonitas non rarò tanquam præludia, proœmia, & prognoſtica futuræ offerendæ ſalutis ſolet ſuggerere.

13 *Cur anno xii. inclareſcere cepit.*

Sed nec illud fortè extra divinam quandam peculiarem diſpenſationem contingebat; quòd nec priùs, nec poſteriùs aliquod ſuæ divinitatis, miniſterii, aut ἀναφορῆς ſpecimen ediderit, ſed anno tantum duodecimo. Quid autem vel myſterii, vel ſecretioris alicujus diſpenſationis in eo lateret, conjectari licet, certò ſtatuere non licet. *A duodecimo anno*, Ambroſius loquitur, *ut legimus, Dominicæ ſumitur diſputationis exordium. Hic enim prædicandæ fidei Evangelizantium debebatur numerus.* Hoc eſt, quod in officii olim exequendi munere obeundo, totidem numero Apoſtolos erat ſelecturus, & cum ſummâ authoritate, quaſi Legatos, in mundum emiſſurus. Et certè hic numerus celebris eſt in Apoſtolis xii. præfiguratus in xii. Patriarchis, filiis Jacob, per quos illa domus, ſecundum carnem, Iſraelis, exædificabatur: xii. fundamenta, xii. portæ, xii. feneſtræ cœleſtis Jeruſalem, hoc eſt, Eccleſiæ viventis Dei. Vel potiùs hoc anno duodecimo fiebat, quòd id ætatis cùm ſint pueri, quaſi confirmatiores incipiant eſſe, & ingenio ad diſcendum, obſervandum, exequendum eſſe aptiori. Sed cùm annus xiiii. apud Medicos & Juriſconſultos, initium virilitatis conſtituat,

ſtituat, cùm ab hoc *ſuffuſior & veſtiſior ſexus*, quemadmodùm loquitur Tertullianus cap. 18. de animâ: cumque fœminas à xii. annis, maſculos à duobus ampliùs ad negotia mittant, ut ab eodem dicitur, de veland virg. cap. xi. Non eſt mirum ſi tempus illud, paſsìm ſecundùm naturam in aliis omnibus uſurpatum, ipſe aliquantulùm anticipaverit, & xii. non xiiii. ſe tranſmiſerit ad negotia. Sicut igitur in Sampſone, qui liberaturus erat Iſraelem, & in hoc, ut & aliis, typum gerebat Jeſu Chriſti, adhuc puero, vel vix egreſſo ex ephebis, Spiritus Dei tyrocinium edidit peculiare, & illuſtre in caſtris Dan, Judic. 13. 25. Ita Liberator ille ſummus aliquandò futurus, in pueritiâ ſpecimen edidit divinæ in ipſo reſidentis, ſapientiæ & virtutis.

Sed cur inſciis parentibus ſe ſubduxit, & remanſit in Jeruſalem? Reſpondet Beda, hoc feciſſe ut oſtenderet alium ſe habere patrem, cujus intendere debebat voluntati, & rebus inſiſtere procurandis, ipſis non conſultis, non concedentibus, etiam vel invitis. Et certè hanc ob cauſam ſe ſubduxit, ſubſtitit, & remanſit: Id enim diſertis verbis docet ipſe; An neſciebatis oportere me in rebus patris mei eſſe? τῆς ϛαθμοῦς quocirca, hæc cauſa fuit quòd remanſit, non autem quòd illis inconſultis remanſit. Rectiùs iccircò, meo animo, reſpondent alii, clàm parentibus remanſiſſe, ne ſi id illis indicâſſet, aut ab ipſis impediretur, aut reditum illorum interpellâſſet, aut in cognatorum & vicinorum, deditâ fama deſcenderet, aut ſi parentes haud annuiſſent, parùm pius aut obediens videretur. Origenes ideò, inſciis parentibus, ait remanſiſſe, quòd ſe velut abſconderet, & inviſibilem reddiderit; atque hanc ob cauſam, illos non animadvertiſſe quid de illo factum fuerat. Rectè meus Græcus Scholiaſtes, eum remanſiſſe ait, κατὰ θείας ὀικονομίας, ἵνα μὴ κωλύσωσιν αὐτὸν, ὡς παῖδα, καὶ ἀγράμματον. *Per divinam fiebat diſpenſationem, ne illum illi impedirent, utpote qui puer eſſet, & illiteratus.* 14 *Cur inſciis parentibus remanſit.*

Et non cognoverunt parentes ejus, nimirum Hieroſolymis ſubſtitiſſe, ſed putâſſe illum fuiſſe apud cognatos in comitatu & vicinos. Eâ enim indole fuerat φιλάνθρωπος ille puer, ut nullâ αὐθαδείᾳ, vel moroſitate, 15

aut morum tetricitate laboraret: ſed illâ fuit dulci affabilitate, & erga familiares ſuavi converſatione, ut facilè & libentèr apud ipſos verſari vellet. Hoc cùm agnoſcerent parentes ipſius, quid mirùm ſi exiſtimaverint illum apud illos egiſſe, potiùs quàm remanſiſſe Hieroſolymis.

Judæorum mos aſcendẽdi ad feſtum. Atque hinc imprimis, ſaltem probabilitèr, colligi poteſt, turmatìm, & non ſigillatìm, ſolitos olim fuiſſe Judæos, de vicis & urbibus ſuis ſe conferre Hieroſolymas; maximè propter Samaritanos infenſos, per cujus regionem tranſeundum ipſis fuerat; & propter latrones ac ſicarios, qui frequentèr vias inſidere ſolebant, & aſcendentes ſpoliare. Nec audiendi Beda & Lyranus, qui in more Judæis fuiſſe poſitum volunt, ut non turmatìm aſcenderent & redirent, ſed ut ſeparatìm mulieres, ſeparatìm viri proficiſcerentur; ſcilicet, ne virorum contubernio polluerentur, qui ad Feſtum mundati aſcendebant: ac etiam ut per ſeſe pueri, aliud velut agmen conficerent. Probabiliùs eſt, pueros impuberes potuiſſe, & ſolitos fuiſſe, vel cum alterutro parentum, vel in turmâ communi, & ἀναμίξ verſari, ut facilè fuerit Divino puero, ſe, quod fecit, ſubducere à comitatu.

16 *B. Virgo non incuſanda de neglectu.* Nec propterea Beata Mater incuſari debuit; aut, quod temerè factum per nonnullos, de gravi crimine, & tantùm non ſcelere admiſſo, poſtulari: quaſi per ſummam incuriam, & ſupinam negligentiam, Filii curam habuiſſet ſuſquè dequè. Sed nec è contrario, ita efferenda ultrà ſenſum humanum & conditionem, quaſi minimè ignorâſſet, aut ignorare potuiſſet, Chriſtum fuiſſe in comitatu. Volunt enim Mariam, Adamo atque Evæ in ſtatu innocentiæ æquiparatam. Illos autem, adhuc ante lapſum, labi, errare, decipi in aliquo, non potuiſſe. Quocircà neque Virginem ignorâſſe, quòd Chriſtus remanſerat Hieroſolymis. Perperàm Rupertus 1. in Cantica ita ſcripſit; Virginem revera intellexiſſe, ubi tunc temporis verſabatur Chriſtus, neque reipſâ illum exiſtimâſſe fuiſſe in comitatu. Verùm repugnat hoc apertis Scripturæ verbis. Neque id aſſerere neceſſe eſt, ſi velimus tueri, non potuiſſe decipi Beatam Virginem: Nam, quod rectè notatum eruditis, Non decipitur is, aut decipi dicendus eſt, qui probabilibus argumentis quibuſdam inductus,

ductus, & rationibus, aliquid opinatur probabile eſſe, abſque firmo tamen aſſenſu ſuo. Atque ita judicavit Beata Virgo, neutiquàm ergò dicenda aberrâſſe, vel deceptam fuiſſe. Libenter ego exiſtimem cum Maldonato, Evangeliſtam ea propter addidiſſe, *Exiſtimantes eum eſſe in comitatu*, ut omnem negligentiæ & incuriæ ſuſpicionem à ſanctis parentibus removeret. Non enim per neglectum & incuriam, ſed credentes eum eſſe in comitatu, unius diei iter profecti ſunt: hoc eſt, ad noctem uſque ſine ullâ ſuſpicione, aut diſquiſitione, gradiebantur. Cùm verò ad cœnam adeſſe minimè viderent, tùm demùm cognito non eſſe illum apud comitatum, cœperunt de relicto Hieroſolymis cogitare: atque ita regreſſi ſunt in Jeruſalem, illum requirentes.

Chriſtophorus à Caſtro cap. xiii. Hiſtoriæ ſuæ, de Deiparâ Virgine, manifeſtè videtur Evangelio repugnare. Cùm enim Textus ſacer rem ita narret, quòd ſubſtiterit, vel remanſerit Hieroſolymis, ille rem alitèr narrat; & egreſſum vult ex urbe, cum parentibus & cognatis, Jeſum; ſed deinceps, de viâ declinantem, regreſſum in urbem. *Receſſuri, præmiſerunt puerum, cum cognatis & notis, ac cætero comitatu, aliquantulò poſt celeritèr ſecuturi.* Non ergò puer Jeſus, ſed Joſeph & Maria parentes, Hieroſolymis remanſerunt. Caſtrione credetis, an Evangeliſtæ? Explicat autem ulteriùs. *Sed puer, cum illis paululùm progreſſus, cùm vel loco ſtetiſſet, quaſi parentes expectaturus, vel ad illos rediturus, hoſpitium versùs tenderet, iter aliò flexit: atque ita, inſciis omnibus cognatis & notis, ipſiſq; parentibus, ſubduxit ſeſe, ac Hieroſolymis remanſit.* Aut, quod dicere debuit, reverſus eſt Hieroſolymas. Hanc porrò unam eſſe ex veriſimilioribus cauſis, quæ poſſint aſſignari, quare ſe ſubduxerit à parentibus Jeſus, conſtare poteſt. Primò, quia quùm tradunt quidam, quòd viri à mulieribus diſtincti redirent, & ita apud alterutros, exiſtimâſſe utrumque parentum, eſſe puerum Jeſum, quod putavit Beda in 2. Lucæ, & Haimo, eum ſecutus, vera non eſt; quia Lucas ait, exiſtimâſſe parentes puerum eſſe in comitatu, inter cognatos & notos, non autem *apud alterutros* ipſorum. Secundò, quia è verbis Lucæ colligitur, jam in ipſo regreſſu remanſiſſe puerum, parentibus neſcien-

17 *Caſtrii ſententia.*

neſcientibus, ſed exiſtimantibus illum eſſe in *comitatu*: ergò illum ſecum non ducebant; ſed à principio præmiſerunt cum *comitatu*: ac ita non erant ſoliciti, donec emenſo primo die, cùm in hoſpitio quærerent puerum inter cognatos & notos, nec invenirent, rediere Hieroſolymam. Hæc Caſtrius. Ita in tantâ ſententiarum varietate, non eſt quod unitatem diſſolvamus.

18 *Quid interim egerit.*

Operoſo tumultu, & magnâ vehementiâ diſſeritur à multis, quid interea per illud triduum, quo aberat à parentibus, egerit puer Jeſus, ubi verſatus fuerit, quo in loco, apud quem vel quos hoſpitabatur, unde victum & alimenta ſuppeditaverit. Imprimis autem quæritur, & hanc imprimis quæſtionem moviſſe videntur, & affirmativam præfractè tenuiſſe, Mendicantes Fratres: An mendicaverit interim oſtiatìm: quod multi vehementiùs impugnavere. Abulenſis in Mat. 17. qu. 194. *Chriſtus*, inquit, *oſtiatìm nunquam mendicabat, quoniam mendicandi apud Judæos conſuetudo non erat.* Nam Deuter. xv. hoc Dei præceptum extat, Et omninò indigens, & mendicus non erit inter vos. Sed hæc ratio Abulenſis futilis eſt: neque enim propter præceptum, aut interdictum, rem minimè factitatam concludi poteſt. Contrarium potiùs: nam quod ait vetus illud verbum, *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.* Judæi imprimis gens cervicoſa, & qui ſemper reſtitiſſe Spiritui ſancto dicuntur, Dei mandata, de pietate & charitate, facillimè conculcabant. Et certè, non obſtante hoc præcepto, conſtat per hæc tempora, multos paſsìm apud Judæos mendicâſſe. De cæco quodam qui in triviis mendicabat, diſertìm mentio habetur apud Evangeliſtas. De claudo mendicante, & ſtipem rogante, apud portam Templi ſpecioſam, hiſtoria refertur in Apoſtolicis Actis. Sed utcunque non perſuadet Abulenſis ratio; dignitas perſonæ, rei inhoneſta conditio, divina diſpenſatio, quæ nihil fruſtra facit, abundè mihi perſuadent, Chriſtum non mendicâſſe per illud triduum. Nec admittere poſſum piam Barradii meditationem, quam vocat Waldenſis ac Pighii opinionem. Catherini vehementem contentionem Divi Thomæ, 2ª. 2ᵉ. qu. 187. art. 5. Conceſſione de Chriſto mendico. Abſurda ſunt quæ Cajetanus

Non mendicavit.

tanus habet ad locum illum D. Thomæ. *Ex iis quæ in Evangelio ſcripta ſunt, apertè intelligi poteſt, quòd Dominus Jeſus non eſt dedignatus, etiam in propriâ ſuâ perſonâ, mendicare. Nam mendicavit locum, ubi Paſcha cum Diſcipulis celebravit: mendicavit aſellum; & a Zachæo hoſpitium.* Hæc partìm falſa, partìm frivola, frigida, & inepta ſunt.

Nec illud adjuvat, quod adjungit. *Pauperem petere neceſſarium ad victum, eſt mendicare.* Certè eſt, *ſi mendicato paſcitur ille cibo,* & non alitèr. Sed quis ſano ſincipite præditus, Chriſtum dixerit à Zachæo prandium mendicâſſe: niſi & Nobiles interdum, & Reges, eodem tenore Mendicos habeat: qui ſolent interdum apud vicinos, ſubditos, inferiores, de condicto hoſpitare, aut prandere. Rectiùs alibi Cajetanus, in v. nempè Matth. ſcribebat, Chriſtum non fuiſſe mendicum: προσαιτητὴν: quia nunquam legitur petiiſſe, niſi à Samaritanâ potum: At ridiculus homo eſſet, qui mendicum diceret ob eam cauſam: niſi & Siſaram mendicum, & Eleaſarum Damaſcenum, Abrahami Oeconomum, mendicâſſe velit, qui potum petebant à mulieribus. Sed nec Elias mendicus fuerat, qui tamen inopiâ premebatur, cùm & potum & cibum, viduam rogaret Sareptanam. Certè *infames* mendici, quia *impudentes* plerumque, otioſi, ignavi, ſeditioſi; res ipſa turpis & indecora; & quanquam alitèr, progrediente tempore, & iniquitate, obtinuerit apud Judæos, quod vidimus, præcepto prohibitum negativo. Abſit ergò, ut in mentem animumque Chriſtianorum ἀνενόητον, ſubeat illa cogitatio, Dominum Jeſum, per triduanam à parentibus abſentiam, oſtiatìm mendicâſſe. Indigna prorſùs Chriſti diſpenſatione commentatio. 19

Quòd ſi nolimus Divinam extraordinariam οἰκονομίαν, in rem præſentem advocare: quidni dicere, nec improbabilitèr poſſimus, illum intereà victum ſibi neceſſarium, numeratâ in manum pecuniâ, à propolis comparâſſe? Sed unde ſuppeteret puero pecunia? Certè quidni à parentibus depoſita, vel ab amicis & agnatis, ut non rarò fieri ſolet pueris, præſertìm bonæ indolis, ſuaviſſimis moribus, honeſtâ imbutis diſciplinâ, condonata & impertita. Quidni apud hoſpitium, in quod diverterat cum 20

Variis modis interim refici potuit.

cum parentibus, victũ ſibi tempore opportuno, & lectũ apparari jubere poterat? Non hoc impediet, quod dicitur ab Evangeliſtâ, invenire eos illũ, qui quærebant, parentes non potuiſſe. Cùm enim illum quærerent in hoſpitio, abeſſe poterat, qui tamen paulò ante præſens ibidem fuerat. Sed ut hæc mittamus ordinaria; quid impedit quò minùs Angeli cibum, ſecretò, & in receſſu miniſtraverint, aut ut intereà temporis nec ederit, nec biberit, neque tamen eſuriret? Nam quod objici poteſt, nullum ab eo miraculum editum, ante illud apud Canam Galileæ, agnoſco verum: ſed miraculum dupliciter intelligi poteſt. Primùm, de aliquo publicè patrato, in conſpectu multorum, ad confirmationem divinæ poteſtatis: vel miraculum quoad ſubſtantiam operis, aut operandi modum, non manifeſtò, ſed clam & ſecretò peractum. De priori genere verum eſt, illud Cananæum fuiſſe omnium ſimpliciter primum, non tamen omninò primum. Secundò, reſponderi poteſt, miracula dici poſſe, vel per eum, vel in eo, aut circa eum edita. Illa, pertinent ad locum Johannis ſola, non autem iſta. Nam profectò ante illud, priùs miraculum in eo, vel etiam per eum, ſed ſecretò, clam, & privatim edebatur; illud nimirum ingens, quo totos dies quadraginta, ἄσιτος & impaſtus in eremo perdurabat. Quidni igitur ad eundem modum, per divinam παντοδυναμίαν, triduanum jejunium benè tolerare poterat Divinus puer, nemine conſcio? Atque ita minimè fuit opus inepturire homines malè feriatos, & parùm honorificè, ne dicam ridiculè, de mendicatione commentari.

Primum miraculum.

21 Nec bonus Bernardus hîc audiendus, qui religiosè, & ut ſolet, devotè, ſed parùm hiſtoricè, meditatur, quemadmodum è Barradio tranſcripſit Salianus. *Per illud itaque triduum*, inquiens, *ubi eras bone Jeſu? quis cibum aut potum miniſtrabat? quis detraxit calceamenta? Quid dicam Deus meus? an ut te per omnia noſtræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates ſuſciperes, quaſi unus è turbâ pauperum ſtipem per oſtia mendicabas? Quis dabit mihi, buccellarum illarum, ſic mendicatarum, fieri participem? vel ſaltem divini illius edulii reliquiis ſaginari?* Sed nec amplectenda Majoris ſententia, quam ex eodem Barradio

Barradio ſuo idem tranſcripſit Salianus, videri Jeſum, à viris eruditis & Doctoribus, qui ſtupebant ſuper prudentiâ & reſponſis ejus, ad menſam invitatum. Quod verum eſſe potuit, ſi conſtaret illum ſtatim è viâ, aut diverticulo ad conſeſſum Doctorum ſe tranſtuliſſe, cùm videatur conſtare per Evangeliſtam, non niſi tertio demùm die, in illo conſeſſu à parentibus adinventum, nec quotidiè de Lege vel interrogâſſe, vel reſpondiſſe, Doctores. Nam de pueris ad menſam invitatis, non abnuerim in more poſitum eſſe potuiſſe; licet fortaſſe potiùs pecuniolâ datâ remunerare conſueverant, & domum ad ſuos dimittere. Sed hæc nec temerè ponenda ſunt, nec perversè abneganda: ſunt autem humanæ cujuſdam curioſitatis circa Dei ſecreta, licet non ſemper illicitè ſatagentis ἀποκυήματα. Lucas addit.

Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in Templo, 22
ſedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem. Ubi non hoc vult neceſſariò, poſt finitum & decurſum tridui ſpatium: quarto demùm die illum inventum, aut repertum potiùs à parentibus, ſed ipſo die tertio nondum decurſo. Ita enim loqui ſolet ſacra Scriptura, Mar. 8. 31. Poſt tres dies, Chriſtus ſe reſurrecturum affirmat, qui tamen non quarto die, ſed in tertio, idque λίαν πρωὶ, reſurgebat. Idem enim eſt ac ſi diceret, *Poſt, in die tertio invenerunt illum.* Ad figuras hîc convertit ſe Beatus Ambroſius: *Poſt triduum*, inquiens, *reperitur in Templo, ut eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis illius paſſionis, in ſede cœleſti, & honore divino, fidei noſtræ ſe reſurrectus offerret, qui mortuus credebatur.* Vult ergò abſentiam illam triduanam, referri τυπικῶς ad illam alteram à ſuis abſentiam, cùm ſub imperio mortis, licet *liber inter mortuos*, hoc eſt, à communi mortuorum lege ſolutus, ut & Paradiſum, & Infernum, & ſiqua erant præter ea animarum promptuaria & receptacula, inviſeret, per tridui ſpatium verſaretur. Quod non abhorret ab analogiâ fidei, & ſatis congruit divinæ diſpenſationi. Cùm ergo Parentes illum, multâ cum curâ & ſolicitudine, ad tertium uſque diem, inter notos, ignotoſque quæſiverant, eo demùm tertio die repererunt in Templo, in medio Doctorum, hoc eſt, in conſeſſu Academi-

eo, inter Doctores in ſcholis ſuis, *audientem illos*, ni mirum docentes, & *interrogantem illos* quæſtiones. Nec hoc in privati alicujus Peripato, intra domeſticos Scholæ parietes, ſed in loco publico: Sed illi exercitio deſtinato, in Templo nimirum, in frequenti multorũ Panegyri, ubi de more, plures convenerant ad diſputandum de Divinâ Lege, & quæſtiones è Sacris Scripturis ventilandas.

23 *Judæorum ſchole.*

Erat enim hoc in more poſitum apud Judæos, ut cùm in Templo, tùm in Synagogis, ad diſſerendum, & inter ſe conferendum, de divinâ lege convenirent: ubi è cathedris aut ſubſelliis diſſerebant. Et ſeniores quique, ac dignitate eminentiores, è cathedris, quæ ſigillatim erant, & ordine diſpoſitæ: cæteri, minoris ætatis, ac inferioris ordinis, in ſubſelliis conſidebant: noviſſimi autem, in pavimento, ſuper mattas, aut quædam στρώματα: pueri, ac auditores juvenes, ad pedes docentium diſponebantur. Hinc Paulus ait, ſe *ad pedes Gamalielis*, hoc eſt, in ejus ſcholâ educatum. Audiebant autem, non ut Pythagoriſtæ, per quinquenniũ ἐχέμυθοι, ſed interrogabant & interrogati reſpondebant. Neque phraſis illa, apud Evangeliſtam uſurpata, in medio Doctorum, Chriſtum ſubindicat loco motum, quòd Chemnitius autumat, propter excellentem ingenii bonitatem, & ſingularem in quæſtionibus & reſponſionibus dexteritatem: ſed tantùm hoc vult, inter illos, in illo conſeſſu, illum locum, utpote pueris deſtinatum, capeſſiviſſe. Et de iſtâ porrò Judæorum conſuetudine capiendus D. Paulus, Act. 24. *Neque in Templo invenerunt me cum aliquo diſputantem*, vel concurſum facientem turbæ, aut in Synagogis. Et Mat. 23. 6. *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis*. Mar. etiam 12. 26. Luc. 11. 43. & 20. 46.

24 *Templum quid.*

Cùm verò dicitur, reperiſſe eum in Templo, intelligenda non ſunt interiora Templi: nam eò pauci, & quidem rarò commeabant: ſed nec Atria Sacerdotum, aut mundorum. Arias autem Montanus in Apparatu, ad Templi portam Orientalem, locum fuiſſe indicat, in quo ſummi Legis Magiſtri, & Scribæ populi, vel Interpretes docebant. Omnia autem loca circa Templum, nomine Templi deſignabantur. Porrò autem, Scholarchæ

chæ hîc, & Magiſtri diſſerebant de Lege, eamque interpretabantur. Auditores, qui legentibus & exponentibus aderant, ſi quid ipſis occurrebat dubium, vel difficile, ſolutioneque nodus dignus, interrogabant Doctorem, & explicationem deſiderabant. Et vice versâ, Prælector, ſive Doctor, de difficilioribus interrogabat, & reſpondebant interrogati. Dubitari non debet (ait Caſtrius, verè quod opinor) puerum Jeſum ſuis interrogationibus dedi ſſe occaſionem Sacerdotibus, Scribis, & cæteris in illâ coronâ præſentibus, de Meſſiâ, quem pleriq; jam tum per illa tempora venturũ expectabant, loquendi. Atque ita de eâ re ſubortum tunc ſermonem: tùm, quia ipſe ſuæ Matri dicebat, *Nonne in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* tùm, quia deinceps natu major, & miniſterio initiatus, quoties aliquam Synagogam ingrederetur, vel Templum, de nullâ aliâ re, quàm de hâc, ſermonem frequentiùs inſtituebat. Cùm ergò hoc unicum fuerit negotium, illi à Patre ſuo commendatum, & in his, quæ Patris erant oportuerit illum eſſe: Certè non eſt à veritate alienum, eum hâc ipsâ de re ſermonem in Templo inſtituiſſe, & Doctores interrogatum. In hanc ſententiam deſcendit Barradus, συμφημὶ κἀγώ: Nec probare poſſum Neotericorum quorundam ſententiâ, qui de re quâvis interlocutoriâ, vel ὡς ἔτυχε incidente, velut confabulantes, & tantùm non garrientes Doctores, & cum iis Jeſum Chriſtum ſubintroducunt.

In hunc autem finem & proceſſum optimè congruit 25
Gregorii obſervatio in Paſtorali. *Vigilanti conſideratione* 3ª. par. cá.
penſandum eſt, quod cùm Jeſus annorum duodecim, dicitur in 26.
medio Doctorum ſedens, non docens tamen, ſed interrogans invenitur. Quo exemplo, ſcilicet, oſtenditur, ne infirmus docere quis audeat. Si ille puer doceri interrogando voluit, qui per Divinitatis potentiam, verbum ſcientiæ ipſis Doctoribus miniſtravit. Optimè ille, inquam, & ad noſtros mores informandos, & reformandos, accommodatè, apud quos, *ad præproperam praxin, è præpoſterâ lexi*, quotidiè prodeunt: vix ἐπ χαλάσης ὕλης, ad declamitandum de ambone, pulpito, loco ſuperiori. Oratores novi, ſtulti fortaſſis, certè adoleſcentuli, qui ὀπ τῇ πήγῳ, quòd dicitur,

τὸ κεραμεικὸν, non ante in Ceramico, μαρτύρομαι. *Pudore suffusus sum*, aît in Apologetico Nazianzenus, *in multis, qui cum cæteris nihilo sint meliores, imò præclarè cum illis agitur, si non multò sint deteriores, illotis se, quòd dicitur, manibus, & profanis, nec initiatis mentibus, rebus sacris ingerunt: & antequã digni sint qui Templa adeant, thronũ ambiunt Episcopalem. Trudunt, obtrudunt, & impellunt se ad mensã sacrã, ac si persuasum haberent, esse hunc ordinem, non virtutis typũ, sed ad victũ comparatam rationem: nec ministeriũ rationi reddendæ obnoxiũ, sed imperiũ absolutũ, nec subjectũ ratiocinio. sunt q; ferè numero plures, quàm sint quibus præficiantur. Quoad pietatem, miseri; quoad claritudinem, infœlices: adeò ut quòd mihi videtur, progressu temporis & augescente malo, nemo planè relinquatur quib, præesse possint, cùm singuli doceant, singuli prophetent, ita ut etiam Saul inter Prophetas habeatur.*

Ἠχνωθλιῶ δ', ὑπὲρ τῆς πολλῆς, ὅτι μηδὲν τῆς ἄλλων [illegible]ίους ὄντες, μέγα μὲν ἂν, εἰ καὶ μικρῷ χείρους, ἀνίπποις χερσὶν, ὁ δὲ [illegible], καὶ ἀμυήτοις ψυχαῖς τοῖς ἁγίοις ἐπιτιθέασι θεσσάγγους. καὶ πρὶν ἄξιοι γένεσθαι θεσπέσιαι τοῖς ἱεροῖς, μεταπίπτουσι δ' ἐθέλουσί τε, καὶ ὠθοῦσι δὴ τὴν ἁγίαν τράπεζαν, ὥσπερ οὐκ ἀρετῆς τύπον, ἀλλ' ἀφορμὴν βίου, τῷ τοιῷδε τούτῳ εἰ νομίζοντες, οὐδὲ λειτουργίαν ὑπεύθυνον, ἀλλ' ἀρχὴν ἀνεξέταστον. ὧν εἰσι κεδνοὶ πλείους ἀριθμὸν, ἢ ὅσων ἄρχουσι. λεπτοὶ τῆς εὐσεβείας, καὶ ἄθλιοι τῆς λαμπροτήτος, ὥστε ἐμοιγε δοκεῖν, θεσπίστου δ' ἀρχόντος, καὶ δ' κακῶς μηδὲ ἔχειν λεπτὸν, ὧν ἄρξωσι, πάντων διδασκόντων, καὶ πάντων προφητευόντων, ὥστε καὶ Σαοὺλ ἐν τοῖς Προφήταις.

26 Hæc ille, & multò quidem plura in eandem sententiam: nostrorum hominum prædicantium προπέτειαν & temeritatem, veluti καὶ προσομοιῶν φιλοτιμίαν. De quorum plerumque audaciâ, stultitiâ, & temeritate in dispendium, si non in ruinam theologiæ grassantium atque ambitione intolerabili, non minus licebit obstupescere, quam Doctores tunc Judæorum stupebant super prudentia & responsis ejus. sed quid facerent? Non est alia magis, ad infulas, & honores ratio compendiaria, quam titivillitia de ambone vænum dare.

Et dixit mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis sic? Hoc est cur, à nostro consortio, nobis insciis & inconsultis recessisti. Non opinor hæc profatur B. Mater exposturlando, nedum objurgando: tantum verò scisitando, quasi diceret, Et ubinam fuisti? Atque ita videtur innue-

re

re per reſponſum ſuum Jeſus: Neſciebatis quòd oportet me Patris mei negotia procurare? ſed & illud ἐνοπτὸν καὶ εὐπαθὲς, à quibuſdam legitur annotatum: Beatam Matrem hoc ipſum non ſtatim protuliſſe, in illâ coronâ, & conſeſſu frequenti tum præſentium, coram omnibus, ſed poſtquam, finitâ diſputatione, & cœtu diſſoluto, inde receſſerant, tum privatim interrogaſſe, *Cur feciſti nobis ſic? Pater*, inquit, *& Ego, dolentes, quærebamus te.* Joſephum adſcribit curæ & ſollicitudini, & quidem, quæ ipſius erat humilitas, priore loco nominatum, Pater & Ego, non Ego & Pater, cum tamen non eſſet Joſepho genitus. Et eſt hæc ab Auguſtino profecta ſententia: Chriſtum pepererat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei, *Ecce, concipies in utero tuo, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Mariæ erat parere filium altiſſimi, quæ erat humillima: nec ſe Marito, ne in ordine quidem nominis præferebat, ut diceret, Ego & Pater tuus, ſed Pater tuus & Ego, dolentes, quærebamus te. Vir juſtus Joſeph, licet de ſe genitum non fuiſſe ſciret, tamen non aliter quàm genuinum germanum diligebat: & ob eam cauſam Patrem eum appellat Beata Mater. Nec ob eam ſolam cauſam, ſed honoris habendi gratiâ; quod nutritius eſſet, quod vulgo pater putabatur. Ita enim ſe, Scriptores ſacri, ad morem vulgi non infrequenter ſolent accommodare. Dolebat uterque verè vehementer de amiſſo; ſed Mater proculdubio magis: non quòd timeret illum in manus Archelai tum incidiſſe, quòd putabat Antoninus: non quòd ſubdubitaret, ne fortaſsis in Cœlum ſublatus, tranſlatus fuerat, quod ridiculè opinabatur Origines: neque propter ſuam incuriam & negligentiam, quam novitii quidam protervè ſolent hic & petulanter, ne dicam impiè ὑποδιγματίζειν, & vehementer exaggerare: ſed ex affectu materno, & illâ ſtorge, quam vocant naturali, qua parentes complecti ſolent liberos, imprimis primogenitos, & unigenitos; propter ejus abſentiam, quem multis nominibus dilectum habebat, angebatur. Quocircà, nec reprehendit Dominus maternum hunc affectum, licet ſtylo videatur uti reprehenſorio: *Quid erat quod me quærebatis? An neſcitis? &c.* Nec Calvinum hic audire vel poſſum

poſſum vel debeo æquo animo, ſemper iniquior in beatam Virginem cum ſit, & hic ſcribat, meritò à Chriſto reprehenſam. Ignorans enim nemo peccat, nedum gravitèr, per facti, ut vocant, ignorantiam. Nec maternus affectus in prolem ſuam, qui non modum exceſſerit, & menſuram, vituperari debet, ſed laudari potiùs. Neſciebat certè abſentiæ cauſam, & ignorantiâ igitur laborabat, non tamen defectus alicujus, ſed puræ & meræ negationis, quæ culpabilis non erat.

27 Finito hoc colloquio, poſt inventum in Templo puerum, ſtatim Hieroſolymis exeunt, & deſcendit cum iis, inquit Evangeliſta, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis: Hoc eſt, apud eos, in ipſorum ædibus verſabatur, uſque dum revelabatur Iſraeli. Ubi illi vitæ ſtudio, & ὑποτυπώσεσι deditus agebat, quibus Joſephus utebatur. Nec deinceps, uſque ad manifeſtationem ſuam Iſraeli, ulterius aliquod ſpecimen Divini ſui officii dabat. Hâc portò breviſſimâ perioche Scriptor ille divinus, & θεοφορούμενος, totam deinceps vitam, & vivendi rationem, uſque ad illam ἀναφάνησιν, comprehendit. Si ergò ſciſcitari quis & ſcire velit, quid agebat Dominus anno decimo tertio, decimo quarto, & ſequentibus, uſque ad triceſimum inchoatum, hoc reſpondere licet, & hoc tantùm verè; *Erat ſubditus parentibus ſuis*: utrique ſcilicet parenti obſequentiſſimus. Illud enim quod in Actis ait Beatus Lucas, *Cepit facere & docere*, ut priùs agendi exemplo præiverit, quàm præcepto obſtrinxerit ad obediendum. Hoc etiam ab infantiâ, & ipſis incunabulis locum habet: *Vixit enim Chriſtus ut obediret*, Auguſtinus inquit, *vivendo docuit ut obediret, in vitâ paſſus ut obediret, morte paſsiones conſummavit, & ſic perfectè obedivit.* Et eſt hæc quidem forma, & ἐκτύπωσις totius perfecti Chriſtianiſmi. *Optimus enim miniſter tuus eſt Domine, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipſe voluerit, ſed potiùs hoc velle quod à te audierit.* Ambroſii de hâc re commentatio illuſtris eſt. *Quid magiſter virtutis, niſi officium pietatis ut adimpleret: Et miramur ſi Patri defert cœleſti, qui ſubditur matri? Non utique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubjectio fuit.* Et iterum paulò poſt. *Diſce potiùs tuæ utilitatis præcepta, & exemplar agnoſce pietatis. Diſce quid*

parenti-

parentibus tuis debeas, cùm leges à patre filium, non voluntate, non opere, non tempore diſcrepare. Tu matri debes pudoris initium, virginitatis diſpendium, partus periculum: matri, longa faſtidia, longa diſcrimina, cui miſeræ, in ipſis votorum fructibus majus periculum eſt: & cùm ediderit quod optavit, partu ſolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar, pro filiorum profectu? quid multiplicatos alienis uſibus cenſus? jactaque agricolæ ſemina, poſterorum ætatibus profutura? Nonne probis obſequia ſaltem oportet rependi? Hæc ille: ante quem & Origenes præclarè meditabatur. *Diſcamus filii ſubjecti eſſe parentibus noſtris, major enim hîc minori ſubjicitur. Nam quia majorem Joſephum ætate videbat, propterea eum parentis honore coluit; omnibus omnium liberis exemplo præiens, ut obſequium præſtent parentibus ſuis. Quòd ſi patres illis in vivis non exiſtant, ſubjiciantur illis qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus & filiis? ſi Jeſus, filius Dei, ſubjicitur Joſeph & Mariæ, ego non ſubjectus ero Epiſcopo, qui mihi à Deo conſtitutus eſt pater? Non ero ſubditus presbytero, qui mihi à Deo conſtitutus eſt Pater, & Domini dignatione præpoſitus eſt? Puto quod intelligebat Joſeph, quia major quàm ipſe fuit Jeſus, qui tamen ipſi ſubdebatur: & ſciens majorem eſſe ſubjectum, trepidus imperium moderabatur. Videat ergò unuſquiſque, quod ſæpè accidit, ut ipſe melioribus præponatur, cùm ſit inferior. Et nonnunquam accidat, ut ille qui ſubjectus eſt, melior ſit eo qui ſibi videtur præpoſitus eſſe. Hoc cùm intellexerit dignitate ſublimior, non elevabitur ſuperbiâ, ex eo quod major eſt, ſed ſciat, ita ſibi meliorem eſſe ſubjectum, quomodò & Jeſus ſubjectus fuit Joſepho.* Hoc loco Ariani abutebantur, ut & plurimis aliis ad oppugnandam Chriſti Divinitatem. Sed cum πάντα διπλᾶ ἁρμόττῃ τῷ κυρίῳ, improbè & inſulsè ad Divinitatem ea referebant, quæ de carne ſcripta prædicantur.

Subjectionem porrò iſtam ad fabrilem pertinere diſ- 28
penſationem volunt, per quam ſe Chriſtus in nutricii & educatoris ſui Joſephi arte & profeſſione exercebat, unde victum & veſtitum ſibi, exinanitus in ſervi formâ conquirebat. Quod ſatis videtur conſtare ex evangelio. Imprimis illud ſtatuendum eſt, ut cum pietate & honore Chriſti conjunctum, nequaquam vixiſſe otioſè, ſed

nec

nec contemplationi, quam vocant, totum ſe dabat, aut vitam Aſceticam, vel Anachoreticam, aliis curis vacuus, ſectabatur, quod quibuſdam aliquandò videbatur. Filius enim hominis venit edens & bibens, hoc eſt, more quodam communi & uſitato, inter homines verſabatur. Quod utcunque propriè atque primariò, de tempore miniſterii ſuſcepti & exerciti intelligatur, tamen & ad ſuperiorem etiam ἀναστροφὴν, ab ineunte ætate referri poteſt: eóque magis, quòd parùm videri poſſet, cum ſuperioris vitæ conſuetudine, aut rectâ etiam ratione conjunctum, tam ſubitò à meraciſſimâ Theoriâ, ἀσκήσει, & ἀναχωρήσει, ut volunt, ad popularem vivendi modum tranſire. Certè parentibus ſuis ſubditus erat, in ipſorum ædibus Nazarethanis inquilinus, non alicujus eremi, aut cellæ anachoriticæ incola.

29 Quocirca ridiculè, ſi non impiè, Paulus Burgenſis addit. 1. in Marc. 6. cenſuit: Cùm Chriſtus ſummum gradum contemplationis attigerit, nullo modo dici potuit otioſus, etſi ab omni actione, ſeu exercitio corporali ceſſaſſet. Hoc enim pertinet ad vitam contemplativam, otiari, & ab omni externâ actione ceſſare: & ideò irrationabile eſt, inquit, attribuere Chriſto exercitationem in artibus mechanicis, ad removendam ab eo otioſitatem. Neque ex hoc, quod illi de Nazareth ipſum fabrum vocabant, concluditur ipſum fuiſſe fabrum, ſed fabrum eum dicebant, ad vilipendendam ejus doctrinam: vel dicendum, ſecundum Auguſtinum, quòd fabrum Chriſtū dicebant, quaſi fabri filium. Sed nec ipſummet Auguſtinum audio, De conſenſu Evangeliſtarum, lib. 2. cap. 42. ſi & ille ſentiebat, ita ſentiebat Chriſtum fabrum appellatum, non quòd eſſet faber, aut illam artem exerceret, ſed tantùm quòd fabri filius putabatur. Utramque adhibent Evangeliſtæ interpretationem, ut eò diſtinctiùs, illum minimè otio indulſiſſe, ſed artem excoluiſſe indicarent. Miror autem Barradium in ſtultam illam Pauli Burgenſis, ſi non impiam opinionem, dixiſſe ſe propendere: nempè, Quòd inſtar religioſi viri, veroſimile ſit vitam duxiſſe Dominum: & orationibus, jejuniis, ſpiritualibuſque rebus, potiùs quàm fabrili arti vacâſſe. Illas ipſius ἀσκήσεις, libenter concedimus ab ipſo frequentatas;

tatas; at non eſt neceſſe ut propter jejunia, orationes, & omnimodam, ſi velint, σχολαστικίαν, atque ἀσκησιν, ab omni arte & exercitio eum amoveamus, & otio torpentem blaſphememus. Stultum eſt & ridiculum, quod affert Barradas. *Quis dixerit Dominum, ut ſolent fabri, per alienas ædes opera fabrilia exercuiſſe? conſcendiſſe tecta, ligna cum aliis fabris dolâſſe.* Reſpondeo. Ego ita dixerim; & nemo non hoc dixerit & crediderit, qui non de Marcionis Scholâ, aut Docitarum, hominis formam, humanam converſationem, & illam in carne humanâ divinam, ſtupendam οἰκονομίαν, Deo indigna fuiſſe judicaverit, atque ideò negaverit incarnationem. Quid enim magis indignum Domino, neque adhuc manifeſtato, per alienas ædes & urbes victitaſſe: operas fabriles exercuiſſe; in illâ ſuâ exinanitione, quàm in & per functionem ſuam obitam, apud menſas aliorum, in alienis ædibus ſuſceptam, comediſſe: quàm mulieres habuiſſe ſectatrices, quæ de ſuis facultatibus, ipſius miniſtrarent neceſſitatibus. Nec aliquid juvant quæ adtexuit Barradas: neque enim habemus illa neceſſe admittere: *Ita fabulis eum, ac ſermonibus indecoris affuiſſe*, ſtultum eſt, ut cætera, & ridiculum. Ita enim nec verſatus eſſet inter homines; cùm exire de vitâ neceſſe ſit illum, qui nolit ea interdum, quæ profana ſunt & impia audire. Non intereſſe hujuſcemodi ſpurcitiis, ſed cum aſſenſu & delectatione intereſſe improborum conſortio, vel ſodalitatibus, vituperandum. Exeundum eſt, ut dixi, de mundo, illi, qui cum improbis verſari nolit: ſed ei qui cum ipſis verſatur, non eſt neceſſe ut adſit, vel aſſiſtat, approbando. Itaque planè deſipiunt Novatores: ſolidiùs Chriſtophorus à Caſtro. Si Chriſtus in diſcendis literis non occupabatur, proculdubiò in arte aliquâ exercebatur; & in quâ certiùs quàm in eâ, in quâ ſe Joſephus exercebat, hoc eſt, fabrili.

Eſt hæc communis veterum ſententia, & recentiorum quoque non νεωτερίζόντων. Juſtinus ὁ πάνυ, cum Judæo Tryphone διαλεγόμενος, ait. *Cùmque veniſſet Jeſus ad Jordanem, ut tunc putabatur, Joſephi materiarii fabri filius, ipſe quoque obſcurus, ut Scripturæ prædixerant, & pro fabro habitus: ſolebat enim dum inter* 30

homines ageret, aratra fabricare atque juga; ut per has figuras juſtitiam doceret, & reipsâ fugam otii. Et aliâ vice in eodem libro ait: *Cùm fabri quoque lignarii filius haberetur, informis ſcilicet, quemadmodum Scripturæ annunciaverant, apparens, faberque & ipſe putaretur eſſe, fabrilia namque, cum in hominibus eſſet, faciebat opera, aratra, & juga boum conficiens.* Ita & Ambroſ. ſerm. 16. de Natali Dom. *Faber, pater dicitur Chriſti: & planè faber, pater Deus, qui totius mundi opera fabricatus eſt: Et planè faber, ſed qui in diluvio Noe arcam fabricare diſpoſuit: Faber, inquam, eſt, qui ordinavit Moyſis Tabernaculum, Arcam teſtimonii inſtituit, Templum Salomonis erexit. Hic autem Faber circa arbores curvo utitur ferramento, ſicut in Evangelio legimus, dicente Johanne, Jam ſecuris ad radices arborum poſita eſt. Hoc etiam agit totum, ut utiles cœleſtis fabricæ arbores in futuro componat, infructuoſas retro evulſas radicitùs, flammarum conſumat incendio.* Hæc ille perſequutus per allegoriam; ſed tamen quæ neceſſariò fundantur in illâ opinione, Fabrilia fabrum tractaviſſe Chriſtum. Quomodò etiam allegoriſat, Author operis in Matthæum imperfecti: ſed *ut per omnia, filii, paternæ nativitatis paternum imitarentur exemplum: idcò & Maria deſponſata erat fabro lignario, quoniam & Chriſtus, Sponſus Eccleſiæ, omnem ſalutem hominum, & omne opus ſuum, per lignum crucis fuerat operaturus.* Quam quidem fuiſſe receptam communiter ſententiam, docet Sozomeno narrata hiſtoria, lib. 6. cap. 2. quam latiùs & expreſſiùs commemorat Theodoretus, lib. 3. cap. 23. Antiochiæ vir quidam probus & honeſtus, qui longo tempore pueris informandis operam impenderat utilem, cùm eſſet doctrinâ paulò inſtructior, quàm vulgus eſſe ſolet Pædagogorum, familiariſſimè utebatur principe, illius ætatis, ſophiſtarum Libanio: qui cùm eſſet à Chriſtianâ religione alienior, & futuræ, ut rebatur, Juliani Imperatoris de Perſis victoriæ, ſpem conceperat: quærit de bono illo viro Pædagogo, per ſarcaſmum, Quid rerum tunc ageret fabri filius. Aſt ille, repletus divinâ gratiâ, & id quod paulò poſt eventurum erat prædicens, reſpondet, Sandapilam tunc concinnare, totius hujus mundi fabricatorem (is quem tu, inquit, Sophiſta, fabri

filium

filium nominaſti,eſt) tuo Imperatori foràs deportando. Conſentiunt autem de fabrili arte, Hilarius, & Petrus Chryſologus: ille Can.14. in Matth. hic ſerm.48. licet diſſentiant de ſubjecto artis, & fabrum fuiſſe ferrarium Joſephum, non autem lignarium arbitrentur. *Non credunt hoc in homine Deum agere, quin & patrem ipſius, matrem, fratreſque nuncupant, & paternæ artis quodam opprobrio laceſſunt. Sed planè hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem ſæculi virtutem judicio decoquentis, maſſamque formantis, in omne opus humanæ vitæ.* Et Chryſologus. *Dicebant, hic eſt fabri filius, ſed cujus fabri filius, non dicebant. Dicebant, fabri filius, ut arte vili ars lateret authoris, & Deitatis nomen fabrile nomen abſconderet. Chriſtus erat fabri filius, ſed ejus qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto: qui elementorum membra, non ingenio, ſed juſſione compegit: qui maſſam ſæculi authoritate conflavit, non carbone: qui ſolem, non terreno igne, ſed ſuperno calore ſuccendit: qui lunam, tenebras, noctem formavit, & tempora: qui ſtellas variatâ luce diſtinxit: qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit, ô homo, tibi, ut opificem, operis æſtimatione penſares. Sed tu Judæe, hujus fabri filium nôras, cui, pro tantis beneficiis repenſare vicem deberes in filium.*

Concludam autem hunc locum de ſubjectione, teſti- 31
monio Baſilii in Aſcet. *Cum primâ ſuâ ætate parentum imperio eſſet ſubjectus, & labores corporis omnes, æquo cum illis animo, ipſis obediens toleraret; veriſimile eſt eum, cum homines illi eſſent, & juſtitiæ & pietatis cultores, tenues tamen, ſolitos eos, in aſſiduis corporis laboribus verſari, & hâc ratione quotidianum ſibi victum quæritare. Porrò, Jeſus cum his, ut divinæ literæ prædicant, ſubjectus eſſet, ſine dubio, in perferendis, unà cum ipſis, laboribus, morigeram declarabat ſuam obedientiam:* Multò rectiùs id ſcilicet ſtatuit Baſilius, quàm quod ridiculè, & parùm piè & honorificè, quod ſpectat Servatorem, de otio, vel contemplatione, otioſi homines, aut malè feriati, comminiſcuntur.

Hactenus de puero Jeſu, ſacrati hiſtorici, nec ulterius 32
aliquid enarrant, ab eo geſtum, uſque ad inceptum, ineunte anno triceſimo, miniſterium. Hoc eſt vitam, &

vivendi ipſius. rationem per annos octodecim ſilentio tranſmiſere. Lucas, illam totam tot annorũ ἀναφορὰν, hiſce duobus capitibus abſolvit; quòd deſcendens cum parentibus Hieroſolymis Nazaretham, ibi habitaret; & quòd iiſdem parentibus ſubjiciebatur. Et ſecundò, quod plenus erat, in illa ætate, & illa vivendi ratione, ſpiritu atque gratiâ, cùm apud homines, tùm apud Deum: ætate proficiens, more, ſcilicet, aliorum hominum: tantum ſine peccato: & modo quodam ſibi peculiari. Ait enim προέκοπτε, hoc eſt, progreſſum fecit, & profectum magnum. Profecit ἡλικία, hoc eſt, ætate, vertit vetus Interpres, & rectè. Eſt autem ætas, medicorum aiunt filii, Annorum decurſus, corporis immutans temperamentum. Quod autem in anno tempus, hoc, in hominis vitâ, ætas eſt, non eâdem ſemper temperie prædita. Quocirca, dici poſſit, fortaſsis non immeritò, vocem ἡλικίαν, hoc in loco, corporis ſtaturam denotare: uti Mat. 6. 27. & Luc. 19. 3. Ad modum igitur & menſuram naturalem, augebatur ipſi quotidie corporis moles: quemadmodum ab ipſo utero, & incunabilis, ad ipſam uſque ἀκμὴν, & convenientem temperamento conſtitutionem. Hoc eſt, quod prius dicebat Evengeliſta, ἠύξανε, augmentum capiebat. Qui enim tentatus fuit, inquit Gregorius Nyſſenus, per omnia ad ſimilitudinem noſtram, abſque peccato, voluit etiam, διὰ τῆς ἡλικιῶν προϊέναι τὴν φύσεως, procedere per ſingulas ætates nobis connaturales. Et quomodo cum eſſet Infans, infantilem accepit ætatem, butyrum & mel comedens: ita etiam cum proceſsiſſet ad adoleſcentiam, non recuſavit id quod huic ætati erat congruens & conveniens: futurus omni ſæculo exemplum modeſtiæ. Atque ita de hoc corporis profectu non moventur lites.

Orat. in hoc dictum.

33 Quod verò dicitur profeciſſe ſapientiâ atque gratiâ apud Deum & homines, de eo non perinde conſentiunt. Ebionitæ imprimis vetuſtiſſimi Hæretici, qui merum fuiſſe hominem blaſphemabant Dominum Jeſum, de Joſepho & Mariâ, humano more modoque progeneratum; ſimul etiam affirmabant, ipſam Divinitatem ſibi communicatam, eum tùm primùm accepiſſe, cùm Spiritus ſanctus in figurâ columbæ, ſuper ipſum in Jordane bapti-

baptizatum deſcenderet: qui nullo priùs Spiritu, neq; Spiritus donis imbuebatur.

Sed impii & blaſphemi nebulones, indigni refutatione, abeant quò digni ſunt, Infernum rectà. Videndum quid de hoc profectu ſtatuant alii. Imprimis autem, quis demùm, & qualis erat hic profectus? ille non ad divinam, ſed humanam tantummodò naturam pertinebat. Deitas etenim, in æterno ſibi connaturali, tota eſt & perfecta ſimul ſui poſſeſſio. Divinitati augmentum vel profectum adſcribere, blaſphemum eſt: Sed & de humanâ naturâ, προκοπικῶς & ἀδιαλύτως Divinæ unitâ, quæſtio eſſe poteſt: & certè quæritur; cùm ab ineunte ætate, imò ab ipſo utero, & conceptione, Spiritu, ſapientiâ & gratiâ plenus fuiſſe credatur & repletus. Nec ita plenus, quemadmodum Johannes, aut etiam ipſa Beata Virgo fuiſſe plena dicitur gratiâ: aut ut Stephanus, ac alii repleti dicuntur: ſed plenus ſuo modo proprio & peculiari. Cum τὸ habere, vel poſsidere, ſequatur modum & conditionem τοῦ ἔχοντος, & cùm quicquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur. Eſt quædam gratiæ plenitudo omnibus Sanctis communis: eſt alia, ſingulis κατὰ μέτρον particularitèr commenſurata: hoc eſt, quæ ſufficiat ipſis. Et eſt communis, menſura ſufficientiæ; peculiaris autem, quorundam prærogativa: &, quæ Chriſti hominis ac capitis propria eſt, ſuperabundantiæ. Nam ὑπερεκτείνεται quicquid in illum divinitùs confertur. Opus erat illi tantâ, tali gratiæ menſurâ, non tantùm ſubjectivè, hoc eſt, reſpectu perſonæ gratiâ præditæ, θεανθρώπου exiſtentis: ſed & objectivè, eò quòd de ipſius illâ plenitudine, Sancti omnes replendi, & conſummandi fuerant. Hanc menſuram ille, non gradatim, & per novas ſubinde acceſsiones communicatam habuit: ſed quaſi σωρηδὸν accumulatam, & infuſam à momento conceptionis. Illud autem, ſi ita fuerit, quomodò dicitur incrementum accepiſſe apud Deum atque homines? Plenus fuit ſapientiâ ad annum duodecimum, docente Lucâ. Plenus gratiâ, Joh. 1. 14. & gloriâ, quandò verbum caro factum eſt: πῶς δὲ τοῦτο; 34

Veteres olim Patres, cùm Retiarii Hæretici Ariani hiſce caſsibus irretitos conſtrictoſque tenere ſatagerent 35

Orthodoxos, ita ſe conabantur expedire, ut dicerent, ipſum profeciſſe: non quòd proceſſu ætatis, plenitudini illi primigeniæ, aliquid acceſſerit ulteriùs gratiæ vel ſapientiæ: ſed ita dictum per Spiritum ſanctum, quoad nos, & noſtram apprehenſionem, ſecundùm quoſdam effectus gratiæ, οἰκονομικῶς, & paulatìm ſe exerentes. Cùm juxta menſuram ætatis corporeæ, quod Cyrillus affert, Natura Divina ſapientiam propriam, humanitati communicatam, revelaret: hoc eſt, per convenientem diſpenſationem, quemadmodum & potentiam deinceps omnipotentem, in officii & muneris ſui executione. Præditus erat, vel ab ipſo ortu, potentiâ miracula operandi; & non minore potentiâ præditus, quàm cùm Lazarum à mortuis ſuſcitaret: Illâ tamen per xxx-annos non utebatur, cùm in nuptiis Canæ, aquam in vinum commutaret. A quo miraculo, ad illud de Lazaro, dici rectè potuit, propter plurima intermedia, in miraculis edendis profeciſſe. Sententiam porrò illam antiquitatis, dum reſpondent Arianis, ſi ſequantur Lutherani, & Calviniani, quos notat Maldonatus, non eſt cur debeant accuſari.

Nam nec pugnat hæc ſententia cum illâ recentiorum, quam mutuantur à D. Thomâ, de ſcientiâ experimentali. Eſt enim illa experimentalis ſcientia, ſi ulla ſit omninò, vel eadem prorſus cum iſtâ habituali, & penitùs animæ infusâ, ſed quæ diſpenſativè & οἰκονομικῶς, prout viſum Deitati, ſeſe exerebat: vel certè non minùs adverſatur plenitudini illius primigeniæ, quàm illa altera expoſitio. Me quod attinet, non ego libentèr receſſerim ab antiquis viis, nec à ſententiâ vetuſtiorum, præcipuè in re tam magni momenti, cùm illi, per hanc ſuam interpetationem, Ariomaniam ſubverterint. Eſt hoc, meo animo, telum valdè penetrabile, de manibus Athletarum, & ἀσφαλιστῶν Divinitatis Jeſu Chriſti, excutere. Quod cùm ſoleant in multis Calvini expoſitionibus, & interdùm haùd injuriâ, reprehendere; non deberent ipſimet impingere ad eundem ſcopulum, ne & ipſi dicantur fidei feciſſe naufragium. Sed hæc potiùs ad ſcholas quam Annales ſpectant, quanquàm rem illuſtrent annaliſticam.

Con-

Concludam ῥητῶς, ſed longiore, Gregorii Nyſseni. *Quoniam in aliis quibuſvis hominibus, imperfecta habetur iſtarum rerum intelligentia, & opus erat juventuti, ut deduceretur per perfectiora, ad id quod eſt melius; propterea quod natus erat duodecim annos, matri ſubjicitur: ut oſtenderet, quòd id quod per profectum perficitur, priuſquam venit ad perfectionem, rectè dicitur ſuſcipere ſubjectionem, utpote quæ ad bonum deducat. Qui eſt autem ſemper perfectus in omni bono, & neque profectum, neque diminutionem ex ſe poteſt ſuſcipere, propterea quod non ſit indigens ejus natura, neque poſsit minui, cur nam ſubjiciatur? Nam quod eo tempore, quo in carne, cum humanâ verſabatur Natura, in ætate puerili, per ea quæ agebat, quaſi lege, juventuti obedientiam ſanciebat. Hinc patet, quòd ad perfectam ætatem progreſſus, jam non ampliùs à matris poteſtate pendebat. Illâ enim ipſum hortante, in Canâ Galileæ, ut ſuam oſtenderet potentiam, in nuptiali epulo, & uſum vini largiretur convivio, egentibus quidem non recuſavit gratificari: maternum autem conſilium, ut quod minimè opportunum adhiberetur, rejecit, dicens, Quid mihi tecum negotii eſt mulier? Nunquid etiam hanc meam ætatem regere vis? an nondum mea venit hora, quæ præbet ætati, ut imperet & ſit ſui juris? Si ergò in vitâ quæ eſt in carne, juſtus & competens ætatis modus genetricis excutit ſubjectionem, quem locum habeat ſubjectio in vitâ illius, qui in virtute ſuâ ſæculo dominatur, nemo dicere poſsit. Proprium enim eſt, ac peculiare Divinæ atque beatæ vitæ, in eodem ſemper manere, nec admittere mutationem, quæ fit ex alteratione. Cùm ergò quod erat in principio, Verbum, Unigenitus Dei filius, alienus, ab omni profectu & alteratione ſit, quomodò fiet ibi poſtea, quod non eſt nunc? Non enim hoc dicit Apoſtolus, quòd filius ſemper ſit ſubjectus, ſed quòd in fine conſummationis univerſitatis, ſubjectus ſit futurus. Atqui ſi bonum eſt ſubjectio, & res digna quæ de Deo dicatur, quomodò illud à Deo nunc abeſt bonum? eſt enim ex æquo ambobus bonum, & Filio qui ſubjicitur, & Patri, qui filii ſuſcipit ſubjectionem.* Hactenus ille Παγκρ. πατὴρ, Nyſſenus. Atque ita expeditum eſto, quòd rectè dici poteſt, de vitâ & diſpenſatione Jeſu Chriſti, ab exceſſu ex Ægypto, poſt Herodis interitum, ad annum uſque ætatis ſuæ triceſimum, cùm publicò initiatus per Spiritus San- 36

cti

cti ἐπιφοίτησιν, illud inchoaret. Neque enim ulteriùs mentionem alicujus rei geſtæ, ſed nec nomen invenimus uſurpatum Jeſu Chriſti, ab hac Hieroſolymitanâ profectione, & Andragathemate pueri duodenarii, uſque ad initium Evangelii Jeſu Chriſti, ut cum Beato Marco loquar; cùm ad Johannem baptizandus adveniret ad Jordanem. Sunt tamen alia, per illorum temporum ſeries, in Judæorum monumentis, non reticenda: eò quòd ad populum illum ſpectabant, Judæos ſcilicet, quorum partes in hac admirabili θεανθρώπῳ JeſuChriſti diſpenſatione, & οἰκονομίᾳ agebantur. Quorum ſaltem præcipua attingemus, ab Archelai exorſi deportatione, cujus, in regreſſu Salvatoris ex Ægypto, mentio habetur, Matth. 2.

37 Conſulatum Romæ gerebant M. Æmylius Lepidus, & T. Statilius Taurus, anno Urbis conditæ 764. Cæſaris Auguſti 54. ab Actiacâ victoriâ, 42. Jeſu Servatoris xiii. inchoante, cùm Archelaus, Judeæ Ethnarcha, apud Auguſtum, per Judæorum & Samaritanorum primates, accuſatus, relegatur Viennam, & regno deturbatur. Rem ita narrat in Originibus Joſephus. *Ad annum Archelai decimum, Principes Judæorum & Samaritanorum, cùm ferre non poſſent crudelitatem ejus & tyrannidem, apud Cæſarem accuſant: eò magis inducti, quòd probè ſcirent, ipſum contempſiſſe quæ dederat in mandatis Cæſar, ut populo præeſſet cum humanitate. Cæſar, auditâ accuſatione, iratus, accerſivit ipſius Procuratorem, Romæ agentem, qui & ipſe Archelaus vocabatur: Et tu, inquit, (nam literis illum evocare dedignabatur) conſcensâ navi, age eum adeas, & omni remotâ excuſatione, huc adducas. Ille profectus ſine morâ, Judæam petit, & Archelaum epulantem cum ſuis invenit: Cui cùm mandata Cæſaris expoſuerat, ad maturandam profectionem hortabatur. Cùm verò Romam adveniſſet, auditis accuſationibus, & ipſius ad eaſdem reſponſionibus, Cæſar, in exilium mittit, Viennam Galliarum urbem: facultates in fiſcum redegit. Priuſquàm verò Romam accerſiretur, tale ſuis familiaribus inſomnium ſibi viſum narrat. Nempè, decem frumento plenas ariſtas videbatur intueri, à bobus deglutitas. Excitatus è ſomno, Divinatores adhibet, eò quòd ad ſeipſum ſpectare hoc inſomnium arbitraretur. Quo narrato, Interpretes in varias ſententias diſtrahebantur: At Simon quidam,*

Lib. 17. *cap.* 15.

dam, ſectâ Eſſenus, veniam priùs deprecatus, ſi quod verum arbitrabatur enunciaret: ait, ſibi videri hoc inſomnio, rerum mutationem Archelai ſubindicari, nec aliquid boni portendere. Boves etenim, laborem & ærumnas ſignificare, propterea quòd ſit animal miſeriæ aſſuetum. Mutationem verò, ob eam cauſam denotari, eò quòd tellus, boum labore arata, & convulſa, ſtatu in eodem conſiſtere nequeat. Ariſtas, numero decẽ, tot annos intimare, cùm ſingulis annis per ætatem demittantur: atq; ita decem annos regni Archelao terminatos: Atque ille ad hunc modum illud viſum interpretabatur. Quinto autem die, poſtquam hoc inſomnium viderat Archelaus Rex, ille alter Archelaus, Cæſaris juſſu, appulit in Judæam, eum Romam, ad cauſam dicendam, adducturus. Hæc ipſa referuntur ab eodem Joſepho, per omnia, in 2. de bello, cap. xi. niſi quòd anno nono contigiſſe hanc deportationem, & novem ariſtas vidiſſe illum narret, non decem.

Non hæc diſſentiunt inter ſe, quod & fatetur Salianus; alioquin in Joſephum ſemper iniquior. Quod enim negotium anno nono inceptum, & decimo tranſactum dicitur, vel iſti, vel illi anno non incommodè adſcribi poteſt. Triplex in Italiam de Judæâ, aut de Judæâ in Italiam navigatio inſtituta commemoratur. Accuſatorum una, Procuratoris altera, tertia ipſius Archelai: ut cum veritate ſit conjunctum, illum non niſi decimo anno currente regno pulſum, atque ita Joſephum ſecum conſentire. Calumnia eſt igitur Baroniana, ad annum Chriſti xvi. Joſephum ſibi parùm conſentire: Error autem ejuſdem planè portentoſus, quo illum relegatum ſcribit, duobus Nepotibus, Pompeio & Apuleio Conſulibus: hoc eſt, anno Auguſti ultimo, vel forſitan poſt exceſſum Auguſti, ſub Tiberio. Sed ita illum deſipere neceſſe fuit, qui vitam Herodis primi, contra omnem fidem, hiſtoriam, rationem, probabilitatem, ad annum Jeſu Chriſti octavum produxerat, quod Baronius fecit, novo & inaudito, quòd fatetur ipſe, auſu. Rectè autem Dio, quem & eundem reprehendit, ipſe omnimodo reprehendendus, Joſephum ſecutus & veritatem, Archelai deportationem Viennenſem, in Conſulatum retulit Lepidi & Arruntii, quo nos illam, Dionem ſecuti, contra novationes aliorum, conſtituimus. Errat tertiò,

38

ex eodem fonte Baronius, quòd ſect. iii. ait, Joſephum noluiſſe Bethleemum adire reducem ex Ægypto, eò quòd Archelai tyrannis omnibus erat nota. Nam vergente ad finem Ethnarchiâ Archelai, reditum ille ſtatuit ex Ægypto: Non enim mores, ſed regnum reſpiciebat Joſephus, quanquam & mores illius, ante regnum, erant omnibus ſatis explorati. In Galilæâ Antipas gubernabat, ſed erat ille mitiori ingenio: non Rex, ſed Tetrarcha: ad quem regnum Judæorum, Chriſti titulus, non pertinebat, qui tamen ſpectabat ad Archelaum, & Regem, & in Judæâ Regem: quem jure merito, ob hoc ipſum Joſephus formidabat, cùm non improbabilitèr exiſtimaret, veteres illos rumores, de Rege Judæorum nato, & jam reverſo, renovandos. Et hæc eſt, meo animo, veriſſima ſeceſſionis in Galilæam cauſâ, quam nec attingunt Analiſtæ, vel Interpretes.

39 Redacto in ordinem Archelao, & Viennam Galliæ relegato, venit in Syriam & Judæam, jam iterum provinciam factam, præſes Româ miſſus, P. Sulpitius Quirinius. Idem ille qui ante annos xiii. dum naſceretur Jeſus Chriſtus Bethleemi, eaſdem in regiones venerat, ab eodem Imperatore Auguſto miſſus, ſed non cum eâdem authoritate. Tunc enim venerat tantùm ἀπογραφόμενος provincialium nomina, origines, facultates, tributum minimè exactans. Advenit hac vice, cum ordinariâ præſidis authoritate, poteſtatem vitæ neciſque ſortitus, cenſus agendi, tributum exigendi à provincialibus, & quod tunc temporis occaſio ſuggerebat, res Archelai damnati, de more, redigendi in Imperatoris fiſcum. In hac, de Quirinio, illiuſque ἀπογραφῇ & ἀποτιμήσει, mirum in modum luſit induſtria, & hæſit ad metas judicium & eruditio, quòd oſtendimus, Baroniana. Diverſa erant etenim tempora, quæ confudit: actiones non eædem, cauſæ diverſæ, eventus & conſequentiæ diſparatæ. Ibant enim tum, & profitebantur ſponte, ſine querelâ: at poſt Archelaum relegatum, per Judam & Simonem Galilæos, turbæ & ſeditiones concitatæ: ſed turbas illas, anno inſequenti contigiſſe putamus, compoſitis in provinciâ rebus per Quirinium ordinariis.

40 Annus Jeſu Chriſti xiv. decurrebat, ſub Conſulatu T. Julii

Julii Germanici, & Fonteii Cæpionis, cùm propter cenſus actos, & tributum exactum, in Judæâ tumultuatum eſſet; Duce & Signifero quodã Judâ Gaulonite, Galileâ oriundo. Meminit iſtius ſeditionis flabelli, Gamaliel in Actis Apoſtolicis, cap. 5. 37. *Poſt hunc extitit Judas Galilæus, in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe: & ipſe periit, & omnes quotquot ei conſenſerunt diſperſi ſunt.* Rem narrat Joſephus in xviii. Antiquit. cap. i. Et breviùs in 2. ἀλωσ. cap. xii. Επὶ τούτῳ, τὶς ἀνὴρ Γαλιλαῖος, Ιούδας ὄνομα, ἐις ἀπόϛασιν ὤτρυνε τὺς ὑπηκόους, κακίζων, εἰ φόρον τε Ρωμαίοις τελεῖν ἐπωμνύοιεν, ϗ μετὰ τὸν Θεὸν, ὁισύοιεν θνητὺς δεϛοτὰς. *Illo Præſide,* (niſi legamus ὑπὶ τούτοις, deinceps) *Vir quidam ortu Galilæus, cui nomen erat Judas, ad defectionem indigenas induxit faciendam, ignaviam illis objectans, & legis tranſgreſſionem: vel etiam maledictis inceſſens, ſi Romanis tributum pendere, vel quoſvis mortales Dominos agnoſcere, præter Deum ſuſtinerent.* Ambigua vox eſt illa κακίζων, videtur autem, quod in verſione expreſſimus, cùm officium in Deum, tùm animi magnitudinem reſpicere, proditum à ſolventibus teloneum. Hoc enim illa volunt, in eadem narratione, in 18. Antiquitat. 1. Τιμὼ δ' ὄχλος ποιήσεσθαι δ' μεγαλόφρονος, ϗ τὸ θεῖον, ὀὐκ ἄλλως ἢ ὑπὶ συμφράξῃ τῆϛ βουλευμάτων, ἐις τὸ κατορθῦν συμπεφυκέναι μᾶλλον, &c. Totum locum habemus latinè expreſſum, in primo annal. Baron. anni primi, ſect. 59. *Extitit quidam Judas Gaulonites, ortus ex oppido Gamala, qui adjuncto ſibi Phariſæo Sadoch, ſolicitavit ad defectionem populos, cenſum nihil aliud eſſe, quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem dictitans, & univerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Fore enim ut re benè geſtâ, fortunis ſuis fruantur felicitèr, & confirmati in earum poſſeſſione, laudem ſibi quoque parent fortitudinis: nec ſperandum auxilium cœleſtis numinis, niſi quoque ipſi ſuis rebus conſulant.*

Illuſtriſſimus Baronius hanc Joſephi narrationem ſic 41
accipit & interpretatur, quaſi Signifer ille ſeditionis, ſub prætextu divinæ legis in tributi ſolutione violatæ, populos ad arma impulerit capeſſenda. Nec abludit à verò conjectura. Religionem enim, juſtitiam, bonum publicum, & quæ ſunt ejus generis, præclaros titulos libertatis aſſerendæ, vel potiùs exercendæ tyran-

nidis ſuæ ſibi ſolent preferre, pacis publicæ peſtes, & alaſtores quilibet, ut faciliùs acquirant ſibi adjutores: cùm facilè religione commoveantur omnes. Quærit autem τοῦ κείτου, ubi ſcriptum aliquid, per divinæ legis volumen, legebatur, quod illi in rem ſuam convertere, vel ex animi ſententiâ explicare poſſent. Suggerit quod habetur Deut.23.18. *Non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael.* Et quod Deut.6. legitur, *Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſervies.* De loco priore putant viri eruditi, deceptum omninò Cardinalem, non potuiſſe Judam illum textum allegare, quòd Judæus eſſet, cùm non habeatur in Hebræo, quod inde citant; ſed tantùm in verſione lxx. quâ nunquam uteretur ille Gaulonites; quia non erat Helleniſta Alexandrinus, qui ſoli illâ utebantur, ſed natus, ortus, educatus in terrâ Canaan, ubi odio habebatur illa tranſlatio. Sed hæc vel commentitia ſunt, & gratis dicuntur: vel nullius planè ſunt momenti. Falſum eſt Judæos, præſertim per illa tempora, deteſtatos Septuaginta Seniorum verſionem: Phariſæi forſan, & Scribarum nonnulli, ab illâ abhorrebant, non autem omnes ſine exceptione. Nam Judæorum Eſſenos, ſectam rigidiſſimam, & Moſaicis ſcriptis addictiſſimam, conſtat illâ uſos, ſolâ uſos, & tantùm non veneratos. Joſephum conſtat non fuiſſe Helleniſtam Alexandrinum, ſed Sacerdotem Hieroſolymitanum, & Phariſæum, qui tamen nuſquam Hebraicos Codices ſequitur, ſed ubique Seniorum verſionem. Apoſtoli, Jeſus ipſe Chriſtus, non ſunt Helleniſtis adſcribendi, ſed puris putis Judæis, Judæam incolentibus; qui tamen, quod ſcimus, illam verſionem ubique adhibent, non conſultis Hebraicis authenticis codicibus, quos appellant. Odium illud, quod ingerunt, Judæorum in Septuaginta Seniorum interpretationem, ab exortu ſuccreverat Chriſtianiſmi, quòd fidem, quæ erat in Jeſum Chriſtum Dei filium & Meſſiam, magis ex illâ Interpretatione ſtabiliri putarent, quàm ex ipſis Hebraicis literis: quod verum eſt. Cùm propter vocum ambiguitatem, in diverſos ſenſus ſententiæ diſtrahi poſſent, & detorqueri. Toto cœlo ergò errat eruditus Baronianæ induſtriæ Cenſor, qui tam incommodè de Judæis illa prodidit, & Helleniſtis.

Verum

Verum eſt, ſciebat quidem Baronius, non legi hæc verba, in Latinâ verſione vulgatâ, & διαῤῥηδὴν ita profitetur. Non autem neſcius erat, quod imputat Animadſor, in vulgatis Hebraicis codicibus non haberi: id autem etiam implicitè profitetur, cùm ſcribat in vulgatâ verſione, quod verum eſt, deſiderari. Sciebat enim Baronius, & agnoſcit, vulgatum illum Interpretem non ſecutum verſionem lxx. ſed Hebraicos, qui tum extabant, codices: eoque magis, quod Hieronymum profiteatur authorem illius, qui de Hebræo tranſtuliſſe, ponitur utrinque in confeſſo. Ad locum autem ipſum quod attinet, neſcio cur tranſtulerit Tertullianus, nam ab illo hoc profectum eſt, Libro de pudicitiâ, cap. 9. *Non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael.* Nam Hieronymus ad Damaſum, epiſtola 146. non illa vel laudat, vel ſequitur, tantùm repreſentat è Tertulliano, cujus ſententiam inde collectam, meritò refellit. Citarat enim Tertullianus teſtimonium illud, ut probaret, Publicanos omnes fuiſſe Ethnicos: quod falſum eſt, & falſo innititur teſtimonio. Nam textus habet, Non erit vectigal pendens, at non, non erit vectigal exigens, quod in cauſam faciebat; cùm Publicani exactores, & exæquatores, non autem penſitatores tributorum eſſent. Deinde, Tertullianus non ait, ſe legiſſe apud Septuaginta, vel eos ſecutum: potuit apud Aquilam, vel Theodoſionem legiſſe, qui conducti, Scripturas, præcipuè verſionem illam depravarant. Neque enim quia leguntur illa verba in noſtris hodiè codicibus, ſequitur manâſſe à Septuaginta: ſciunt enim verſionem illam omnes, quæ Septuaginta nuncupatur, miſcellaneam quandam eſſe verſionem, non puram putam 70. ex Aquilæ, Symmachi, aliorum verſionibus confectam & conflatam. Ad extremum, ut concedamus hæc profecta ab illis Senioribus, tamen dicam, inſcribemus Tertulliano, quòd tranſtulerit, Non erit vectigal pendens ex filiis Iſrael: niſi alitèr legerit in ſuis codicibus, quàm nos in noſtris: οὐκ ἔσαι τελισφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ισραὴλ, ἢ οὐκ ἔσαι τελισκόμενος πρὸς πᾶσαν εὐχλιὼ, ἀπὸ υἱῶν Ισραήλ. Non habent; Græca ex filiis, ſed ex filiabus Iſrael. Quocirca τελισφόρος non videtur transferri debuiſſe, *Vectigal pendens*, viri enim, non fœminæ erant

rant ἀτελεῖς: ſed nec τελεσφόρος eſt vectigal pendens, utcunque τὰ τέλη ſunt vectigalia, & φέρειν penſitare, unde & φόρος tributum. Heſychius, doctiſſimus Grammaticorum, qui ter quaterve τρέφει ἢ ἄγει vocem hanc compoſitam, illius ſignificationis non meminit. Sed nec patres, Cyrillus & Theodoretus, cujus hæc ſunt, Quæſt. 12. in Deut. Ὥσπερ ἡμεῖς πιστοὺς ὀνομάζομεν τοὺς τῶν θείων μυστηρίων μετέχοντας, ὅπου τελεσμένους ἐχέλευε τὰ ἔθνη, τοὺς δαιμόνων πίνων διδασκομένους μυστήρια· τελεσφόρον τοίνυν καλεῖ, τὸ μυσταγωγοῦντα, τελεσκόμενον δὲ τὸ μυσταγωγούμενον. Non eſt ergò τελεσφόρος, quemadmodum vertebat Tertullianus, qui tributum pendebat, ſed qui ſacris Paganorum initiabatur, & ſacrilegos eorum ritus ſectabatur. Quam ipſam impietatem, multis in locis damnant eloquia ſacra; diſertis autem verbis, in illo, quòd adjungunt reſcripto, Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſervies. Et hoc quidem elogio, ſuam, quemadmodũ appellat Joſephus, hæreſin, de non obediendo Cæſari, vel Herodi, tuebatur nequiſſimus Impoſtor Judas: quod apparet è Joſephi Antiq. 18. 2. τῇ δὲ τετάρτῃ τῶν φιλοσόφων ὁ Γαλιλαῖος Ἰούδας ἡγεμὼν καθέστη. Vult ergò Hæreſiarcham fuiſſe Judam, & hæreſin invexiſſe in Judaiſmum, de non ſolvendo Cæſari, vel Principum cuicunque, vectigal: eò quòd Deum ſolum Dominum agnoſcere tenebantur, & profiteri: δυσκίνητος δὲ τῷ ἐλευθέρῳ ἄρας ὄφις αὐτοῖς, μόνον ἡγεμόνα καὶ δεσπότην τὸν Θεὸν ὑπειληφόσι. Neque enim inſanire ſolent ſine Scripturis Hæretici, & mirificè eaſdem, ad ſuos ἐμβρονησμοὺς, ſolent applicare, defendendos perſuadendoſque.

43 Mentitur autem nequiſſimus Impoſtor, ſi ex illis recitatis rationibus, voluit ſuis ſectatoribus perſuadere, vectigal non pendendum Imperatori. Nam nullo modo voluit Deus, parentes, aut principes contumeliâ afficiendos, negligendos, non honorandos; cùm ſibi cor, totam mentem, animum totum, vires omnes vendicaret. Neq; unquam edixit, Non erit pendens vectigal in Iſrael: nam ſub Moſe pendebant multa, pretium quippe redemptionis primogenitorum, & quæ plura per Legem diſperſa leguntur ejuſcemodi, erant meraciſſima vectigalia. Sed Domino forſitan, non homini dicentur penſitata. Agnoſco illa, tamen & ipſa in uſus humanos converſa

verſa, & convertenda, utpote, Levitis, Sacerdotibus, ſub cenſum reducuntur, eo pacto, tributorum: verùm & hominibus directè pendebantur, & per homines, de jure, apud Iſraelitas exigebantur. Erat enim, & dicitur 1 Sam. 8.11. jus Regis, ut agros veſtros (ita Samuel alloquitur Iſraelitas, Regem ſibi depoſcentes) & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis: ſed & ſegetes veſtros, & vinearum redditus addecimabit; hoc eſt, decimam ſibi partem, vectigalis nomine, tranſcribet. Plerumque enim, ſi non ſemper, tributorum ratio, cùm apud Judæos, tùm Paganos, & Chriſtianos, erat decimalis, utpote ad divinum jus de decimis accommodata: cùm per Deum, pro Deo, ſub Deo, Reges, qui & uncti Domini, principentur, & juſtitias definiant. Conſtat etiam ſingulas Iſraelitarum familias, ſub cenſu & tributo pendendo redactas. Ita enim legimus 1 Sam. 17.25. ubi inter cætera privilegia, & honoraria illi impendenda, qui cum Goliatho certamen iniret, hoc imprimis promittitur, quòd Rex domum patris ejus faciet, abſque tributo in Iſrael. Id autem κενὴ fuiſſet μαχαιρία, nulla immunitas, niſi ſingulæ domus in Iſrael tributis ſubjacerent. Neque tantùm Georim qui dicebantur, hoc eſt, Cananæorum poſteri, & ὑποφόροι, tributarii fiebant Salomoni; ſed & Iſraelitæ ipſi vectigales, erant utcunq; fortaſſe non tam vehementèr onerati. Dicitur enim Jeroboam 3 Reg. 11.28. conſtitutus Præfectus ſuper tributa univerſæ domus Joſeph: quemadmodum & cœteras quoque tribus, eodem modo ſuis ſingulas Præfectis attributas liquet, quibus omnibus præerat Adoniram. Nec dum regibus alienigenis parere cogebantur, quos conſtat tributis & vectigalibus omnimodis attriviſſe. Ut planè fuerit ridiculum quod comminiſcebatur Judas, ſi modò illo prætextu utebatur, tributum in Iſraele non pendendum; utcunque Judæos fateamur, majorem in modum, de ſuâ nobilitate, generoſitate, libertate, αὐθαδείᾳ gloriatos.

In exemplo tamen iſtius nequiſſimi Impoſtoris, obſervent pii Lectores, & Divini inſtituti qui ſunt tenaces, vetus malum eſſe, quod obſervat doctiſſimus Exercitator, ut Scripturæ verbis impiè, impudenter, ſcelestè abutantur, qui ſubditos à debitâ Regibus obedientiâ & obſe- 44

obſequio avertere volunt. Semper enim auræ popularis captatores, plebiculæ paraſiti & aſſentatores, ambitionis animalia, ſeditionum flabella, vel peſtem patriæ molientes, in regiam poteſtatem clàm & ſubdolè, ſi non audeant, γύμνῃ τῇ γνώμῃ, cuniculos acturi, de tyrannide, ſuperbiâ, crudelitate Regum, in oneribus imponendis, vectigalibus exigendis, tributis ſolvendis conquerentes, à debito obſequio avertunt. Quaſi non liceret τοῖς ὁν τέλεσι ἢ ὑποδοχαῖς, ratione dominii & eminentiæ, ratione procurationis, & curæ impenſæ, τελωνεῖν & φορολογεῖν, & debitum veluti ſtipendium exigere.

Ab Jove ſunt Reges, neque enim divinius illis
Eſt quicquã, hinc adeò in terris tua munera Reges
Exercere facis, tuaq; oppida ſancta tueri.
Hos rerum affluxu ornâſti, & prædivite gazâ.

quemadmodum Callimachi Elogia tranſtulit Bonaventura Vulcanius.

45 Omni autem lege, divinâ, naturali, nationali vel politicâ, licitè ſemper Reges & Principes, ſuis ſubditis tributa & impoſuerunt, & licitè quoque exegerunt, cùm ad patriæ & reipub. defenſionem, tùm ad ipſorum & familiæ honeſtam procurationem. Eſtò autem ſint humana creatura, hoc eſt, non ab origine per Deum introducti: & tamen cùm dicantur, *Uncti Domini*, ſunt eo ipſo per Deum confirmati: ſed ſponte ab hominibus ſelecti & adſciti, tamen ſunt eo ipſo nomine à ſuis Creatoribus ſuſtentandi: neque enim opus ſuum Artifex, aut Deus creaturam derelictam deſerunt, ſed omni ratione, ſtatu, modoque conſervant. Quod ſi autem, non apud Medos ſolùm, ſed etiam apud omnes, faciendæ juſtitiæ causâ, videantur olim benè morati, Reges conſtituti, ut cùm premeretur multitudo ab iis, qui majores opes habebant, unus aliquis virtute præſtans, de communi conſilio ſeligeretur, qui prohiberet injuriâ tenuiores, æquitate conſtituendâ, ſummos cum infimis pari jure conſtituebat. Par omninò fuit atque æquum, ut tanto per illum beneficio affecti, de rebus ſuis ſartis per eum tectiſque, honeſtam illi procurationem non inviderent, qui neglectis ſuis propriis utilitatibus, ipſorum commodis invigilabat. Eſt ergò hæc non ſcripta, ſed nata lex, ut

qui

qui ſua nobis tempora impertiunt, quod illi faciunt, ὃις λαοὶ τ' ἐπιτερπάφαλαι ϗ τόσα μέμηλε. Noſtra percipiant tempora, hoc eſt, de noſtris fructibus & laboribus ſuſtententur, & non ſolùm ὑπαρχόντως, ſed & περιβαλλόντως procurentur.

Quo miniſterio, Dei funguntur procuratione, & quicquid ex illius intuitu, in eos confertur ultimatè, quod aiunt Barbari, in Deum refertur. *Ideò tributa præſtatis*, ait Apoſtolus, Rom. 13.6. *miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergò omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal. Quæ eſt cauſa quòd tributa pendamus Regibus?* inquit ad locum illum Chryſoſtomus: *An non quòd noſtri providam curam gerunt? an non quòd præſint nobis? mercedem procurationis illius & curæ retribuimus. Profectò nequaquam ab initio in hanc rem conſentire voluiſſemus, ſi non multum nobis commodi, ex hac illorum ſedulâ curâ, & noſtris rebus accreviſſet. Omninò enim placuit hoc ab initio mortalibus, de communi omnium conſenſu, nutriendos & ſuſtentandos eſſe Principes; eò quòd res ſuas proprias inſuper habentes, & in ſecundis ponentes,* τῆς κοινῶν κήδου) πραγμάτων, ϗ εἰς ταῦτα τὴν σχολὴν ἀναλίσκωσι, δι' ὧν, ϗ σώζου) τὰ ἡμέτερα. Quocirca ab initio, tanquam per publicum aliquod inſtrumentum, vel ut noſtri loquuntur Barbari, Indenturam, conventus, pacta, ſtipulationes inter partes initæ ferebantur, per quas, conceptis verbis interrogatus Princeps, reſpondebat, ſe omni ope, operâq; ſubditos defenſurum: ſubditi autem, ad eundē modum, daturos ſe, & facturos, de quibus convenerat, ſpoponderunt. Et eſt hæc etiamnum inter partes, in ipsâ Regum inauguratione, vel expreſſa conventio, vel implicata, ita ut nexu inſolubili conſtringantur. Quocirca, ut de debito, & pactione Apoſtolus, non autem dono gratuito loquebatur: οὐκ εἶπε, δότε, ἀλλ' ἀπόδοτε, Chryſoſtomus inquit, οὐδὲ γὰρ χαρίζη τοῦτο ποιῶν, ὀφειλὴ γὰρ τὸ πραγμα, κἂν μὴ πράττῃς αὐτό, ἀγνώμονος ἔσται δίκιν. 46

Eſt hæc antiquiſſima doctrinæ Chriſtianæ παράδοσις, apud omnes omnium ætatum Chriſtianos depoſita, & diligentèr cuſtodita. Eſt enim, Authore auguſtino, confeſ. lib 3. cap. 8. *Generale pactum ſocietatis humanæ, Regibus obedire.* Juſtini Martyris ætate, libentèr, promptè, 47

& ante alios omnes ſubditos, vectigalia & exactiones pendebant Orthodoxi Chriſtiani; licèt falſo nomine ita dicti, hoc eſt, Hæretici, detrectabant: Quod innuere videtur ille, κολάζεσθαι δὲ τὺς ὐκ ἀκολύθως τοῖς διδάγμασιν αὐτῦ ζῶντας, λεγομένυς δὲ μόνον Χριστιανύς, ἐ ὑφ' ὑμῶν ἀξιῦσθαι. Cur verò? rationem videtur aſſignare, à contrariâ Orthodoxorum praxi, φόρυς δὲ καὶ ἀποφορὰς, τοῖς ὑφ' ὑμῶν τεταγμένοις παντα χῦ τῦ πάντων πειρώμεθα φέρειν. Idque de mandato Domini ſpeciali, qui reddere juſſit Cæſari quæ ſunt Cæſaris. Quia autem ex mandato ſolvebant, ideò ex fide, hoc eſt, fidelitèr illa ſolvebant, nequaquàm, ut ſolebant Pagani, per inverſuras defraudantes. Ita Tertullian. in Apologet. cap. 42. *Sed cætera vectigalia gratias Chriſtianis agent, ex fide ſolventibus debitũ, qua alieno fraudando abſtinemus: ut ſi ineatur quantum vectigalibus pereat, fraude & mendacio veſtrarum profeſſionum, facilè ratio haberi poſſit, unius ſpeciei querela compenſata, pro commodo cæterarum rationum.* Qui & alibi ait, Agri Eccleſiæ ſolvunt tributum. Quibus conſentanea, Auguſtinus, Ambroſius, alii: ſed & ante eos, Tertulliano vicinior Origenes. *Exigunt à nobis tributa terræ noſtræ, & vectigalia negotiationis noſtræ. Et quid dico de nobis? exolvit tributum etiam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, in carne poſitus: quod iccircò ſe dicit exolvere: non quòd debitor eſſet, ſed ne ſcandalizet eos. Quòd ſi ille, qui nihil habebat in ſe Cæſaris, ſolvit tamen tributum: quantò nos neceſſe eſt magis ſolvere.* Nec ab hac Majorum doctrinâ μεταγενέστεροι aliquandò, non Hæretici, receſſerunt: & accuratè tenet, defendit, tuetur Eccleſia Anglicana; in quâ Sacerdotes, licet magis gaudere & ſoleant & debeant immunitatibus, tamen & frequentiùs, & exuberantiùs, & libentiùs quàm Laici, decimarum decimas, ſubſidia, primitias, annatas ſolvunt. ut vel inde facilè diſcerni poſſit, quantùm detrimenti regiis acceſſerit vectigalibus, per illam deſolationem Monaſteriis invectam, per importunum H. 8. rigorem, & per Parliamentarias Impropriationes, quæ etiam Appropriationes dicebantur.

Apol. 2. pag. 14. edit. Steph.

Sed nec controverſias tractamus, nec locos communes Lectoribus offerimus, ut in ſpatioſum iſtum campum, De debito ſubjectionis, & tributi ſolvendi & exigendi,

gendi, abſque conſenſu ordinum Parliamentario deſcendamus: intactam autem rem tanti momenti præterire non oportuit nos, origines profeſſos Eccleſiæ ſcripturos, cùm ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, Judæos illa peſtis afflaverit, quam non ita pridem Anabaptiſtæ, quaſi ab inferno rurſus orbi invexerunt: eodem ſpiritu nequitiæ & peſtilentiæ afflati, de licentiâ generali, & tributis Magiſtratibus non ſolvendis. Præcipuè, cùm extincto malâ morte authore (periiſſe enim malè Gamaliel pronunciat; licet taceat, quem ad modum Joſephus, & quo genere mortis interierat) hæreſis ipſa nequaquam peſſum ierit: ſed cum aliis ad interitum fructificaverit, ut neceſſe habuerint ſanctiſsimi Apoſtoli, Rom. 13. ad Tit. 1. 10. & 3. 12. 1 Pet. 2. 13. vel Chriſtianos ſuos, contra illam peſtem communire; quâ eò faciliùs afflari poterant, quòd omnes ubiq; magiſtratus, in ipſorũ perſecutionem, perniciem, & extirpationem, animatos intuerentur, & incumbentes; vel ſaltẽ ab hujus infamiæ contagione aſſertos vindicare: cùm inter cœteras, quibus onerabantur immeritiſsimo calumnias, & illo mendacio conſtringerentur, eſſe eos in Principes & Magiſtratus, quaſi ſeditionum turbines, alienatiores.

Quæri autem hoc loco, nec injuriâ, poteſt, quorſum 48
Judas iſte Gaulonites, Galilæus domo, tumultus ob exactum tributum cieret, cùm ipſius patria, Galilæa, immunis ab illo onere videatur. Erat enim Herodes tunc in vivis, Galileæ Tetrarcha ab Auguſto, adhuc ſuperſtite, nam non ſub Tiberio iſta contigerunt, conſtitutus: illi autem redditus annui aſsignabantur è Galilæâ, cui tota provincia tum parebat. Quorſum ergò Galilæus ortu, motus concitabat in provinciâ quietâ, nec taxatâ? an potiùs ille cenſus & ἀπογραφὴ univerſam Syriam peragrabat? Sunt hæc intacta ab Annalium conditoribus. Fieri autem potuit, ut licet oriretur ille de Galilæâ, non tamen habitaret in Galilæâ, ſed alibi, ſaltem ut turbas concitaret in Judæâ. Nam & liberos ipſius, Simonem & Judam, populum in Romanos concitantes, & novas ſeditiones excitantes, Tiberius Alexander præſes Judeæ, Hieroſolymis captos in crucem egit, narrante Joſepho, 20. Antiq. cap. 3. Quidni ergò Judas, ipſorum pa-

ter, utcunque de Gamalâ oriundus, tumultus illos, de quibus Gamaliel, ob ſolutum tributum, ſub Cyrenio, in Judæâ concitarit: quæ poſt Archelai deportationem, in provinciæ formam redacta, ὑποτελὴς eſſe jubebatur: Et hæc eſt, meo animo, veriſſima ſententia, quanquam etiam Galilæa ὑποφόρος eſſe poterat, licet Herodes ibidem Tetrarchiâ frueretur. Et certè Cyrenius miſſus eſt in Syriam, ſub quâ provinciâ Palæſtina cenſebatur, διχοδότης τῶ ἔθνες ἀπεςαλμένος, ἢ πιπτὴς τῆς ἰδιῶν γενομένος. Εθνος autem, non hanc vel illam partem, ſed univerſam nationem complectebatur. Non aſſentior, poſtremò, Saliano, qui Judam, hunc ſigniferum ſeditioſorum, Simonem, alio nomine, dictum autumat. Rectè Lorinus in caput v. Actorum, verſ. 37. hanc ſententiam rejecit: Plures autem Simones, per illa tempora, res novas moliebantur in Palæſtinâ: plures etiam concitatæ erant ſeditiones. Inter cœteras, & illa, quam compeſcuit Hieroſolymis Joazarus Pontifex, quem, in pretium navatæ præclarè operæ, Pontificatu abrogavit Quirinius.

49 Decurrebat Jeſu Chriſti annus xiv. ſub Conſulatu C. Silii Nepotis, & L. Munatii Planci, ad annum Urbis Dcclxvi. Quo anno Cæſar Auguſtus, authore Suetonio, teſtamentum condidit, ante annum & 4. menſes quàm excederet; quod apud Virgines Veſtales depoſitum, & cuſtodiendum voluit. Annius Rufus, Judeæ procurator, M. Ambivii ſucceſſor, hoc anno venit in provinciam. Quo procurante, Auguſtus Cæſar mortuus eſt, anno Urbis conditæ Dcclxvii. ſub Conſulatu Sex. Pompeii Nepotis, & Sex. Apulei Nepotis, ad xiv. Cal. Septembris: Nolæ ſortitus exitum facilem, & εὐθανασίαν, quam ſemper votis omnibus deſideraverat. Nam ad extremum halitum, voce, & ſenſibus integer, in oſculis Liviæ, vel, ut eam ſemper vocat Joſephus, Juliæ, expiravit. Hæc poſtrema prolocutus, Livia, noſtri conjugii memor vive, atque vale. Cujus tamen ſcelere præcipitatum illi interitum, erant qui rebantur, nec ſanè immeritò. Narrat ita Tacitus Annali 1. Hæc agitantibus, ingraveſcere valetudo Auguſti, & quidam ſcelus uxoris ſuſpectabant. Nimirum verebatur, Medea illa Aulica, & peſtis domus Auguſtalis, ne ſi diutiùs viveret, & convaleſceret,

Tibe-

Tiberium, ſe natum & priore marito, Imperio dejectum videret. Certè narrat Sueton. in Tib. cap. 21. indoluiſſe illum vicem populi Romani, qui ſub tali Principe futurus eſſet; cujus morum diritatem improbabat ille quidem, ſed tamen vel precibus uxoris expugnatus, adoptaverat: vel, quod viſum Tacito, ut talem habens ſucceſſorem, deſiderabilior ipſe eſſet. Mortem exactiſſimè ſic narrat Sueton: Obiit, inquiens, in cubiculo eodem quo pater Octavius, duobus Sextis, Pompeio & Apuleio, Conſulibus, 14. Calend. Septemb. horâ diei nonâ, ſeptuageſimo & ſexto ætatis anno, diebus 35. minùs. Imò verò, ait Joſephus, ὀγδοήκοντα ἔτη ἐπὶ τοῖς ἑβδομήκοντα: nempè, non lxxvii. annos completos intelligebat, ſed currentes, quod verum eſt, ſi modò ſub conſulatu Ciceronis & Antonii, ad ix. Calend. Octobris, in lucem edebatur, quod ab omnibus ponitur: & frivolè Salianus, quod ſæpè ſolet, contra Joſephum λεπτολογεῖ.

Sequenti anno, urbis autem conditæ Dcclxvii. Conſulibus, Druſo Cæſare, & C. Norbano Flacco: mittitur à Tiberio Cæſare in Judæam Procurator, revocato Annio Rufo, Valerius Gratus: πέμπτος Ἰουδαίας ἔπαρχος, à Coponio ſcilicet, Joſephus ait: qui, adempto Pontificatu Anano Pontifici, in locum ejus, Iſmaelem Fabi filium, ſubſtituit: quo etiam paulò poſt, in ordinem redacto, in Eleazarum, Anani Pontificis filium, honorem tranſtulit. Hæc tranſtulit in Annales, doctiſſimus Baronius, è Joſepho: Qui pergit porrò, & Grati iſtus πλημμελήμασι, in ſacerdotium admiſſa, longiùs perſequitur. Poſt anni, inquit, decurſum ſpatium, depoſito Eleaſaro, Pontificatu inveſtit Simonem Camithi filium: cui poſt annum itidem ſucceſſor datus Joſephus, qui dicebatur Caiphas; ille ſacrâ Evangeliorum hiſtoriâ nominatus: porrò & Ananus, quem nominat, Annas eſt in iisdem literis commemoratus. Hæc ſimul & confertim Joſephus: Nam Valerius Gratus, totos xi. annos cum præfecturâ fuerat in Judæâ, cui ſucceſſor venit Pontius Pilatus, anno Tiberii Cæſaris xi. finiente, vel xii. inchoato: Neque enim liquet: ſub Conſulatu Cn. Lentuli Getulici, & C. Calviſii Sabini. Cùm Valerius Gratus, Judeæ præſes, annum in magiſtratu egiſſet xi. poſt introductas 50

tradi-

Traditiones Phariſaicas teſtantur. Non hic affirmo, hoc ſenſu Præceptum illud ſecundum Decalogi capiendum: longe enim alia mihi mens animi: ſed hoc teneo è communi ſententia Judæorum, non tantum adorationem Imaginum, ſed ποίησιν, penitùs interdictam. Cumque olim, ante illam Babylonicam μετοικεσίαν, paſſim, palam, & ſtudioſe ferrentur in Idololatriam: quod multoties cum indignatione exprobrant Prophetæ: adeo ut ſecundum Civitates Iſrael, tot ſibi Deaſtros conſtituiſſe dicantur. Poſt reditum ex illa captivitate, Legum & Inſtitutorum patriorum erant tenaciſſimi: ita ut mille mortes oppetere potiùs vellent, quàm vel carnem ſuillam comedendo, vel Sabbatum profanando, divina præcepta tranſgrederentur. Quod ipſorum ſtudium, in ſuperſtitionem tandem deflectebat. Quæ ſunt è rebus Maccabaicis teſtatiſſima: ut ante illorum principatum, neceſſe fuerit, has opiniones animis eorum infixas inſediſſe: & vulgò obtinuiſſe conſuetudines. Quocirca non erravit Joſephus imperitiâ Legum patriarum, quod comminiſcitur Salianus: ſed ipſe Annaliſta antiquum ſuum obtinet, ex quavis arreptâ, non oblatâ occaſione, calumniandi Joſephum.

51 Hoc eodem anno, vel ſaltem ſequenti, contigerunt illa, quæ ſtatim ſubjungit Baronius è Joſepho, ad hanc formam. Eſt apud Judæos ſacer Theſaurus, quem Corban dicunt: hunc Pilatus, ad inductionem aquarum, juſsit expendere. Erat autem aqua inducenda, ab ſtadiis trecentis. Ob hoc igitur, vulgi oriebantur querelæ: ita ut etiam Pilati, qui Hieroſolymam venerat, cum clamore circundarent Tribunal. Ille autem præviderat tumultum eorum: ſi quidem populo permiſcuit armatos milites, qui tunc eſſent privatorum veſtibus induti; præcepitque, ut gladiis quidem non uterentur, fuſtibus autem acclamantes ferirent, ſicque compoſitis rebus dat è Tribunali ſignum, confeſtimque cædebantur Judæi; quorum multi quidem plagis, multi verò ſe invicem conculcantes, in fugâ miſerâ protritione perierunt. Tunc ad calamitatem Interfectorum ſtupens multitudo, conticuit: atque ob hoc, accuſator Herodis Tetrarchæ, Agrippa ad Tiberium venit. Illo verò non ſuſcipiente accuſationem, reſidens

dens Romæ, reliquorum quidem nobilium notitias ambiebat, maximis autem colebat officiis Caium, cùm adhuc eſſet privatus. Hæc è 2. de bello Baronius. Joſephus autem in xviii. Antiquit. cap. 4. dum hanc narrationem, ad ſuperiorem illam continuam adjunxit, ſatis indicat, ſub initio procurationis Pilati eam contigiſſe. Eoque magis, quòd Tiberius Romæ adhuc hærebat, cùm ad illum Agrippa deferret in Pilatum accuſationem: qui proximo anno in ſeceſſum illum ſecum abiit Capreaticum, nec Romam deinceps revertebatur. Atq; hactenùs rerum Judaicarum, tenuem & fugitivam memoriam perſecuti ſumus, uſque ad annum illum acceptabilem, quem appellat Propheta: xv. nimirum Tiberii Cæſaris, quo felicem curſum miniſterii ſui, Jeſus Chriſtus, θεάνθρωπος, à baptiſmo Johannis in Jordane auſpicabatur.

SECUNDA PARS

HISTORIÆ THEANTHROPICÆ, A BAPTISMO JESU CHRISTI INCHOATÆ.

1 ANno quinto decimo Imperii Tib. Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam; Tetrarchâ autem Galileæ Herode; Philippo autem fratre ejus Tetrarchâ Ituræ, & Trachonitidis regionis: & Lyſaniâ Abilines Tetrarchâ: ſub Principibus Sacerdotum Annâ & Caîphâ, factum eſt verbum Domini ſuper Johannem, Zachariæ filium, in deſerto, &c.

2 Eſt hoc initium Evangelii Jeſu Chriſti, ut appellat Beatus Marcus, quod ex Evangeliſtis ſolus B. Lucas Chronologicis rationibus accuratè deſignavit: ab anno nimirum Tiberii Cæſaris xv. & principatu in Palæſtinâ, rerum Chriſto geſtarum ſcænâ, ſubordinato, aliorũ, qui Tetrarchæ, licet exactam aliquam quartã partem regni, vel regionis non occuparent, cùm tres tantùm numero commemorentur: niſi forſan & provinciam Romanam, quod verius arbitror, ad quaternionem admittamus. Nam certè Archelaus, in illâ diviſione Paleſtinæ, non

non magis regnum in Judæâ, quàm Herodes obtinebat in Galilæâ. Quod ſi admiſſum fuerit, rectè & τετράρχας Tetrarchæ appellantur, quî in quatuor partes diſtributam regionem adminiſtrabant. Regio vel planè, vel pauliſper imminuto jure, & dignitate. Unde apud Ciceronem legimus, 2. de divinat. Dëiotarum Cæſar, Tetrarchiæ regno mulctavit: nam & extra Judæam, & ante Judæam, etiam ſub liberâ adhuc repub. Tetrarchæ, populo Rom. obtemperabant.

Rectè autem cenſuit illuſtriſſimus Cardinalis, annum 3
decimum quintum Tiberii Cæſaris, Evangelicâ atteſtatione celeberrimum, quo geſſerunt Conſulatum Rubellius & Fuſius, ambo Gemini. Caius enim Rubellius Geminus, & Caius Fuſius Geminus, Conſulatum Romæ inierant, ad diem Januarii primum, cùm ad xiv. Calendar. Septemb. Silano & Nervâ Conſulibus ſuperioris anni, annum ille ſuum xv. fuiſſet auſpicatus. Currente iccircò Tiberiano anno xv. per quatuor, & quod excurrit menſes, ad ſextum diem Januarii, inito per Geminos ante ſex dies Magiſtratu, venit Jeſus Chriſtus ad Jordanem.

Annus iſte Tiberianus, in Romanâ hiſtoria infamis 4
eſt, & atro quodam carbone notatus; ob mutatos in deteriùs, vel potiùs in apertum prorumpentes Principis profligatiſſimi mores. Ex eo enim, inquiebat Tacitus, prærupta & vergens dominatio. Nam incolumi Auguſtâ (Liviam Tiberii matrem intelligit, quæ jam obierat, peſtem & calamitatem domus Auguſtalis) erat ahuc perfugium, ob inveteratum obſequium erga matrem. At in Commentariis Chriſtianorum, annus profectò bonæ voluntatis, & benevolentiæ, ac inſpectionis divinæ revelatæ. Annus quippe idem ab Eſaiâ cap. 61. placabilis per antonomaſiam dictus eſt, & acceptabilis: quo nimirum, orbi terrarum, profundis tenebris obvoluto, Redemptor humani generis, Chriſtus noſter, ſol juſtitiæ, Oriens ab alto, lumine ſuæ prædicationis, cepit affulgere. Certè nemo abnuerit, hunc annum apud ſacrum Evangeliſtam æternitati conſecratum, atque celeberrimum profluxiſſe, ad Chriſtianorum omnium poſteritatem. Eſt ille annus quædam baſis, & fundamentum annali-

um omnium Eccleſiaſticorum, ad verum nativitatis dominicæ terminum conſtituendum, de quo tantoperè Chronorapſodi digladiantur. Eſt inſtar clavis cujuſdam ad aperiendam veritatem, quæ, ut ille olim dixit, βυσσοδομεύϛ, ita ut vel leviſimè impreſſa veſtigia vix appareant. Quòd ſi quem in hoc primo anno errare contigerit, in ſingulis aliis errare, quiſquis fuerit, cogetur vel invitus. Quod tanquam depromptum ex oraculo, ſect. 99. in Apparatu legimus: quo tamen in loco, & in ſubjecto, quàm fœdiſimè erravit Cardinalis: quem eundem errorem hîc perſequutus, & eidem inhærens, triceſimum primum Jeſu Chriſti annum, non autem triceſimum, quòd oportuit, Tiberiano decimo quinto adſcribit, atque ideò in aliis deinceps annis pari modo errat. Sed cùm hoc παράδειγμα, niſi potiùs ſit παράδειγμα, in prioribus rejecerimus; ſine ulteriore perſtrictione progrediemur.

5 Huic anno baptiſmali, Eſaiæ vaticinium, quòd diximus, rectè accommodatur: qui tempus incertum, nec numero vel termino circumſcriptum, *annum acceptabilem* appellavit. Quod non eſt, tanquam excluſivè dictum à Prophetâ, capiendum: quaſi ille ſolus annus circumſcriptè & determinatè, non alter autem, huic ſuccedens, & alter illi, placabilis & acceptabilis diceretur, quòd voluiſſe videtur Cardinalis. Eſt hoc in anguſtias compingere, & arctiùs conſtringere divinum Vatem. Cujus ſententiæ tam anguſtæ & coarctatæ, viro πολυμαθεςάτῳ dum inquiro, apud vetuſtiores hæc ſunt quæ inveni. Verba ſunt Origenis, in 4. cap. Luc. *Juxta ſimplicem intelligentiam, in Judæâ anno uno prædicâſſe Evangeliũ, aiunt. Et hoc eſſe quod dicitur, annum acceptabilem prædicare.* Aiunt, inquit Origines, ſed quinam aiunt? an Ignatius, Juſtinus, Irenæus, Patrum conſeſſus & cohors, qui Origine in Eccleſiâ anteriores floruere? Imò verò, aiunt Gnoſtici, Hæreticorum fæx illa & ſentina. Aiebat eorum Patriarcha Valentinus, ille portentoſorum Æonum, è mediâ Philoſophiâ Architectus. Narrat Irenæus in 2. cap. 38. & refellit hoc dictum, vel, Aiunt, Gnoſticorum. *Duodecimo autem menſe dicunt eum paſſum, ut ſit anno uno poſt baptiſmum prædicans. Et ex Prophetâ tentant hoc ipſum confirmare,*

firmare, ſcriptum eſt enim, vocare annum Domini acceptum. Sed & Clemens ille πολύϊστωρ, quo Præceptore uſus aliquandò erat Origines, inter illos cenſetur, qui aiebant: ſexto Stromatum, paulò intricatiùs ait, πρῶτος γὰρ ἐνιαυτὸν ἐκήρυξεν ὁ κύριος ἐτῶν; *per annum trigeſimum prædicabat Dominus.* Quod verum eſſe poterat, ita ut non per illum ſolum. Quocirca liberiùs hoc expreſſerat, & liquidiùs, ſtrom. 1. Ἦν δὲ Ἰησοῦς ἐρχόμενος ἐπὶ τὸ βάπτισμα, ὡς ἐτῶν τριάκοντα, ἐνιαυτὸν μόνον ἐλθεῖν αὐτὸν κηρύξαι, ἐς τοῦτο γέγραπται· ἐνιαυτὸν δεκτὸν κυρίου κηρύξαι, ἀπέστειλέ με. *Erat autem Jeſus, annorum veluti xxx. cùm accederet ad baptiſmum: ſcriptum eſt autem, quòd oportuit illum integrum annum unum prædicare: Miſit enim me prædicare annum Domini acceptabilem.*

Atque ita fuerunt, qui aiebant quòd Origenes docuit, ſed errabant illi omnes qui ſic *aiebant*: ut non ſolus Origines, ſed Patres univerſi penè, & recentiores utrinque conſenſu magno, & ipſa ſcriptura θεόπνευστος, atteſtantur. Et hæc quidem non minori ſpatio quàm quadriennii, licet ſcriptores Chriſtiani diverſimodè abeant in diverſas opiniones, Chriſti in carne πολιτείαν à baptiſmo deſcripſere. Clementem autem Alexandrinũ, virum uſq; ad miraculum eruditum, nullus eſt qui excuſet ab errore gravi. Ipſe Cardinalis ad annum Servatoris 34. inter eos recenſet Clementem Alexandrinum, qui dùm Chriſtum unum annum prædicâſſe contendunt, graviſſimè peccaverunt: & videtur in illorum ſententiam concedere, qui furioſos Hæreticos Gnoſticos, authores faciebant, iſtius tam deliræ ſententiæ, de ætate Chriſti, & prædicatione. Verum eſt, nec ignoto, ſcriptores in Eccleſiâ nobiles, quòd ait Cardinalis, & ſpectatos, in illum opinionis errorem deſcendiſſe, ut Chriſtum putent paſſum ſub Pilato, decurſo jam ſuæ ætatis anno trieeſimo: ut neceſſe fuerit tenuiſſe eoſdem, annum illum unicum prædicâſſe. Sed ad hanc devenerunt incogitantiam illi patres, non ab uno & eodem principio ſinguli, nec eundem omnes ſcopum collimantes. Certum autem eſt, authore Epiphanio, Hæreſiarcham illum Valentinum, omnium primum atque Principem, triginta tantùm annos, educationis, vitæ, & virilis illius ætatis exiſtimâſſe,

6

atq; hinc Æonas illos ſuos, numero triceſimo determinâſſe. Quanquam & ipſemet Epiphanius, parùm in hoc negotio cautè verſatus eſt, dùm tempus Chriſti, τῆς σωτηρίου πολιτείας, bimembre facit, illud diſtribuens in σωτὴρ δεκτὸν, & ἀνταπόδομον. De illâ autem ſententiâ adhuc ampliandum. Scriptor vetuſtiſſimus, Irenæus, annum, κατὰ γράμμα, Baronianum, hoc eſt, *acceptabilem*, refellens, ita loquitur. *Neque enim de die, quæ duodecim horarum habet ſpatium, dictum eſt illud in Prophetâ: nec de anno, duodecim menſium habentem menſuram. Quia enim Prophetæ in parabolis & allegoriis, & non ſecundùm ſenſum ipſarum dictionum, plurima dixerunt. Annus Domini acceptabilis, tempus hoc eſt, in quo vocantur ab eo, qui credunt in eum, & acceptabiles fiunt Deo, hoc eſt, omne ab adventu ejus tempus, uſque ad conſummationem, in quo, ut fructus, eos qui ſalvantur acquirit.* Hæc, & plura, vetuſtiſſimus ille, & eruditus Pater, apertè, & κατὰ πρόσωπον, commentum illud refellens, de anno in quo baptizabatur *unico*, duodecim menſium menſurâ completo.

7 Scriptorē, vetuſtate venerandū, ſequuntur recentiores. Annū acceptū vocat Propheta totum illud tempus, inquit Janſenius in harmoniâ, quo Chriſtus docendo, & pro nobis patiendo, opus peregit redemptionis: aut potiùs, totum illud tempus Evangelicæ prædicationis, à Chriſto, ad finem uſq; mundi. Et Barradius Jeſuita, annū vocat, tempus Evangelii, quo cœlum patuit, terra mirâ Dei largitate eſt completa. Si roges, cur tam longum tempus, quo Evangelium perdurat, annus vocetur? reſpondet, alluſionem eſſe ad annum Jubilæum Judæorum. Nec eſt ille in hoc ipſo improbandus. Quamquam potiùs putem, annum iccircò vocari tempus gratiæ, quod, cum tempus dimenſionibus quibuſdam terminetur, capaciſſima, & omnium perfectiſſima ſit annaria dimenſio: per quam, decurſus illi ætatum, & intervalla dignoſcuntur; quæ ſiderum æquali rotatione conſiſtunt: *atque in ſe ſua per veſtigia revolvuntur*, quæ perpetuo tenore defluunt tempora. De hoc anno placabili & acceptabili, hoc eſt, diſpenſatione miſerationis divinæ, ut non nemo è ſanctis patribus obſervavit, dixit aliquando Paulus, *Nunc eſt tempus illud acceptabile.* Enimvero præterierat tempus acceptabile

ceptabile, ſecundum illud unius anni commentum, annus ſcilicet à Baptiſmo Servatoris primus, cum Paulus ad Cor. 2. 6. 2. illud exararet, Νῦν χρόνος εὐπρόσδεκτος, νῦν ἡμέρα σωτηρίας.

Annum autem acceptabilem magnus vir Baronius tam anguſtis concluſit terminis, ſemel atque iterum in Annalibus, ad annum xxxi. ſec. primâ & ultimâ: ineum opinor finem, ne patiatur nobis è memoria excidere, quod Apoſtolo in os palàm obnuntiavit, & tantum non eidem occlamavit φιμωθητι, eo quod, Nunc eſt tempus, dicebat, acceptabile, & εὐδοκίας: cum tempus illud revera jam præterierat: ſed *virum*, aiunt, *magnum ſequi, eſt penè ſapere.* Epiphanium nobis laudat προσκεκλιμένων, & ſententiæ iſtius parentem. Puduit illum ſcilicet, & rectè, Valentini & Gnoſticorum: ſciebat Clementem hic non teneri. Quocircà, de ſententiâ Cyprii illius patris, γαυριᾶ & μεγαλαυχεῖ, qui nec ipſe hoc pronunciare ſententiaſuâ: ſed in alia evagatur, licet ab eodem fonte derivata: & falſam obtrudit obſervationem principiis innixam fluxis & caducis, neque Traditione ſuffultis, nec Scripturæ divinæ authoritate. Καὶ ἀπ' ἐντεῦθεν ἀπὸ Αθὺρ δωδεκάτης, κηρύττοντος αὐτὸν τὸν δεκτὸν ἐνιαυτὸν, κατὰ τὰ ἐν τῷ Προφήτῃ Ησαΐᾳ προκείμενα, *Et ab hinc exorſus, a xii. die menſis Athur, annum prædicat acceptabilem, ſecundum ea quæ habentur apud Iſaiam Prophetam.* Citat autem è Propheta locum totidem verbis. Subjungit autem in ſequentibus. *Revera enim annum acceptum prædicabat, hoc eſt, contradictioni non ſubjectum. Primum enim annum poſt triceſimum annum Incarnationis ipſius prædicabat completum, & omnes illum ſuſceperunt. Neque Judæi contradicebant, non Gentes, non Samaritani, ſed libenter Illum omnes audiebant.* Hæc ſunt iterum repetita apud Epiphanium, & toties recocta apud Cardinalem. Qui tamen illum, in parte, falſitatis inſimulat, quoad diem nempe Baptiſmi & Nativitatis. Nec acquieſcit in alterâ ejus parte, de termino Termini illius, in quo paſſus eſt ſalvator, quem defixit Epiphanius: de quo termino plura dicemus in ſequentibus. Quod reliquum eſt ejuſdem opinionis, illum annum primum non fuiſſe ἀνελεγόμενον, hoc eſt nullum, a quoquam adverſario, vel calumniatore, per unius anni ſpatium, primum

8

miniſterii

miniſterii ſui paſſum Servatorem, ſed quòd eum πάντες κατεδέχοντο, omnes illum libenter ſuſceperunt & audierunt, ut vult Epiphanius. Falſum eſſe videtur, & è Scripturâ revinci: Nam Mar. 3. 6. Exeuntes Phariſæi cum
8 Herodianis, conſilium inibant adverſus illum, quomodò eum perderent. Et Luc. 4. ubi dictum eſt, *Hodiè adimpletum eſt hoc Vaticinium in auribus veſtris*, ſtatim ſubjungitur, *Non eſt acceptus Propheta in patriâ ſuâ*. Hoc repugnat è diametro, τῷ λαῷ σκαιτῷ, ut exponit Epiphanius. Sed parùm eſt, *Non acceptus*: irâ & indignatione in eum commovebantur: ſed & hoc quoque parum eſt: urbe ejectum extruſerunt: & hoc adhuc parum: ſi non ſe ſubduxiſſet, de ſaxo præcipitem perdidiſſent. Eſt hæc ἀντιλογία in ſummo gradu. Præterea, dictum eſt Joh. 2. fratres in eum non credidiſſe: & Joh 3. dicitur clam, & de noctu ad illum acceſſiſſe Nicodemus, metu Judæorum ſi veniſſet de die. Erant hæc intrà unius, hoc eſt, primi anni ſpatia: & certè de Nicodemo, Joh. 20. dicitur, illum ab initio, hoc eſt, ſub primum prædicationis annum, ad Jeſum deveniſſe. Quocircà ſtare nequit, quod volebat Epiphanius: ὡς ἀληθῶς ἐναντίον ἑαυτὸν λέγοντα, τοῦτ' ἔστι μὴ ἀντιλεγόμενον, ὅτι πάντες αὐτὸν κατεδέχοντο, ἢ ὅτι Ἰουδαῖοι ἀντέλεγον, ὅτι ἦν. Fortaſſis dicetur leves fuiſſe contradictiones, nec ad inimicitias apertas prorupiſſe, ut quærerent eum perdere. Cui reſpondemus, hoc falſum eſt, quærebant eum perdere Nazareni. Neque leves erant contradictiones & ἀντιλογίαι, quas propter Nicodemus eum accedere verebatur. Tertiò, non hoc adjuvat Epiphanii ſententiam: ille enim nullam admittit, atque ideò nec levem contradictionem.

9 Eſt & aliud animadverſione dignum, apud Epiphanium, quod ego non concoxerim, qui non ſim æquè χαλκέντερος ac eſt Cardinalis. Ineuntem ætatis ſuæ anno tricesimo, Chriſtum Dominum baptizatum contendit, & verè, Epiphanius: Cardinalis diſſentit, & refellit, annum aſſignans 31. ineuntem, baptiſmati. Statim à baptiſmo abreptus erat in deſertum, tentandus à Diabolo; inde redux, poſt dies 40. completos, ſe manifeſtare incipit per Galilæam. Hic, ut compendio dicam, annum acceptabilem Cardinalis ſtatim à baptiſmo auſpicatur, verùm

apud

apud Epiphanium, alius eſt ab iſto acceptabilis annus, ut jam ſolus ſecum ſpatietur, vir illuſtris, ab ipſo deſtitutus Epiphanio. Verba Epiphanii hoc evincunt: τὸν γὰρ πρῶτον ἑαυτοῦ μετὰ τριάκοντα ἔτη ἐν τῇ ἑαυτοῦ παρουσίᾳ ἐκήρυξε, καὶ πάντες χαρὰν ἔσχον. Ait annum acceptabilem, & illum nominat Epiphanius ab Eſaia nominatum, fuiſſe primum annum poſt triceſimum, hoc eſt, triceſimum primum: alterum, & non primum, à baptiſmo. *Adeò nihil motum ex antiquo*, ut prudenter Hiſtoricus Patavinus obſervat, *probabile eſt*. Veteribuſque, niſi quæ uſus evidenter arguit, omnes ſtare debent. Primus è patribus, qui Prophetæ illud vaticinium tractavit, veritatem vidit, & excoluit: qui ab illo receſſerunt μεταγνόστροι, in diverſas ſententias, & alienas, magis minúſve abiëre. Hinc enim profecti ſunt, qui unum duntaxat annum, nec plures, Chriſtum docuerunt prædicâſſe. Quæ ſententia videtur Tertulliano placuiſſe, cap. 8. Libri contra Judæos. Hinc illi qui tradidere, annos eum triginta natum, obiiſſe mortem. Quo errore, doctiſsimum Auguſtinum laborâſſe, poſt Africanum, Lactantium, Hieronymum, Severum, putant. Hinc illi, qui locum Prophetæ, & vaticinium accommodarunt, vel ad tempus totius πολιτείας, vel anni Chriſti paſsionis. Nam qui δεκτὸν ἑαυτοῦ *vitam æternam* interpretantur, ab alio, ut opinor, fonte profecti ſunt. Totum tempus, quo in terris converſabatur, Gloſſa interlinearis annum acceptabilem interpretatur. Lyra, in ſuâ marginali gloſſâ, annus inquit, paſsionis Dominicæ, iſte eſt, in quo Deus placatus eſt humano generi, ſoluta emendâ pro peccatis populi. Τὶς ὁ ἑαυτὸς δεκτὸς; interrogat Theophylact. Reſpondet autem: *Fortaſsis ſæculum eſt futurum, de quo Dominus prædicavit, dicens, In illâ hora non me interrogabitis quicquam*: & rurſus, *Venit hora cùm mortui reſuſcitabuntur*. Annus porrò ille dicitur acceptabilis, hoc eſt, juſtis dilectus & deſiderabilis. Eſt & tempus incarnationis dominicæ, & adventus ad nos, de quo dixit Paulus, Nunc eſt tempus acceptabile. Procopius, qui multorum commentarios, tranſcriptor compilavit, de anno baptiſmali, ne mutit quidem: ſed τῆς ἐνσαρκώσεως, Incarnationis tempus, ita nominavit, ait, *Quo quidem tempore, dum in terris verſaretur,*

retur, lucem diei adeuntibus præſtabat ille. Anne etiam fortaſſis & *ſæculum futurum*, dixit, in quod, ſuam doctrinam tranſmiſſam referebat. *Cùm nec ſol, neque luna erit*, inquiebat, *ſed Dominus tibi ſempiterna lux.* Ob quam cauſam, *Ille annus Domini* dicitur, tanquam ſcilicet, abs illo luce illuſtratus. Et eſt ille quidem annus acceptabilis, vel ut alii transferunt, *Annus bonæ voluntatis*: ille enim eſt, in quo Domino complacuit. Eſt ille & dies quoq; retributionis. Sunt qui annum acceptabilem intelligunt illum, in quo cruci ſuffigebatur. Propterea quòd tùm Deo facti ſumus grati & acceptabiles. Hæc, & plura Procopius, cujus poſtrema periodus, videtur tranſcripta à Cyrillo. *Acceptus annus erat*, inquit ad locum Prophetæ Cyrillus, *quo pro nobis cruci ſuffixus eſt Chriſtus. Tunc enim accepti facti ſumus Deo & Patri, & per ipſum edidimus fructum.* Hieronymus, licet unctionem illam, cujus ſimilitèr eodem in loco mentionem facit Propheta, dicat completam fuiſſe in baptiſmo: Annũ tamen acceptabilem, citato Pauli teſtimonio, vult eſſe totum tempus prædicationis ipſius, cùm in carne nobiſcum verſaretur. Alterum autem tempus retributionis, in clade Hieroſolymitanâ terminat. Diverſus it ab illo Beatus Ambroſius, & exponit *Annum Domini*, perpetuis diffuſum temporibus, qui redire in orbem laboris neſcit: continuationis & quietis fructus, hominibus indulgeat. Ita ſunt inter ſe diſtracti opinionibus, & diviſi, poſtquam ſemel à genuino ſenſu, & ſententiâ exorbitarunt.

10 Sequitur iſtam affinis controverſia alia, de tempore adminiſtratæ diſpenſationis, quot annos, quot Paſchata, ut loquuntur, Chriſtus, à baptiſmo tranſegerit, ad ſupplicium crucis. Si plures uno annos, quam à Gnoſticis effuſam ſententiam diſsipavimus, in ſuſcepto peregit miniſterio, quoto tum termino circumſcribuntur? Nam duo, tria, quatuor, quinque, etiam ſex, aut fortè plura obierit, cùm conſtet triceſimo ineunte baptizatum, etſi non ſtatim fungi cepiſſe officio ſuo. Collectum autem fuerit è Scripturis, illum quadragenario majorem adhuc cum vitâ fuiſſe & miniſterio. Imprimis enim erant olim, qui nullâ Conſulum, vel annorum habitâ ratione, quibus editus in lucem, affuſus baptiſmo dicebatur, paſ-

ſioni

ſioni tamen & crucis ſupplicio, quadrageſimum ſextum ætatis annum adſcripſere. Fundus huic ſententiæ duplex conſtitutus: primus apud Johan. extat, 8.57. ubi ſic illum alloquuntur Judæi; *Nondum quinquaginta annos habes, & tu vidiſti Abrahamum?* Supponunt qui hoc dicunt, annum quadrageſimum exceſſiſſe eum, & quinquageſimo appropinquâſſe, ut non pauciores tunc annos, quàm quadraginta ſex potuerit adimpliſſe. Alioquin, ſi xl. annos non exceſſerat, multò fortiùs preſsiſſent illum Judæi, & ſententiæ, quemadmodum blaſphemabant, abſurditatem docuiſſent, ſi dixiſſent, nondum habes quadraginta annos. Eſt hæc vetuſtiſſimi ſcriptoris Irenæi ſententia incommoda, ſed tamen aſſerta vehementiùs, contra Ptolemæum, è Valentini & Gnoſticorum colluvie, Hæreticum: qui in confirmationem impii ipſorum de 30. Æonibus delirii, Jeſum Chriſtum 30. tantùm annos vitæ compleviſſe dicebant, in 31. currente, crucifixum. Humanitùs hoc erudito illi ſcriptori accidit, quod ſtultis ſolet certè reformatoribus plerumque accidere, ut dum vitent ſtulti vitia, in contraria currant. Verba Irenæi tranſcribemus, è cap. 39. lib. 2. *Quia autem triginta annorum ætas, primæ indolis eſt, juvenis, & extenditur uſque ad quadrageſimum annum, omnis quilibet confitebitur, à quadrageſimo aut quinquageſimo anno, declinat jam in ætatem ſeniorem: quam habens Dominus noſter docebat; ſicut Evangelium, & omnes ſeniores teſtantur, qui in Aſia, apud Johannem Diſcipulum Domini, convenerunt, id ipſum tradidiſſe iis Johannem.* Statuit ergo Irenæus, inter annos 40. & 50. Chriſtum adhuc vivum in carne, miniſterium ſuum obiiſſe. Probat autem triplici ratione: quarum prima, Quòd perfecta ætas hominis, duobus illiſce terminis definiatur: à quinquageſimo declinet in ætatem malam: ſecunda, quòd id innuat Evangelium: tertia, quòd ſic tradiderit ſenioribus in Aſiâ Johannes, quem certum eſt intellexiſſe, quid ipſe ſibi voluerit, in Judæorum illâ increpatione recitandâ. Concludit ergò, capite 40. *Quibus oportet magis credi? utrumne his talibus? an Ptolemæo, qui Apoſtolos nunquam vidit? ſed & ipſi autem, qui tunc diſputabant cum Domino Jeſu Chriſto, Judæi, apertiſsimè hoc ſignificaverunt. Quandò enim iis*

dixit Dominus, Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum, & vidit, & gaviſus eſt: reſponderunt illi, Quinquaginta annos nondum habes, & vidiſti Abrahamum? Hoc autem, conſequenter dicitur ei, qui jam quadraginta annos exceſsit, quinquageſimum autem nondum attigit: non tamen multum a quinquageſimo anno abſiſtit. Ei autem qui ſit triginta annorum dicitur, utique, Quadraginta annorum nondum es. Ut nihil clarius vel apertius eſſe poſsit, quam in eo errore verſatum Irenæum, Chriſtum Dominum exceſsiſſe quadrageſimum vitæ annum cum miniſterio fungeretur: atque ita ultra undecim paſchata obiiſſe.

11 Mirifica eſt, doctiſſimi Cardinalis, iſtius ſententiæ tam incommodæ, defenſio. Fatetur ita legi, & quidem apertiſſimè haberi apud Irenæum: idque in omnibus omnino, quotquot extant, exemplaribus: non tamen id ſcripſiſſe, aut ſenſiſſe Irenæum. Itaque aliud ſentiebat, ſcribebat aliud? Hoc eſſet hominis plani & mendacis, non veritatis Chriſtianæ hyperaſpiſtæ. Nec hoc conceſſerit Cardinalis: verùm ab aliquo per fraudem inſertum, & interſperſum hoc παρεμπτωμα. Quod gratis ab illo, & ſine ulla, vel authoritate, vel juſtâ ſuſpicione dicitur. Cùm nihil in toto illo tractu, hiulcum, luxatum, malè cohærens, inconſequens appareat: ſed planè faciat ad propoſitum, ſi tamen verum eſſet contra Gnoſticos, quos caſtigandos & refellendos ſuſceperat. Stylum poſtremò, & dicendi characterem Irenaicum reſipiat, nec in aliquâ vel tantillâ re, in diverſum abeat: præcipuè quod traditionem ſeniorum accerſat in partes, qui Johanne in Aſia utebantur: quo genere probationis ille non unâ vice uſus noſcitur. Ridiculè ergo confugit Cardinalis, ad illum χρησφυγετον imperitorum, *locus gloſſe mate corruptus eſt.* Fevardentius in notis, ut Irenæum excuſet, in Papiam refert fundum & Authorem. Potuit ergo iſtud audiviſſe à Papiâ, Ariſtionis, & Johannis Presbyteri diſcipulo: qui, Authore Euſebio, homo fuit pertenuis ingenii, & res quaſdam ab Apoſtolis ſubobſcurè & parabolicè dictas, non intellexit. Ita non eſt hæc excuſatio, ſed accuſatio potiùs: nec tam Irenæum excuſat, quam incogitantiæ, indiligentiæ, aut ſimplicitatis arguit, qui tam facile

facilè, in hominis futiliſiſſimi narratione tam abſurdâ acquievit. Nec illam admittet Irenæus, quippè, qui non unum aliquem, nedum Papiam, *ſed ſeniores omnes* appellet in rem pronunciatam teſtes. Et iterùm: *Quidam illorum non ſolùm Johannem, ſed & alios Apoſtolos viderunt, & hæc eadem ab ipſis audierunt, & teſtantur de ejuſmodi relatione.* Quocircà multò rectiùs in præcedentibus Fevardentius. Candidè de beatiſsimo Martyre ſentiendum, quòd impetu ipſo refellendi Gnoſticos, qui annum trigeſimum primum, illum non exceſſiſſe dicebant, in partem contrariam delatus ferebatur: cui & ego libens, meritò aſſentior.

Addit aliam Cardinalis excuſationem, hanc nempè: 12
Irenæum in cap. 39. præcedenti, è ſacro Johannis Evangelio notatum dediſſe, tria Paſchata Servatorem celebrâſſe Hieroſolymis. Horum prius Joh. 2. 12. habetur: ſecundi meminit, Joh. 5. 5. tertium erat illud, quo crucifigebatur. Quæ rectè & verè ſecundum Irenæum dicta recitantur: ſed ἀπροσδιονύσως tamen: τὸ προκείμενον Baronio eſt, textum Irenæi ab inſtitore corruptum: Ratio, quòd alitèr in præcedentibus dixerat Irenæus: at hoc non evincit, ſi verum detur, niſi ſibi contradicere non poſſet Irenæus: at neque hoc dicit, niſi per illationem, de tribus Paſchatis commemoratis. Quæ tribus annis ſibi invicem ſuccedentibus, non ait Irenæus celebrata, ſed tantùm ἀπολελυμθώς, tria vidiſſe Paſchata. Quod rectè tueri poterat, etiam bis tria, ter tria, & tamen ſimul contueri, Chriſtum annum quinquageſimum penè attigiſſe. Ita autem contra Gnoſticos argumentum procedit. Tuebantur illi, unicum ſolum annum integrum prædicâſſe Chriſtum: At hoc ſtare nequit, apertè enim ſcriptura ait, incepiſſe illum eſſe quaſi annorum 30. cùm baptizaretur; non autem prædicabat niſi baptizatus. Poſt baptiſmum ſuſceptum, in Evangelio ſecundùm Johannem, trium Paſchatum habetur mentio. Quocircà annum triceſimum neceſſe eſt ut vivendo exceſſerit; ſaltem pervenerit ad 33. Neque fieri potuit, ut anno currente 31. quod illi Hæretici ſomniabant, in crucem ſuſtolleretur: quoniam hæc tria Paſchata non ſunt unius anni. Omnis quilibet confitebitur: ita ille Pater. Et certè non

minùs omnis quilibet confitebitur, non eſſe in rem, vel defenſionem Irenæi, illam quam attulit Cardinalis excuſationem: verè ſentiebat Irenæus, annum eum agentem 30. baptizatum: rectè tenebat Irenæus, eum ter in Paſchali ſolennitate fuiſſe Hieroſolymis. Nuſquam affirmat ter tantùm: nuſquam ait non pluriès affuiſſe: ſolum ternâ vice de quâ memoria extat. Atque ita, hiſce non obſtantibus Baronii reſponſis, potuit Irenæus in illâ verſari opinone; & certè verſatus eſt, ad annum 46. vivendo perveniſſe.

13 Quod ad argumenta attinet Irenæana, traditioni innititur, ſed erroneæ, licet antiquiſſimæ: ut quæ fides adhibenda ſit traditioni prætenſæ, intelligatur; ſi non aliâ deſtinâ, quàm ſolo nudo nomine ſuffulta, commendetur: eſt illa interdum præclara ἀπαράδοτος, interdū ἀδιαθήκη, & ἐπιστολὴ. Traditionem libentèr admitto, exoſculor, ſi non cum regulâ fidei, ῥήσει Scripturæ, univerſalis Eccleſiæ praxi pugnet. Secundò, argutatur de perfectâ ætate hominis, quod & ipſum in incerto & lubrico verſatur. Perfecta planè omnia in Chriſto cernebantur, nam vel teſtibus inimicis, Ille πάντα καλῶς: Habuit & ὑπερβάλλοντος perfectionem gratiæ, naturæ, diſpenſationis: ſed illa ætatum perfectio, nec ubique, nec in omnibus, nec ſemper uniuſmodi. Irenæo ipſo authore, eodem in loco, ætas triceſima eſt ætas Magiſtri perfecta. Non ergò 46. Humanam ætatem per ſeptenarios deducunt multi; Hippocrates, Philo, Nyſſenus, Macrobius, apud illos hominis perfecta ætas, ab anno 28. uſque ad 50. procedit. Annibalem narrat Livius, admodum juvenem, interempto Aſdrubali ſucceſsiſſe: eum tamen id temporis Polybius ait, 28. annum attigiſſe. Juſtinianus Procopio in ἀνεκδότοις, dicitur κομιδῇ νεὸς, cùm eſſet natus annos 30. *Fœminas à xii. annis*, ait Tertullianus de virgin. velandis, cap. 11. *maſculos à duobus ampliùs, ad negotia mittunt.* Et idem alibi, *Annus decimus quartus, apud Medicos & Jurceonſultos initium virilitatis.* Ariſtoteles Polit. 7. nubere non permittit, niſi natis annos 18. nec maritari viros, niſi annos 38. Aſſurgit altiùs Plato, ad 20. annum pro fœminis: deſcendit pro viris, & 30. aſſignat: Heſiodo placuit utriſque 30. circitèr annum γαμεῖσθαι: Iſaac non niſi

40.

40. annos natus, conjugio junctus. Judam avum factum ſcimus ad annum 36. Solomon 12 annos natus, Roboamum genuit. Et Ahaz Ezechiam 9. vel 10. annorum puer. Joſeph, ad annum ætatis 30. Pharaonis inſinuatur gratiæ. Ejuſdem ætatis David regnum Judæorum capeſſivit. Erat illa ætas, auſpicatæ Prophetiæ, Ezechieli: Prædicationis, Johanni Baptiſtæ: miniſterii, Jeſu Chriſto. Ita vacillat planè, quod allegat Irenæus, de perfectâ hominis ætate, inter annos 40. & 50. Nec multum hic refert, quid pronuncient Judæi, nondum quinquaginta annos habes, non magis quàm ſi dicerent, nondum 60. aut 40. Loquebantur licitè: ἀπολύτως: ita tamen ut qui dictum audiebant, nec ætatem juſtam ſciebant, intelligerent, infra metas conſtitiſſe. Unde autem conſtabit, illos quinquaginta, & non potiùs quadraginta dixiſſe. Certè quadraginta annos, non quinquaginta, Chryſoſt. legit, & exponit, ὡς ἐγγὺς τῆς τεσσαρακοντα ἐτῶν λοιπὸν ἔτι τὸν χρόνον. Atque ita ſcriptum reperiſſe ſe, teſtatur Euthymius. Verùm, ut omninò illi dixerint, Quinquaginta populus dixit, & ideò erravit.

Secundam, de miniſterio Servatoris & œconumia, ſententiam illam Gnoſticorum ponimus refutatam Irenæo opinionem, Annum duntaxat unicum, & quod excurrit, eum prædicaſſe. Attigimus illam in præcedentibus: hic loco magis proprio ulteriùs proſequemur. Ἔδει, φησὶν, αὐτὸν μόνον ἐνιαυτὸν αὐτὸν κηρύξαι, καὶ τοῦτο γεγενῆσθαι οὕτως. *Illum oportebat adhuc*, inquit Clemens Alexandrinus, Strom. 1. pag. 147. *annum tantum unum prædicare, quod ipſum hoc modo ſcriptis conſignatur; Annum Domini acceptum prædicare, miſi Te. Hoc edixit Propheta, & conſentit Evangelium.* Anno Tiberii decimo quinto, & Auguſti itidem quinto decimo, complentur anni triginta, uſque ad paſſionem: & Strom. 6. pag. 279. Ἡμῶν γὰρ ὁ κύριος, καθ' ὃν τὴν παρουσίαν διδασκαλία, ἀπὸ Αὐγούστου, καὶ Τιβερίου Καίσαρος ἀρξαμένη, μεσούντων Αὐγούστου χρόνων τελεῖται. Quo loco legendum ἀπὸ Αὐγούστου ἀρξαμένη μεσούντων Τιβερίου χρόνων τελεῖται. Naſcebatur enim, quod pueri noſtri ſciunt, imperante Auguſto Chriſtus: imperante Tiberio crucifixus. Cujus imperio ultra medium decurſo prædicationem auſpicabatur: à quo ſenſu non abhorret Tertullianus. Poſt Auguſtum, qui ſupervixit poſt nativitatem 14

tivitatem Chriſti, anni 15. efficiuntur. Cui ſucceſsit Tiberius Cæſar, & imperium habuit, annis xxii. menſibus vii. diebus xx. Hujus 15. anno imperii, paſſus eſt Chriſtus, annos habens quaſi 30. cum pateretur. Quanquam peculiari quodam, & ſuo errore laborat hic Tertullianus. Vult enim eum auſpicatum ſuam Prædicationem, anno Tiberiano 12. & ad annum 15. produxiſſe. ſequitur hinc, incepiſſe Jeſum eſſe quaſi triginta annorum, non cum à Baptiſmo per Johannem in Jordane, fungi ſuo inciperet Miniſterio: ſed cum ſimpliciter illud, ubi autem, & quando, dicat is qui novit, ordiretur. Ita ſe explicat ipſe, 1. con. Mar. cap. 16. *At nunc, quale eſt, ut Dominus à 12. Tiberii Cæſaris revelatus ſit: ſubſtantia verò, ad 15. Severi Imperatoris* (quo anno contra Marcionem librum illum ſcribebat) *nulla omnino comperta ſit.*

15 Erant certè Clemens & Tertullianus, par patrum in Eccleſiâ antiquâ πολυμαθέστατον; Athenæis, Plutarchis, quibuſcunque Paganorum Philologis æquiparandi. Qui cùm, neſcio quo fatali modo, in has Gnoſticorum blaſphemias & καινοτομίας inciderunt, exemplum aliis errandi præiverunt: qui nimis εὐήθως & ἀβασανίστως in illa paradoxa deſcendebant, quæ videbant à tam doctis & accuratè eruditis Scriptoribus, commendata. Hinc in errorem lapſi ferebantur, Lactantius, Severus, Hieronymus, Auguſtinus, Julius, ante omnes, Africanus, quos ejuſdem fautores Cardinalis Baronius, ad annum Chriſti 34. ſect. 143. recitavit. Inter iſtos, Hieronymum imprimis quod attinet: nihil ille, poſitivum de ſuâ ſententiâ, in caput 9. Danielis attulit, tantùm Julii Africani opinionem referendo, & aliorum è vetuſtioribus de Danielis hebdomadibus 70. ait, *Atque exinde, uſque ad annum 15. Tiberii Cæſaris, quando paſſus eſt Chriſtus, numerantur anni 70.* paſſum ait anno Tiberiano decimo quinto: ſed de Africani ſententiâ, non autem ſuâ. In Epiſtola 22. minus eſt quod habet. *Taceo quod uſque ad 30. annos ignobilis, parentum paupertate contentus eſt.* Nimirum id vult, ad triceſimum uſque ætatis annum, apud parentes privatum vixiſſe: & tum demùm ingreſſum, quod nos fatemur, miniſterium. Atque ita de numero tollendus Hieronymus. Auguſtini in epiſtola 80. quæ eſt ad Heſychium, iſta

iſta ſunt, *A natiuitate Domini hodie computantur anni fermè quadringenti, & viginti: à Reſurrectione autem ejus vel Aſcenſione, anni plus minus 390.* Unde ſequela illa neceſſariò infertur, annum agentem Servatorem 30. in Cruce paſsionem conſummaſſe.

Vehementèr mihi mirari ſubiit, unde, vel quomodò factum fuerit, ut tot, tanti, tam præſtanti eruditione, & Scripturarum cognitione, viri, in hanc abſurdam ſententiam inciderint, ab hæreticis, nequiſſimis impoſtoribus, & veritatis ψευδεπιγραφαῖς, excogitatam, & orbi obtruſam cæcutienti; quam tam liquidò refellant Scripturæ ſacræ: diſertìm quippè legitur apud Sanctum Johannem, tribus feriis Paſchalibus perſonalitèr Servatorem interfuiſſe: hoc eſt, triennii ſpatio ſupervixiſſe poſt baptiſmum. Valentinum Hæreſiarcham ita docuiſſe, refert Irenæus, lib 2. cap. 38. duodecimo autem menſe, dicunt eum paſſum, ut ſit anno uno poſt baptiſmum prædicans: & ex Propheta tentant hoc ipſum confirmare, ſcriptum eſt enim, Eſaiæ 61.2.4. vocare annum Domini acceptum. Quem Prophetæ textum, Clemens & Tertullianus, uterque Valentino infenſiſsimus, urgent. Atq; ita Gaudentius Brixianus, Ambroſii æqualis: *Anniculus eſt Chriſtus, quia poſt illud baptiſma, quod pro nobis ſuſcepit in Jordane, uſque ad paſsionis ſuæ diem, unius anni tempus implevit: & illa tantùm ſcripta ſunt in Evangelio, quæ in illo anno vel docuit, vel fecit.* Falſò, abſurdè, & contra manifeſtiſſimam Scripturæ aſsertionem. 16

Δαμιλέστεροι ab iſtis alii, biennium allocant, & poſt baptiſmum ſtatuunt, tam diù prædicâſse: ſed biennium illud fuiſse neceſse eſt ὀλόκυρτον, & λελεβημόνον, niſi aliàs quàm in Paſchate crucifixum velint. Non enim expleto, ſed currente per tres menſes, non plures, biennio, conſummabatur. Hujus ſententiæ patronos, quæ revera, aut nihil, aut parum à priore illâ differt, nominat Baronius ad annum 34. ſect. 144. Apollinarium Laodicænum, Cyrillum Alexandrinum, Philaſtrium, Caſsiodorum, quos ſuæ ſententiæ, quæcunque demùm fuit, relinquemus. Irenæus, & poſt eum Epiphanius, triennium aſsignant diſpenſationi. Comperitur, ait Epiphanius, 33. ætatis ſuæ anno, eſse paſsus. Hoc ille ſtatuit, hoc fixum 17

&

& ratum volebat eſse, in ſententiâ ſuâ. Neque refert utrum tabulis conſularibus vitioſis, an perfectis utebatur, quod ingerit hîc Cardinalis. Irenæus lib.2.cap.39. tractu quodam longiori, in hanc opinionem confirmandam ſic deſcendit. *Eſt autem valdè admirari, quonam modo profunda Dei adinveniſſe ſe dicentes, non ſcrutati ſunt in Evangelio, quoties ſecundùm tempus Paſchale, Dominus poſt baptiſma aſcenderit in Jeruſalem: ſecundùm quod, moris erat Judæis, ex omni regione, omni anno, tempore hoc, convenire Hieruſalem, & illic diem feſtum Paſchæ celebrare. Et primùm quidem, ut fecit vinum ex aquâ in Canâ Galileæ, aſcendit in diem feſtum Paſchæ. Quoniam & ſcriptum eſt, quia multi crediderunt in eum, videntes ſigna quæ faciebat, ſicut Johannes, Domini diſcipulus, meminit. Dehinc iterum ſubtrahens ſe, invenitur in Samariâ, quandò & cum Samaritanâ diſputabat, & filium Centurionis, abſens, verbo curavit; dicens, vade, filius tuus vivit. Et poſt hæc, iterùm ſecundâ vice aſcendit, ad diem Feſtum Paſchæ in Jeruſalem, quandò Paralyticum, qui juxta natatoriam jacebat 38. annos, curavit, jubens ut ſurgeret, & auferret grabatum ſuum, & iret, &c. Deinde cùm Lazarum ſuſcitaſſet ex mortuis, & inſidiæ fierent à Phariſæis, ſecedit in Effren civitatem: & inde ante 6. dies Paſchæ veniens, in Bethaniam ſcribitur, & de Bethania aſcendens in Hieroſolymam, & manducans Paſcha, & ſequenti die paſſus. Quoniam autem hæc tria Paſchatis tempora non ſunt unus annus, omnis quilibet confitebitur.*

18 Hactenùs Irenæus, è Joh.2.12. & 5.5. & 11.11. teſtimoniis omni exceptione & cavillatione majoribus, Tria Paſchata, hoc eſt, triennii ſpatium, diſpenſationi miniſteriali aſſignavit. Secundò, hinc deducitur manifeſtò, in paraſceve Paſchatis, hoc eſt, noſtro more loquendi, in vigiliâ Feſti, eum paſſum. Tertiò, conſtare debet & certè conſtat apud Chriſtianos, paſſum ſub Pontio Pilato, nondum ſepoſito, & deportato in exilium: ideoque nec poſt exceſſum Tiberii: quod poſtremum fidei edictum, de Pilati præfecturâ, abſurdam illam, & ſanè impiam opinionem profligat, de Chriſto majore quadragenario, cùm in crucem agebatur. Ita enim nec ſub Pilato, nec imperante Tiberio, imò neque Caio, ſed Claudio tandem patiebatur. Veritatem tuentur qui aſ-

ſignant

ſignant triennium miniſterio; ſed non totam, vel integram veritatem, quod recentiores Chronologi, & Hiſtorici, planiſſimè jamdudum demonſtrarunt. Triennium prædicâſſe certum eſt, quia conſtat quatuor Paſcha ta celebrâſſe: & intervallum baptiſmo ac reſurrectioni interjectum, quadriennii decurſu terminabatur. Paſcha illud, cujus meminit Joh. 2. 12. Evangeliſta: & illud quod habetur Joh. 6. 4. invenitur Joh. 6. 1. Feſtum quoddam Judæorum commemoratum, cui interfuit Servator. Feſtum autem illud indefinitè dictum, Chryſoſtomus, Cyrillus, Epiphanius, Calvinus, Pentecoſten illam ſubintelligi volunt, quæ Paſcha Joh. 2. 12. nominatum ſequebatur immediatè. Non placet hoc effatum doctiſſimo Chemnitio, & impoſsibile in ſe continere. Nam Joh. 5. 1. Feſtum quod appellatur, vel ex ipsâ narrationis Evangelii ſerie, patet aliud fuiſſe, â ſuperiùs nominato, Pentecoſte. Poſtquam enim exceſſerat Hieroſolymis Jeſus, in illo primo Paſchate, abiit in alias urbes & vicos, per Judæam: moram hiſce in locis aliquam fecit, nam & ibidem dicitur baptizâſſe: inde cùm verſus Galilæam iter arriperet, Samariam, id quod ei neceſſe fuerat in Galilæam iturienti, in tranſcurſu devenit. Quandò celebris illa Samaritanæ mulieris ὑπαντῆ, Johannis 4. commemorata, per 4. dies detinuit illum apud Samaritanos: ver. autem 35. dicitur, ab illâ interlocutione, quatuor menſes reſtare, ante meſſem. Meſſem verò ſuam in Palæſtinâ, ſtatìm à finitâ Paſchali ſolennitate obire ſolebant; adeò ut ante Pentecoſtæ adventum, hoc eſt, ſeptem completas hebdomadas, meſſem ibi finitam, in horreis ſuis recondiderant.

Quod ipſum, productis Scripturæ teſtimoniis, Chemnitius probat. Atque ita ἀποδεικτικῶς deducit, hoc priùs ſuppoſito, quòd verum eſt, ſtata fuiſſe, & per legem immota Feſtorum in lege inſtitutorum, tempora. Feſtum illud, quod dicitur Joh. 5. 1. nullo modo dicendum Pentecoſten, illius anni, quo Paſcha quod refertur Joh. 2. 12. celebrabatur: cùm inter Paſcha atq; Pentecoſten, ſtatum utrumque & fixum lege feſtum, quinquaginta ſolùm, quod & nomen indicat, dies interveniant. Secundò, eò quòd indefinitè ponatur Feſtum, nec ulte- 19

riùs indicetur quodnam erat illud Feſtum, non eſt neceſſe ut fuerit Paſcha: tamen quoniam plura erant per annum Judæorum Feſta, quàm vel Paſcha, vel Pentecoſte: ideò ulteriùs progrediuntur, & verba illa, Chriſto pronunciata, Adhuc quatuor menſes & erit meſſis, volunt circa finem menſis Decembris prolata. Nam ab illo termino, ad exitum Aprilis, vel initium menſis Maii, quum maturæ per Palæſtinam ſegetes meſſores expectant, ſunt menſes quatuor intercedentes. Porrò, per Septembrem menſem, Tabernaculorum Feſtum, Dedicationis, vel Encæniorum per Novembrem agebantur: ab utroque termino, ampliùs quàm quatuor menſium ſpatium, ad ſuccedentem meſsem computatur. His ita poſitis, ulteriùs pergitur. Inter Decembris vel Januarii exitum & initium, & ſequens Paſcha, nullam feſtivitatem publicè Judæi agebant; ſaltem lege ſtatutam, ſi fortè invectam per ἐπιδόσεις. Ita omni modo, feſtum illud indefinitè poſitum, in Paſcha recidet: Aliud autem, & diverſum ab illo cujus mentio Joh.2.12. etiam & ab illo quod habetur Joh.6. ut illud conſequatur, hoc antecedat, in anno diſtincto ab utroque eorum celebratum. Atque ita ſubductis per Chemnitium calculis, quatuor omninò Paſchata, per Chriſti Domini diſpenſationis miniſteriiq; tempus, apud Johannem inveniuntur commemorata.

20 Gerardus Mercator, magni nominis in Chronologicis & Coſmographicis, quinque nobis Paſchata in decurſu miniſterii Servatoris commendat. Ad cujus partes acceſſerat aliquandò Joſephus Scaliger, ſed non adhæſit. Eſt autem hæc ſententia, ut præfiſcine dicam, non improbabilis. Probabilitatem hoc modo colligunt: ineunte triceſimo ætatis anno, baptizabatur; ſtatim poſtquàm de flumine aſcenderat, & vox de cœlo illa intonuerat, Hic eſt filius meus dilectus: actus à Spiritu, in deſertum tentandus ferebatur: *Neſcit enim tarda molimina*, Beatus inquit Leo, *Spiritus ſancti gratia.* Continuis quadraginta diebus & noctibus ibi jejunatus, à Diabolo vehementèr coram tentabatur, quem victor rejectum ſuperavit. Fuit igitur à 6. die Januarii, quo die, de perpetuâ Eccleſiæ traditione baptizabatur, ad 14. aut 15. Februarii

arii in deſerto, & fortaſſè diutiùs. Finitâ, poſt expletum illud tempus, tentatione, abiit Diabolus: acceſſerunt Angeli, eique miniſtrârunt, hoc eſt, ad victum, eſurienti jam, neceſſaria. Quoto deinceps tempore, finitâ tentatione, in deſerto perſtitit, haùd liquet. Non eſt improbabile, per aliquot dies ſubſtitiſſe, orationi intentum, & meditationi; miniſtrantibus ei interim continuò Angelis.

Poſt receſſum de deſerto in terram Iſraelis (nam in interiorem eremum ſeceſſerat, ſolitarius, & ἦν μετὰ θηρίων) acceſsiſſe denuò conſtat ad Johannem, in Jordane baptizantem, juxta Bethabara. Hîc vidit Johannes Jeſum venientem ad ſe, & ait, *Ecce Agnus ille Dei qui tollit peccata mundi*; Joh. 1.29. Perhibebat hoc illi teſtimonium publicè Johannes, coram multitudine, non autem ante baptiſmum Jeſu, & tentationem, ſed poſt utrumque: patet è verſ. 30. *Hic eſt de quo dicebam, poſt me veniet vir, qui me anteceſſit, quia prior me fuit. Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me, ut baptizarem aquâ, is mihi dixit, &c.* Dicebat autem iſta Johannes, tùm cùm Jeſum baptizaret. Poſterius quoque hoc teſtimonium perhibitum illi eſt, illâ legatione Judæorum, Johannis primo: quod ſatis è ſerie relationis conſtat apud Evangeliſtam: priùs verò quàm Diſcipulos ſibi Jeſus aſciverat. Poſtero enim die iterum ſtabat Johannes, & ex Diſcipulis ejus duo: & intuitus Jeſum ambulantem, ait, Ecce Agnus ille Dei: & audierunt eum duo illi Diſcipuli ita loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum: & apud illum manſerunt toto illo die, hora enim erat fermè decima. Poſtero fortè die, fortaſſis poſt alterum, vel etiam tertium, Andreas, qui è duobus unus erat, reperto fratre ſuo Simone, dicit ei, invenimus Meſſiam, & adduxit eum ad Jeſum. Poſtridiè cùm in animo haberet Jeſus repetere Galilæam, ſuam civitatem, matrem, fratres, & affines; repperit Philippum, & ait ad eum, ſequere me. Vocationis igitur ad diſcipulatum, primitias, & τὴν πρωτοκλισίαν, ſortitus Philippus fuit: qui Nathanaelem, quem ego Bartholomæum arbitror, Chriſto conciliavit. Hæc omnia poſt regreſſum è deſerto, ante reditum in Galilæam, contigiſſe volunt. Quantum verò temporis, hiſce, & ſimilibus tranſigendis, impenſum fuit, nequaquã liquet, neq; certi quid ſtatuere poſſumus. 21

22 Finitis hiſce apud Johannem, & in viciniâ, quæ narrantur, commerciis, venit in Galilæam: & die tertio, poſt regreſſum nempè, factæ ſunt nuptiæ in Canâ Galileæ, ad quas Chriſtus ipſe, Mater, & Diſcipuli vocati fuerunt. Quæ ſi continuatâ ſerie quemadmodum narrantur apud Evangeliſtam, geſta fuerant, poterant ante Martium menſem, fortaſsis ἀρχόμενοι, certè μεσῦντα, adimpleri: ita ut ſpatium ſatis ſuperfuerit temporis, ad apparandum ſe profectioni Paſchali, cujus mentio habetur Joh. 2. Atque ita longè abierit à veritate Mercatoris opinio, qui quinque tota Paſchata, miniſterii temporibus incluſit. Sed non eſt neceſſe, ut omnia & ſingula ſuperiùs commemorata, immediatè ſibi invicem, à baptiſmo & tentatione ſuccederent: neque enim Annales nobis contexebant Evangeliſtæ, ſed συμφύρουν Hiſtoricas, πρὸς τὸ ἠθικώτερον, narrationes. Illæ autem relatæ apud Evangeliſtam, de Andreâ, Simone, Philippo, Nathanaele, nequaquàm mox à regreſſu è deſerto, & acceſſu ad Johannem contingebant: ſed poſt primi Paſchatis feſtum, & integri anni penè decurſum à baptiſmo. Ita enim ſtatuendum videtur, Chriſtum è deſerto reducem, in Galilæam, ad matrem & Joſephum, ſi modò tunc in vivis fuerat, adveniſſe. Par enim fuerat, ut qui per totos 29. annos, parentibus ſuis ſubditus vixerat, & negotiis maternis, & familiaribus procurandis, fabrilem artem exercendo, vacaverat: baptiſmo initiali, & Spiritus ſancti ἐπιφοιτήσει, ad majora, τὰ τῦ Θεῦ, ἢ εἰς Θεὸν, ſeparatus; ὁλῷ καθίζοι, quod in conditu mundi, & majoribus negotiis obſervat Deus: & ideò, ut diſpoſitis mundi rebus, & matris ſuæ, ἀποταξάμενος, pedetentim, & paulatim ſe faceret propalatum, & multitudini innoteſceret.

Verior ſententia.

23 Rectè igitur Cajetanus, in caput primum Johan. ait, *Rationi conſentaneum fuiſſe, ut illum annum integrum, qui inter baptiſmum & nuptias interceſſit* (Nam eodem die 6. Januarii, utriuſque memoriam celebrat Eccleſia) *exegerit Chriſtus in Galilæâ, apud ſuos affines & familiares privatim, eos docendo & informando*, & quaſi προσδιασκευαστικῶς, ad majora paulatim inducendo. Diſcipulos quoq; ut aliquos privatim aſciverit: cùm in illis nuptiis habeatur mentio Diſcipulorum, qui nec erant, nec eſſe poterant illi,

li, quibus apud Johannem innotuerat: ſed quos domi, in Galilæa, privatim docuerat. E quâ ipſius ἀναστροφῇ & diſciplinâ, mater, quæ jam recondita apud animum ſuum magnalia, digerere incipiebat; è domeſticâ, ut dixi, diſciplinâ, de vini penuriâ certiorem facit: & miniſtris in mandatis dabat, ut quicquid juberet, facerent. Secundò, Epiphanius Hæreſi 51. quæ eſt Alogorum, ait, ἀπενεχθῆναι αὐτὸν τεσσαρακοντα τῷ πειρασμῷ, καὶ αὐτὸν δύο ἑβδομάδες μικρῷ πλεῖον, αὐτὸν δὲ Ναζαρὲτ, ἀπὸ τῆς ἡμερῶν τοῦ πειρασμοῦ. Vult eum à tentatione reverſum Nazaretham. Rectè quidem illud: ſed quod ait, duas ibidem ſeptimanas egiſſe, eſt ἀλόγιστον, & ratione caret. Barradius, & eum ſecutus Salianus, partìm in Galilæâ, partìm in Judæâ verſatum volunt, uſque ad Decembrem in exitum vergentem: tum verò rediiſſe ad Johannem, ubi illa acciderunt cum Andreâ, Philippo, Nathanaele; & ineunte Januario reverſum, nuptiis 6. die Januarii interfuiſſe. Tribus enim miraculis ornatum, illum diem 6. Januarii colimus in Eccleſiâ Anglicanâ, cum conſenſu totius & univerſalis Eccleſiæ Illâ die ſtella Magos ad Chriſti præſepium duxit: vinum ex aquâ factum eſt ad nuptias: & in Jordane à Johanne Chriſtus baptizari voluit, ut ſalvaret nos. Legimus autem, ad matutinas, lectionem è Lucæ 3. de baptizato Jeſu; & ad veſpertinas, è ſecundo capite Johannis, hiſtoriam de nuptiis; & ad Evangelium, narrationem de Magis. *Verbum* nempè *diei in die ſuo*: ut teſtatum noſtris faceremus, nos credere diem illum tribus illiſce magnalibus honoratum. Ex quo ſequitur, ait S. Thomas in Lectionibus, quòd ad minus unus annus fuit elapſus à baptiſmo, uſque ad nuptias. In quo quidem anno, nihil aliud legitur Dominus feciſſe, niſi quod dicitur Matth. 4. de jejunio in deſerto, & de tentatione à Diabolo, & ea quæ hîc Johannes refert, de teſtimonio Baptiſtæ, & converſione Judæorum. A nuptiis autem cœpit publicè prædicare, & miracula facere, uſque ad paſſionem.

Hæc pleraque dicuntur valdè probabiliter: illud autem tenendum eſt accuratè, niſi velimus Catholicæ Eccleſiæ praxin & conſenſum rejicere de Baptiſmo ad 6. Januarii, non eodem die, ejuſdem anni, & baptiſmo initiatum 24

tiatum, & aquam in vinum convertiſſe. Atque ita non pauciora quidem Paſchata ſtatuenda miniſterio, quàm quot Mercator opinabatur: eoque magis, ſi & illud addatur, quod non eſt rejectitium, plura celebrâſſe, ſaltem tranſegiſſe Paſchata Servatorem, quàm quæ recitantur ab Evangeliſtâ. Nam cùm Johannes plura commemoret quàm cæteri Evangeliſtæ, fieri potuit, ut non omnia ille recitaverit; qui diſertim reliquit ſcriptis mandatum, Multo plura feciſſe Jeſum, quàm quæ ſunt literis commendata. Quod ſi reponatur, diſcipulos illos in nuptiis memoratos, fuiſſe Andream, &c. Johanni dictos: reſpondeo, illud non liquere. Secundò, potiùs non fuiſſe, cùm non dicantur Jeſum ſecuti. Tertiò, ut ita fuerint, tamen non obſtare, quo minùs poſt annum decurſum, & unum Paſcha præteritum, hæc contigerint, ut illud Joh. 2. 12. ſecundum ordinem ſucceſſerit, poſt baptiſma ſuſceptum, ineunte anno 30. & ad annum 31. miniſterii occeperit functionem. Atque ita his ad hunc modum diſpoſitis, non abludit à veritate, Chriſtum Dominum, 5. Paſchata ad minus vidiſſe, hoc eſt, integrum quadriennium, & dimidium prædicaſſe: à quâ ſententiâ, viri utrinque doctiſſimi, non abhorrent: ſed cùm non liquidò conſtet ex Hiſtoriâ ſacrâ, à communi receptâ non recedemus, ut unum minùs viderit, atque ita triennium integrum & dimidium prædicâſſe: quorum res geſtas, non omnes quatuor Evangeliſtæ memoriæ mandarunt, omni exceptione majores.

25 Divinitùs fuiſſe illos ordinatos, & ad hoc ipſum aſſignatos, beatus Petrus ait, Act. 10. 24. ut Teſtes eſſent, non in Judæâ tantùm, ſed ad fines uſque extremos habitati orbis. Erant autem ſelecti, vel è numero ſacratiſſimo duodecim illorum, quos ſelegit Chriſtus in Apoſtolos: vel illorum φοιτηται & Diſcipuli, qui narrationes illas inſtituebant, de Miſsione in mundum Filii Dei: de Exinanitione unigeniti Dei: de manifeſtatione ejuſdem per Myſterium Crucis: de Johannis Baptiſtæ Prædicatione: deque his omnibus, quæ cæpit Jeſus facere & docere, à Baptiſmo Johannis, ad diem quo aſſumptus eſt in Cœlum.

Harmonia Evangelica. Fuit porrò, quod obſervat Cardinalis, ſtudium antiquorum

quorum, ut quatuor iſta ſancta Evangelia, in unum corpus compingerent, unum ex iiſdem contexerent opus: obſervatâ, quantum fieri potuit, rerum geſtarum, temporis, Hiſtoriarum, ἀκολουθίᾳ, eorumque omnium ſucceſſionibus, quantum commodè fieri poterat, per ſeriem ordinatam diſtributis: quam recentiores illi, qui vetuſtiorum ſtudium æmulabantur, Evangelicam Harmoniam nominabant. Delectabile pleriſque viſum illud ſtudium, & jucundum propoſitum, memoriæ confirmandæ imprimis inſerviens, & accommodatum. Neque profectò parùm conducit, aut intelligendis inſerviet hiſtoriis, obſervare locorum, temporum, perſonarum, rerum geſtarum circumſtantias, quæ alioqui, tenebris obvolutas narrationes obſcurarent. Poſtremò, vel parum attentos Lectores, aut nequiſſimos obtrectatores poſſet refellere, qui ogganirent, hiſtoriam Evangelicam eſſe quoddam cocetum, ſeu tyrotarichon, molem indigeſtam & inconfuſam, ſine ullâ artis methodive luce aut illuſtratione.

E veteribus autem Chriſtianis, quis primus in hoc genere locarit operam, non eſt adeò in promptu ratio ut expediamus. Vir illuſtris, ſect. 3. in annalibus ad annum 31. tanquam ſine controverſiâ rem certam & deciſam ponit. *Id, conatum*, inquiens, *eſſe ſcimus omnium primum, Theophilum Antiochenum Epiſcopum.* Loquitur autem ac ſi Theophilo, à manibus notarius aſtetiſſet, vel fuiſſet à ſecretis Antiquorum. Nam de certâ ſcientiâ loquitur, *Scimus conatum omnium primum*: & tamen illi fundus ſcientiæ ſuæ eſt, non alius quàm Hieronymus, qui ducentos totos annos floruit poſterior in Eccleſiâ Theophilo. Quod ſi affirmâſſet hoc ipſum Hieronymus aſſertivè, tamen non poterat ſcientiam illa affirmatio operari. Sed profectò aut fallitur, aut fallit nos Cardinalis: nam hoc non affirmat Hieronymus. Ad Algaſiam epiſtolâ, hæc tantùm teſtatur. *Theophilus, Eccleſiæ Antiochenæ ſeptimus, poſt Petrum Apoſtolum, Epiſcopus; qui quatuor Evangeliſtarum, in unum opus dicta compingens, ingenii ſui nobis monumenta reliquit.* Nihil autem planè in iſtis Hieronymianis hanc ſcientiam operatur. Meminit ille quidem operis illiuſmodi per Theophilum confecti: at de hoc non dubitatur: credimus harmoniam compoſuiſſe: 26

de

de origine primâ ambigitur. At nuſquam primus Theophilus occurrit, hujus viæ author apud Hieronymum. De Theophili induſtriâ, Hieronymo fidem adhibemus; ſed de præveniente induſtriâ ejus flagitamus teſtimonium: non illud ſuggerit Cardinalis, potiùs teſtimonium in contrarium. Ergò illud (*Scimus*) aufer hinc, vir erudite: ſaltem enim arbitrii erit res iſta dubii, utrum prior Theophilus, an Tatianus compegerit Harmoniam. Tu ſcis Theophilum priorem confeciſſe, ſciunt alii autem Tatianum illo priorem, in hoc ſtudium incubuiſſe. Erant quidem σύγχρονοι in Eccleſiâ vetuſtiſſimâ, illâ temporibus Apoſtolicis vicinâ contemporanei: ſed antiquior paulò Tatianus, & ſcriptor, quàm erat Theophilus, aliquantò prior. Erat autem ille vir, præſtantis ingenii, diſcipulus Juſtini Martyris: & licet ab exceſſu ſui Præceptoris, flebilem fecerat ab Eccleſiâ diſceſſum, prolapſus in hæreſin, tamen priuſquam eò perfidiæ pervenit, multis & eximiis ingenii ſui monumentis, commendatus extitit. Ille autem, Clemente Stromateo authore, veteris quoque Teſtamenti Chronologiam indagavit: utrum verò hæreſi jam infectus, an ante lapſum compoſuerit hoc ſuum opus, non liquet. Theodoretus, in libro de Hæreticorum fabulis, & ab Hæretico, & malâ fide congeſtum refert: Illius ῥῆσις hæc eſt. *Is compoſuit Evangelium, quòd dicitur, ex quatuor, amputatis genealogiis, & aliis, quæcunque oſtendunt Dominum natum eſſe de David, ſecundùm carnem. Eo autem uſi ſunt non ſolùm hi, qui ſunt illius ſectæ, ſed illi etiam qui ſequuntur dogmata Apoſtolica, compoſitionis fraudem non agnoſcentes, ſed ſimpliciùs eo, tanquam libro compendioſo utentes.* Sed ſi illud opus ἀμπταράτων, quod hodiè extat in Orthodoxographiâ Baſileæ impreſſâ, à Victore Capuano latinè editum, ſit Tatiani, quod opinor, & confirmat in præfatione Victor, accuſatio illa Theodoreti, calumnia potiùs eſt quàm accuſatio. Non enim amputantur genealogiæ Jeſu Chriſti, ſecundum carnem, è David: caput enim 5. inſcribitur, *De Generatione, vel Nativitate Chriſti*: orditur autem illud, verbis Matthæi, *Liber generationis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham*: neq; uſpiam aliquid amputavit, quod humanam Chriſti nativitatem, aut carnem referat & cõmendet, ſed fideliſsimâ contexuit Harmoniam.

Quod

Quod ſi corrupta per illa tempora ferebantur exemplaria, reſpondeo, Hanc fraudem factam ab illius exceſſu, in opere illo, per hæreticos homines; eò quòd ſcriptum hoc in magno eſſet pretio. Narrat enim ibidem Theodoretus, ſe cùm ſuam Diæceſin viſitaret, inveniſſe in Eccleſiis ſuæ ἐπισκοπῆς, ultra ducenta exemplaria. Quòd ſi autem ipſemet, prolapſus in Hæreſin, deditâ operâ, impenſum prius laborem deformabat, illius τῆς διορθώσεως exempla omnia periere: id quod hodiè utimur integerrimum eſt, quod legenti apparet. Et erravit vir doctiſſimus, ex incuriâ opinor, qui non conſulebat opus ipſum; cùm in Exercitationibus ſcriberet: *Tatiani labor, qui hodiè extat, propter Authoris Hæretici ſingularem perfidiam, meritò à piis eſt rejectus.* Potiùs cum Victore Capuano ſtatuo: *Veruntamen, ſi vel jam Hæreſiarches, hujus editionis author extitit Tatianus, verba Domini mei cognoſcens, libenter amplector.* Meminit Euſebius τῆς συναφείας, ἢ συναγωγῆς τῶν εὐαγγελίων: Non eſt autem ille titulus operis, quod nunc extat, appellatur enim Harmonia, vel, Conſonantia Evangeliorum. Sed nec hoc titulo inſcripſit author Tatianus, ſed τὸ διὰ τεσσάρων ut relatum ab Euſebio, lib. 4. hiſt. paulò ante finem. Titulus Harmoniæ ab Ammonio oriebatur, qui poſt Tatianum & Theophilum huic rei ſtudium impendebat, & per Victorem Tatiano additus, vel, ut dixi, *Conſonantiæ.* Illud διὰ πέντε, quod habetur apud *Victorem*, cùm in Orthodoxographiâ, tùm in Bibliothecâ Patrum, corruptum eſt; nec aſſentior emendanti, διὰ πασῶν. Meminit quoque Euſebius μεταφράσεως Epiſtolarum Paulinarum, per Tatianum factæ, in quo opere malâ fide verſatum narrat, ſed Harmoniam non ita taxat, quòd ait ſe non vidiſſe, cùm profiteatur, οὐκ οἶδ' ὅπως συνθεὶς. Euſebius de Severianis Hæreticis loquens, ait, *Hi Lege, Prophetis, & Evangeliis utuntur. Sacrarum Scripturarum ſenſus & ſententias* (ut noſtri ſolent hodiè Puritani & Novatores) *pro ſuo arbitratu interpretantur. De Paulo autem Apoſtolo malè loquuntur: ejus Epiſtolis fidem abrogant: Acta quoque Apoſtolorum minimè recipiunt.* Tatianus ille, qui erat primus eorum author, & princeps, συνάφειαν τινὰ, ἢ συναγωγὴν τῶν εὐαγγελίων συνθεὶς, τὸ διὰ τεσσάρων τοῦτο ὠνόμασεν: quod etiam adhuc quo-

27

rundam habetur in manibus: ut hinc pateat Euſebium non legiſſe. Addit autem: *Hunc aiunt, nonnullas Pauli Apoſtoli voces, utpote qui dictionis & loquendi compoſitionem, in illis corrigere moliretur, audaciùs & temerè commutâſſet.* Quod ſi me non fallat memoria, legiſſe me opinor, apud Clementem alicubi Alexandrinum, nam locus quærenti non occurrebat, Tatianum in Eccleſiâ omnium omninò Principẽ extitiſſe conſtituendæ, per vetus, & novum Teſtamentum Chronologiæ. Et certè Princeps acceſſit ad illud ſtudium, contexendi in Eccleſiâ Evangeliorum conſonantias: cujus, ut & aliorum, Chemnitii præſertìm veſtigia ſic nobis proponimus perſequenda, ut tamen nullius verbis aut viæ ita inhæreamus, quin illâ deſertâ, per aliam, ſi rectior videatur, incedamus. Exorſi ubi deſitum eſt, ab illâ Anni 15. Tiberiani perioche, quem per τὰς ἐν πάλαι, eo tempore, cùm politicos & civiles, cùm ſynagogicos & ſpirituales, Hiſtoricus ſacer circumſcribit.

82 De Pontio Pilato procuratore dictum eſt in Apparatu: & recurret iterum mentio in Paſſione. Herodis & Philippi genus, & conditionem, in Herodianâ ſtirpe edidimus. De Anna Sacerdote ſummo atq; Caipha, in tractatu de Judaicis Sacerdotibus: ſolus reſtat Lyſanias, cum ſuâ Tetrarchiâ, diſcutiendus. Quis autem ille Lyſanias fuerit, quæſitum eſt. Euſebius in Chronico, cîtante Baronio, Herodis primi Aſcalonitæ filium: Philippi & Herodis Tetrarcharum fratrem putavit. Et vera eſt Baronii intimatio: Archelaum enim, & illos tres fratres fuiſſe docet, ad annum Chriſti 7. ubi non Lyſaniam ſed Lyſiam vocat: at in Hiſtoriâ Lyſaniam, & non Lyſiam. Ubi non ſatis liquet, an Lyſaniam annumeret Herodis liberis, quicquid Chronici commentator Arnoldus Pontacus affirmet. οἱ ἀδελφοὶ, φίλιππός τε, & ὁ υἱὸς Ἡρῴδης, ἅμα Λυσανίᾳ τὰς ἑαυτῶν διέλον τετραρχίας. Cum Archelaus, ait Euſebius, deportatus eſſet, *Fratres ejus, Philippus & Herodes junior, ſimul cum Lyſania, ſuas Tetrarchias obtinuerunt.* Ita vertit noſter Chriſtophorſonus, non διέλον, ſed διέπον, legens. Illud autem, ſimul cum Lyſania, non infert, eum fuiſſe fratrem, quod putavit Pontacus, ſtabiliendo ſuo errori, qui contra communem ſententi-

am

am defendit, reverâ fuiſſe eum ipſorum fratrem, Herode magno genitum, *quem certum eſt*, cum Baronio dicam, *errare*. Alii, & nominat Janſenium, illos corrigere volentes, inquit Baronius, ipſi correctione ſunt digni, dum Lyſaniam hunc, de cujus Tetrarchiâ mentio hîc habetur, illum putant eſſe filium Ptolemæi Mennæi, cujus meminit Joſephus, Antiquit. 14. 23. Baronius alium Lyſaniam, eo poſteriorem, hîc intelligi putat: quod verum eſt, nec diſſentit Exercitator: cujus ſummatim collectanea hæc habentur. Ptolemæum Mennæi, regulum Iturææ, ante natum ſervatorem 40. annis vixiſſe, cujus meminit Joſephus, pag. 673. & Strabo lib. 16. Huic defuncto ſuccedit filius Lyſanias, Joſeph. Antiq. 14. 23. quem in gratiam Cleopatræ, Antonius occidit, Antiq. 14. 25. Ille ſedem ſuam Abilæ fixit; quæ, quòd aliæ eſſent in Syriâ urbes cognomines, Abela Lyſaniæ dicebatur. Occiſus ab Antonio Lyſanias fuit, ante annos 33. quàm Dominus naſcebatur. Illius ergò non potuit hîc meminiſſe Lucas. Erat ergò poſterior, ſed an prioris filius, non conſtat: opinatur Caſaubonus, & rectè meo animo, non fuiſſe. Ita negativè ſtatuere poſſumus, non fuiſſe Herode genitum: non illo priore Lyſaniâ: ſed de quo patre, vel quis fuerat, neſcimus; uti nec à quo, Tiberio an Auguſto, illâ donatus Tetrarchiâ, nec ulteriùs ſtatuere de Lyſaniâ poſſumus. An verò Abilene illa τῆς Συρίας, cujus facit etiam Ptolemæus mentionem, ab illo priore Mennæi filio Ptolomæo dicatur, an potiùs à ſecundo, cujus meminit Beatus Lucas; doctiſsimi viri, ad priorem inclinant, mihi potiùs ſecundus fuiſſe videtur. Nam & diutiùs eam obtinuit, & ſacratiore authoritate poſſedit: cùm vix de nomine prior eſſet notus: & vix principatu initiatus, per Antonii nequitiam & crudelitatem occubuerit: iſtius autem nomen, B. Evangeliſta, ad æternitatem propagarit. Nec refert, quòd ὄνος Λυσανίου habeatur mentio apud Joſephum, ὄνος enim & παραρχία diſparantur.

De Baronio verum eſt, in parte ſentire illum, cum 29
Scaligero & Caſaubono: in parte autem diſſentire. Non enim definitum ab illo in Annalibus, à quo Lyſaniâ, priore vel poſteriore, hæc Tetrarchia ſuam ſortiatur denominationẽ: niſi prorſus tacuiſſe, ſit illud determinâſſe. Sed

pergamus Bulengerum pauliſper convenire. Is Caſaubono ſuum conſenſum adhibet, in quo Scaligerum ſequebatur, de Annâ & Caiphâ, Pontificibus. Sed ἀβασανίστως, & ſucceſſu parum fauſto. Hoc nimirum Pontifice, ἐν τῇ τάξει Aaronis, conſtituto: ſurrogato quodam Annâ, & Vicario Caiphæ, in Pontificatu. Commenti futilitatem, refellunt Apparatus: eò remittimus diſſentientem. Quæ autem neceſſitas adigebat Bulengerum, ut in 10. menſis Tiſri, Pontificem ſummum ope & operâ alicujus indigere ſtatueret. Quaſi dum ille αὐτοπροσώπως, in Sancta ſanctorum ingrederetur: alia, per idem ipſum momentum, ab eodem foris peragenda, vicariam ſedulitatem atque operam requirerent neceſſariò. Nam quod Vicarius, unà cum Pontifice, in Sancta ſanctorum introducitur, id ex illorum ſententia fit, qui locum illum ἄβατον, veſtigiis aliorum πεπατημένον, & cui non tritum faciunt. Baronius, enim Caſtrius, alii nimium faciles, cuicunque penè aditurienti ſolent ἀνεξιχνίαστα & ἀνεκδιήγητα referare, & communicare. In Hiſtoriis Judæorũ nuſquam legitur, Pontifice, alias atque aliter impedito, per Vicarium ſuum aut Deputatum, munus illud obiiſſe. Rectè autem & οἰκονομικῶς. Nam Pontificis ingreſſus in Sanctuarium cum ſanguine, τυπικῶς ingreſſum ſollennem illud Jeſu Chriſti redivivi, in ſummos cœlos præfigurabat: in ſuâ ipſius perſonâ propriâ, ὑπὲρ ἡμῶν pro nobis, & locum præparaturi. Quocirca, per ſapientiſſimam Dei providentiam & diſpenſationem factum, ut nullus unquam Pontifex per vicarium introiret in Sanctuarium. Cum tamen legatur in iiſdem Hiſtoriis, aliis vicibus vicariâ operâ uſos Pontifices: ut de Matthiâ narrat Joſephus, eum propter nocturnam pollutionem ſubſtituiſſe ſibi delegatum.

30 In ſequentibus, parum videtur Bulengerus ad illa attendiſſe, quæ de Annæ vicariatu conſtituta ſunt. Vicarius erat per illum annum: nec niſi decurſo anni tempore & ſpatio, ab ſuo abibat vicariatu. Quod ſi autem Pontificis vicarius erat ille, qui princeps fuit τῆς ἐφημερείας, finitâ ſuâ ἐφημερείᾳ, vicariatu quoque ſuo neceſſe fuit abdicare. Incongruè iccircò dicitur, cùm in evangelio ἀρχιερεῖς dicuntur, id eſt, Principes ephemeriarum ſacerdotalium

talium, in eo loco erant, apud Pontificem maximum, quo Σύγκελλοι hodiè apud Patriarcham Conſtantinopolitanum. Et cur non quo olim Archidiaconus, apud Patriarcham Romanum: certè apud illum multi erant Syncelli, ſed non remotivi, non per vices eo munere functi, ut ἀρχιερεῖς apud ſuas Ephemerias. Multi olim, tandem autem ad duos redacti. Imò & πρωτοσύγκελλοι plures erant, qui habebant ſuum πρόεδρον. Id docuit doctiſſimus & laborioſiſsimus Meurſius, in erudito & utiliſſimo ſuo Gloſſario. Quocunque verò moveas te, cum Syncellis, nihil illi faciunt ad Pontificis vicarium, qui ſemel tantùm, ubi ferebat ſe occaſio, obibat vicariatum: cum Protoſyncellus, ad terminum vitæ Patriarchæ aſſiſteret, quaſi coadjutor, eidemque defuncto ſuccedere deberet in Pontificatu. In quo genere ſucceſsionis, qui Pontificis Judaici vicarium concluſit, per ſummam hallucinatus eſt πρόβλημα. Succeſſum eſt Pontifici ab ipsâ primâ inſtitutione, ſed per ſuum primogenitum. At Pontificis primogenitis, eidem vicarius non erat: ad nullam ſpectabat ephemeriam, Ahimaaz puta, Zadoci Pontificis primogenitus, ſed patri defuncto, ſucceſſor dabatur in Pontificatu. Illa igitur Bulengeri, & olim Patriarcha deſignatus eſt Syncellus: inſtar vicarii Pontificis Hieroſolymitani, quæ planè ſunt ἀνισόρροπα, & illud πρόβλημα. Annam, qui fuit Pontificis Caiphæ vicarius, finito ſuo vicariatu, Pontificem dictum, quaſi ſolus extitiſſet in vivis Annas, qui functus erat illo vicariatu. Ad extremum tamen, ἐν ᾧ καιρῷ Bulengerus, qui deſerto Cardinali, ad partes tranſiit adverſas, ubi de Sanhedrin loquebatur, re minimè ſibi intellectâ, quod docuit Exercitator. Jam hiſtoriam evangelicam perſequamur.

Factum eſt autem verbum Domini ſuper Johannem, Zachariæ filium, in deſerto: & venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ. Nimirùm, anno Tiberii Cæſaris 15. immediatè de cœlo venit ad eum verbum. Hoc eſt, divino quodam externo actu vocationis, admonitus, & gratiæ donis inſignitèr ornatus, miniſterium illud ſuum auſpicabatur, ad quod ab æterno deſtinatus, & Prophetarum vaticiniis prædeſignatus, patris ſui jam natus & circumciſus elogio ſepoſitus, tricesimo 31

ſimo ætatis anno currente, adimpleri cepit. Nam motu proprio, divinum miniſterium nemo ſibi adſciſcere debet, niſi à Deo vocatus, ſicut Aaron. Quomodò enim prædicabunt non miſsi. Vocatus, miſſus, de voluntate divinâ venit, è deſerto, ubi vixerat, in omnem Jordanis regionem prædicans; continuato actu, quem domi, in montanis, ubi hactenùs adoleverat, inceperat, & pergendo, propagandoque in planitie, vel campeſtribus Jordani locis, conſummabat, licet plerumque verſaretur juxta Enon, loco, propter aquarum copiam, accommodato.

32 Quod igitur illuſtriſsimum Domini præcurſorem attinet, qui non tantum τὸς μέγας, & Propheta, ſed pluſquam Propheta, & magnus apud Deum, divino præconio celebratur, multa nobis ſancti Evangeliſtæ particulariùs, prout ferebat occaſio, explicuere. Quæ verò initia ipſius miniſterii & ἀναφοφῆς, hoc eſt preſentem attingunt διάσκηψιν, iſta fere ſunt, dicendi docendique forma, victus, veſtitus, converſatio, & prædicationis, habitationiſque prioris Loca. *Erat in Deſerto*, ait ſanctus Lucas, *uſque ad tempus quo Iſraeli manifeſtabatur*: & dum adhuc eſſet in Deſerto, *venit ad eum verbum Domini*. Incoluit ergo in Deſertum, quicquid illud erat, uſque ad triceſimum currentem ætatis annum. De hoc Deſerto Cardinalis ad annum Servatoris primum, è Nicephoro, Cedreno, & ſimilibus, de nece Zachariæ. Fuga Elizabethæ cum puero in Deſertum, latebris ibidem & educatione, & per Angelos procuratione, logos nobis longos narrat: & Deſertum vult eſſe meram ſolitudinem. Rem eandem, è Sophronio, ad annum Chriſti 31. aſtruere conatur, cujus, uti loquitur, *ſincera atteſtatione*, enarratum conſtare vult, non in Judeæ montanis, ſed loco ſolitario verſatum. Fabulam putidiſsimam, nequiſsimi alicujus Hæretici impoſtoris inventam, legat qui volet apud Cardinalem: in quâ narratione, quam valdè εὐήθως in ſuum Pratum ſpirituale ſimplex Sophronius retulit, nihil habetur quod non τὸ φιλομύθον reſipiat, & πεπαῤῥησίαν, quemadmodum rectè notat exercitator. Aperta enim non novit vitare mendacia, & Scripturæ ἀναπίπτων μὴ γυμνὴς γνώμης.

33 Chriſti enim Domini noſtri educatio & diſciplina domeſtica, ejus denique in carne ſuſceptâ apud Parentes

πολιτεύματα,

πολιτεύματα, ante annum Baptiſmo ſactum, hoc eſt, ætatis 30. penitus penè, incognita, nobis haud innoteſcunt, tacentibus ſcilicet, Evangeliſtis. Otioſam tot annos, vel ut aliqui κατ᾽ ἐνέργειαν, contemplativam ſolum vitam egiſſe, abſurdum eſt prorſus, etiam & impium, opinari. Otioſos odio habet Deus, contra ipſius inſtitutum agentes. Chriſtus autem homo, quemadmodum oravit Patrem ſuum, non ad ſuffragium, ſed exemplum ita quoque laboravit, ut ſuo nobis facto præiret exemplum. Nam ut ſcitè ſcriptum à Chryſologo, *Omnis Chriſti actio, eſt noſtra inſtitutio*; licet noſtra non ſit omnis (neque enim poſſumus ſuſcitare mortuos) imitatio. Quocircà, à conſpectu hominum remotiorem vitam, tanquam Anachoretam quendam, vel eremi cultorem egiſſe, nemo ſani ſincipitis dixerit: certè veterum nemo cogitavit. Ne illorum quidem aliquis, qui Prophetam Eliam, Johannem Baptiſtam, Monachis aſſeruere Patriarchas. Aſcendebat cum parentibus Hieroſolymas quotannis: erat domi apud illos Nazarethi, & in omnibus ἀνυπόστατος. Abeant ergò, quo digna ſunt, impiorum commenta de pueritiâ Jeſu: & cum iiſdem, Sophronii ſtulta narratio. Quam dum doctiſſimus Cardinalis hoc elogio adornat, ſincerâ atteſtatione enarratam, judicium ipſius accuratum hæſiſſe ad metas: & in veritatem hiſtoricam commiſiſſe, dixero neceſſe eſt. Et ſibi ipſi contradicit, qui rectè priùs ſtatuerat, Chriſti juvenis πολιτεύματα, penitùs incognita tranſiiſſe: ſi vera enim ſunt, quæ fabulator garrit, falſa ſint oportet quæ ſtatuit Baronius. Nam apud Agyrtam illum, ſenem Monachum, quem in ſcenam, apud ſpeluncam producit impoſtor, ſic in ſomnis affatus dicitur Johannes Baptiſta. *Ego ſum Johannes Baptiſta, & ideò tibi jubeo, ut nuſquam recedas; nam ſpelunca iſta brevis, major monte Sinâ eſt*, (quò nimirùm iter ille inſtituerat) *quippè, in hanc ſæpiùs, Dominus noſter Jeſus, cùm me viſitaret, ingreſſus eſt.* Itane verò, nugaciſſime ardelio, Dominus eò Jeſus ſæpiſsimè commeavit, cùm Johannem Baptiſtam, ſcilicet occultatum, & agentem in eremo viſitaret? Simpliciſſime Monache, credis huic impoſturæ? videas ne quem tu Baptiſtam rebare, ipſus ſit ἀντάταιος mendaciorum pater Diabolus, qui facilè ſolet, quòd Beatus Apoſtolus admo-

admonebat, in Angelum ſe lucis transformare, qui te, quæ tua eſt ſimplicitas & ἀβελτηρία, caſsibus ſuis conſtrictum & irretitum tenebit. Ventitavit ad Johannem in ſpeluncâ agentem, nec miniſterium adhuc obeuntem: iſtud fidem inveniat, apud homines εὐήθεις, & ſuperſtitioſos, & didita fama, orbem peragret, & ſtatim audies blaſphemiarum plauſtra: (habet enim Sathanas, & ſemper habuit, ad omnem audaciam projecta mancipia) nec Johannem Baptiſtam θεόπεμπτον, excitatumve à Deo præcurſorem adveniſſe: nec Jeſum Mariæ Nazarenum, Meſſiam fuiſſe, mundi Redemptorem, labis antiquæ reſtauratorem: ſed, horreſco referens, è fæce hominum, Agyrtarum par, qui de ſpeluncâ, ad decipiendos homines, velut ex condicto, prorepſerunt. Sanè nunquam hoc ipſum tacuiſſent Judæi, malitioſa natio, non Phariſæorum odium & Scribarum, non Pontificum κακοήθεια. Ingenioſa quædam res invidia eſt: odium aquilinis, aut Lynceis planè oculis omnia luſtrat: incerta, abſtruſa deprehendit. Malitia, in partes omnes, & oportunitates intenta, rumuſculos leviſsimos aucupatur. Nihil tacent inimici, quo poſsint illos lædere, à quibus diſſentiunt, ſimultate capitali. Nec eſt ut dicatur ſecreto s extitiſſe congreſſus iſtos, nulli mortalium obſervatos. Nam longè à Jordane, vel eremo diſtabat Nazareth, nec unius horulæ ſpatio, imò ne die, iter illud confici poterat, etiam ὠζόνῳ vel ἡμεροδρόμῳ: & fieri non poterat, ut inconſpectus veniret Chriſtus, niſi per miraculum editum, quod non edebat, ante vini tranſubſtantiantionem in Canâ, poſtquam voce paternâ de cœlo commendatus, Iſraeli cepit innoteſcere. Sunt hæc non levia, quibus divinæ ſapientiæ, Chriſti Jeſu famæ, & noſtræ ſaluti ſic illuditur, ut facilè inimici, per omnia tum compita uſurparent de Johanne, & Servatore, prodiiſſe è gurguſtiis ſuis, duos planos impoſtores, qui ex compoſito fucum orbi facerent, & alter alterum commendaret.

34 At cùm hæc ſint εἰκασίαι, illud planè eſt ἀπόδειξις, & extra omnem controverſiæ aleam, veritatem, quam contra futilem Sophronii fabulam tuemur, ponit, quod ſcriptum apud ſanctum Hiſtoricum extat, Joh. 1. 31. πρῶτος μού ἦν, κἀγὼ οὐκ ἤδειν αὐτόν: Ante me fuit, nimirum ut

ante

ante Abraham, ab æternitate. At ego illum non cognovi, viſum ſcilicet, ante hunc diem; nec oculis meis uſurpatum. Ergò opus erat revelatione: *At is qui me miſit ut baptizarem, is mihi dixit, in quemcunque videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper ipſum, ipſe eſt qui in Spiritu baptizat.* Audi vir doctiſſime, imò audiat nugator ille indoctiſsimus, & ineptiſſimus Monachorum, Baptiſtam ipſum pronunciantem, ſe hominem non cognoviſſe. Utri credendum? ſcriptori Θεοπνεύστῳ, Johanni αὐτόπτῃ, & αὐθεντικῷ: an rancidiſſimo commento inſulſiſſimi fabulatoris. Non enim credo, mentitus eſt Johannes, aut uſus in causâ æquivocatione aliquâ, quaſi non noviſſet, in eum ſcilicet finem, ut revelaret. Nuperum hoc inventum hominum malè feriatorum, vetuſtioribus inauditum. Sophronius fortaſſis hoc ignorabat teſtimoniũ. Non enim erant nimis eruditi, qui vitam Aſceticã ſectabantur. Aut ſi lectum & cognitũ, per piam fraudem reticuit, ut monachiſmum ita excoleret; tamen Hiſtoricum, & quidem ſcientiſsimum, non decebat, quiſquilias illas exornare, aut nobis fucum facere, per *ſinceræ atteſtationis* elogium. Eſt enim commentum, divinæ repugnans ſapientiſſimæ diſpenſationi, ex adverſo ſcripturæ ſacræ oppoſitum, hiſtoricæ veritati contrarium, cum juxta Jordanem deſertum comminiſcatur: atq; adeò Baronianæ ſententiæ, de deſerto, non montanis Judæ, ſed aliquâ ſolitudine, in quam fugerat, ubi adoleverat, in quâ verſabatur, uſq; dum Iſraeli per prædicationem manifeſtaretur.

Rectè in hac causâ, ſequutus antiquiores, ineditus adhuc apud me Scholiaſtes: Ἵνα μὴ νομίζωσιν, ἵνα ἐκ παλαιᾶ γνωρίζων αὐτὸν; τοιαῦτα περὶ αὐτῆ μαρτυρῇ, χαριζόμενος ὡς Συγγενεῖ· φήσιν, ὅτι οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτόν. *Ne poſsit ſuſpicio exoriri aliqua, quaſi olim ipſi innotuerat; & in gratiam ipſius, ſanguine ſibi juncti, hujuſmodi perhiberet teſtimonium; ait, & ego illum non cognovi,* priuſquam accederet ad Jordanem. Quomodò verò factum ut non cognoverit, affinem ſibi exiſtentem, docet idem Scholiaſtes. Atenim cum ille eſſet adhuc embryo, illum cognovit etiam embryonem, & cum tripudio, quod ſcripſit Lucas, exultavit: verùm non naturali modo tum, ſed ſupernaturali quodam agnovit illum, quo nemo alius ex hominibus. Nunc 35

verò, cùm tres ſint agnitionis modi, per viſum, per auditum, per Propheticam revelationem, nullo horum modorum cognovit Chriſtum, priuſquam veniret ad Jordanem. Hæc ille eruditus Scholiaſtes, ſecutus in eo vetuſtiores, ſexcentis Sophroniis eruditior, & myriadibus Monachorum doctior.

36 Deſertum autem illud, Baptiſtæ illo incolatu, & ἀναχωρήσει nobilitatum, non fuiſſe aliud arbitramur, quàm Judæ montana, in quibus habitâſſe pater illius Zacharias dicitur. Nec narrationes illas, de fugâ Johannis cum Elizabethâ, de morte matris, ipſius Angelicâ procuratione, cæde parentis, ob non indicatas filii latebras, alitèr quàm fabuloſa arbitramur nugamenta: de quibus dictum ſatis in ſuperioribus. Bulengerus non poteſt, ait, aſſentiri: cum bonâ ergò veniâ diſceſſionem faciat, & pedibus in alia omnia eat, non impedimus: ſcimus deſertum in ſcripturis non unicum commemorari. Erant autem deſerta plura, nulla autem ſolitudo, juxta Jordanem, ut in illâ fabulâ Sophronianâ: ſed ſolum ſcimus uberrimum, campos lætiſsimos, fruges omnimodas, loca frequentiſsima colonis & inquilinis. Deſertum erat Idumeæ dictum, ad meridianam plagam, 3 Reg. 19. & Pſal. 62. diſertum Judæ, in illâ tribu; in aliis tribubus alia deſerta. Erat deſertum Tekoa, in quo natus, educatus, paſcebat cum paſtoribus oves, Amos: deſertum Engaddi, ubi David ſe cum ſociis occultabat: deſertum Ziph, cum quo Maon & Carmel junguntur: Joſuæ xv. deſertum Pharan, deſertum Bethaven, magnum deſertum Jericho, hoc eſt, ducens à Jericho ad Gazam, ubi obviam Eunucho ibat Philippus. Quod ſi per deſertum intelligatur eremus, ſolitudo, mirum eſt, terram repromiſsionis, tantâ ubertate, & affluenti rerum copiâ commendatam, in quâ tot ubique deſerta invenirentur.

37 *Deſertum duplex.* Sed duplici notione vox illa Deſertum per ſacras literas uſurpatur: vel enim propriè ſumitur, & ſuâ nativâ ſignificatione, vel ſenſu relativo, & modificato, hoc eſt, non ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Proprie Deſertum eſt terra deſolationis, hominibus nec habitata, nec habitationi apta, eò quòd ſit prorſus infrugifera: arenarum molibus, ſabulorum inſulis, ſed fluctuanti-

bus,

bus, ariditate, ſiccitate, ſterilitate infamis: in quâ, nec vireſcit aliquid, nec in uſus vitæ ſuccreſcit neceſſarios: in quâ, Ferarum luſtra, Draconum latibula, Serpentum agmina, Aſpides, Dipſades, Preſteres, &c. verſantur. Tale illud ſuperioris Ægypti, Hiſtorico Tobiæ commemoratum. Tale & illud magnum Deſertum in quo per annos 40. morabantur Iſraelitæ. Tale illud, forſan idem, quo adductus Servator, à Diabolo tentabatur: nam μὴ θειῶν perhibetur converſatus. Qualem vocant ſolitudinem ſacræ literæ, Eſai. 40. 3. uti volunt. Quæritur autem hic inter partes, in quo vel quali Deſerto verſabatur Johannes. Fuiſſe narratur in Deſerto uſque dum manifeſtaretur Iſraeli; ſed non explicatur utrum in Deſerto propriè dicto, hoc eſt, μὴ θειῶν, quâ dicendi formâ utitur in rebus Servatoris B. Marcus: aut *in montanis Judæ*, in ædibus paternis & ſuis, locis non tantâ frequentiâ, quantâ campeſtria celebratis. Quodſi autem in Eremo vixerat, hoc eſt, Deſerto propriè dicto, quæritur an in unâ tantùm & perpetuò, an potiùs in diverſis ſucceſſivè, & tanquam per μετοικεσίας peregerit. Antonius Aranda Franciſcanus, terræque ſanctæ Explorator, cap. 37. verſatum illum arbitratur in Eremo, non unicâ, ſed triplici, ab urbe Hieroſolymitanâ, ad 5. aut etiam 6. milliaria diſtante. *In latere vallis profundæ*, inquit Aranda, *rupes eſt: in rupe autem exciſum antrum: in quo antro Johannes in ſuâ ætate puerili habitâſſe dicitur.*

Habemus igitur Infantis iſtius incunabula, unius milliaris ſpatio, ab ædibus paternis diſterminata. Ita valdè negligentes oportet fuiſſe Regis Herodis *in rebus agentes*, qui tam propè cubantem, non deprehenderint, cum ad cædem quæreretur. Progreſſu ætatis, volunt illum ulteriùs adhuc proceſſiſſe: & in illâ Eremo delituiſſe, quæ erat juxta Hebron, Hieroſolymis diſitâ verſus Auſtrum, præter propter leucas 8. In hoc Deſerto delituit Johannes, & vitam egit ſolitariam, ſi Arandam ſequamur, uſque dum Iſraeli manifeſtaretur. Poſtquam verò factum eſt illi Verbum Domini, vult Aranda, in vaſtiſsimam illam ſolitudinem ſe contuliſſe, quæ eis flumen Jordanem ſita, non longè diſtabat ab Hieroſolymâ, verſus Jericho. Atque hæc eſt illa tertia ἡ ἀναχωρήσις *eremus*: in 38

quâ utique baptizabat. Adrichomius, puerum adhuc Johannem, non juxta paternas ædes, ſed longè remotiùs in Deſerto Judeæ verſatum ait: & in eâ pœnitentiam prædicâſſe. Cum tamen alibi ſcriberet, illum moratum in Deſerto, quod poſteà Quarentana, à quadraginta dierum jejunio, dicebatur. An ſecum ipſe pugnet meâ non refert: certè non ei convenit cum Arandâ. Hæc autem omnia, ita variè narrata, plerumque ἀδιαπόπως, at ſemper in Authoribus non magnæ fidei, vel pretii, pari facilitate contemni poſſunt, quâ ponuntur ab iiſdem: ut illorum opinionibus non obſtantibus, Johannes illud Deſertum incoluerit diù, in quo naſcebatur. Puer qui vixerat, apud ſuos contribules, in Deſerto, vel Montanis Judæ, per omne tempus pueritiæ & adoleſcentiæ ſuæ, ἀρχόμενος τ κηρύξεως & οἰκονομίας, indè exivit, & in loca ſe contulit magis frequentata, proùt ratio flagitabat τ λειτυργίας. Talis autem erat totus ille tractus, quem Jordanis amnis præterfluebat: quem περίχωρον τ Ἰορδάνε vocat beatus Lucas. Certè nulla erant in tribu Juda Deſerta, præter loca quædam minùs frugifera, & minùs frequentibus oppidis conſpicua; niſi montibus, ſylvis, ſaltibus, dumetis interdiſtincta, ut fieri ſolet, & ideò minus erant habitata quam campeſtris regio & planities. Tales erant plurimæ per Paleſtinam, præter ſuperius recitatas, eremi: Deſertum nempe Boſor, Bethſaida, Cades, Deblata, Hall, Sur, Jaſa, alia.

39 Hoc tamen ita ſtatuto de ſignificatione vocis Deſerti in Scripturâ ſacrâ, non inficias iverim, Johannem vitam egiſſe duram, ſolitariam, & quodammodo Anachoreticam ab infantiâ: & in ædibus paternis contemplationi & ἀσκήσει plerumque deditum & intentum: quippe quod cum miraculis inclareſcere non debuerat, & ad famam & commendationem hominum procedere, ipſo vitæ inſtituto & πολιτείᾳ, ab ineunte ætate debuit notus fieri: ut in expectationem continuam excitati dicerent, quod jam recens nato acclamabant, *Quis putas iſte futurus eſt?* Hoc autem præludio domeſtico, via futuræ deinceps auſteriori convictui & συναγωγῇ ſtrueretur. Doctiſſimus Caſaubonus, de grammaticali ſignificatione vocis ἐρήμου ſtatuit, eam indifferenter vel ὀρεινὸν, vel ἀοίκητον, ſignificare

nificare ait: ſed rem indeciſam relinquit, non auſus ſtatuere in utramlibet partem, Johannem, vel in montanis tantum, vel etiam in penitus ἀοικήτῳ vixiſſe. *Hic temerè quicquam affirmare quidem nolim. Myſterium enim in hac hiſtoriâ, à Prophetâ olim Eſaiâ prædictum, & tanto ſtudio à ſanctis Evangeliſtis adnotatum, latere majus ſuſpicor, quam ut capere ipſe ſatis, vel ſatis admirari queam. Quare illis aſſentiri non poſſum, qui omnia, quæ de Johanne narrantur, ad communem vitæ rationem interpretationibus ſuis conantur revocare.* In cujus ſententiam libenter deſcendo: eoque magis, quòd qui perperàm aliquid introductum, vel ſuperſtitiosè, ut aiunt, uſurpatum, corrigere volunt, & reformare; in contrarium plerumque abeunt, & reformatione ſuâ deformant planè, & corrumpant. Neque alitèr ego ſtatuere, vel ſentire poſſum, quin vitæ totius inſtitutæ ratio, à communi hominum conſuetudine recederet: hoc eſt, non minùs quàm victu & veſtitu, habitatione, loco, ἀναστροφῇ, ad rigidiorem illam converſationem & ſcleragogicam acceſſerat. Uno & eodem tenore, eodem quaſi ſpiritu, narratur ab Hiſtorico ſacro, fuiſſe illum in Deſerto, veſtitum pilis camillorum, victum illi fuiſſe de locuſtis, & melle ſylveſtri.

Nec omitti debet, B. Lucam, qui & ornatè, & accuratè, & propriè loquitur, non ſcripſiſſe, fuiſſe illum ἐν τῇ ἐρήμῳ, In Deſerto, hoc eſt, uno ſolo, montanis Judæ, domo paternâ: ſed, ἐν ταῖς ἐρήμοις, in deſertis, uno, altero, pluribus, μετοικιαθέντα, & ἀσκούμενον. Id quod fidelitèr expreſsit vetus Interpres, & noſtra poſtrema Anglicana verſio. Nam montana Judæ, deſertum erat, ubi probabile eſt exercuiſſe pueritiam, auſterè, rigidè, nec ut cæteri contribules. Poſtquam adolevit, plus quàm probabile habetur, illum, quaſi παραιδευόμενον, & παρασκούμενον, relictis ædibis paternis, vel ſaltem frequentiùs egreſſum inde, ſeceſsiſſe in eremum, hoc eſt, ſylvas, ſaltus, ſolitaria loca, ad modum Anachoretarum poſteriorum, & Aſcetarum in Eccleſiâ. ubi vacabat orationi, meditationi, illi ſcleragogiæ initiatus, quam deinceps, ἀρχόμενος τῆς λειτουργίας, ſeveriorem in modum exercebat. *Receſſit, fugiens tumultus urbium, populi frequentiam, viciniam civitatum, & abiit in deſertum, ubi purior erat aër, & cœlum apertius, & familia-*

40

miliarior Deus ; ut quia nondum Sacramentum Baptiſmi, nec prædicationis tempus advenerat, vacaret orationibus, & cum Angelis converſaretur, appellaretque Dominum, & illum accederet, audiretque reſpondentem, ac dicentem, Ecce adſum: quemadmodum meditatur Origen. Homil. 11. in Lucam. Et Euſebius in 9. demonſtr. cap. 5. *Dum ego mecum tacitus quæro, oborta mihi eſt dubitatio; quid tandem illud eſſet, in Johanne quo capta multitudo illa, admiraretur hominem, & prædicanti baptiſma pœnitentiæ, fidem adhiberet? quidq; illud, quo ducti omnes undiq; rebus propriis relictis, confluerent in deſertum? cùm præſertim, nulla illius geſta memoriæ prodita ſint: neque enim quod aut mortuos excitaverit, aut alia miracula fecerit, ſcriptum extat. Quid igitur illud erat, quod admirabundos omnes redderet? num forſitan novum, & quod à multitudine abhorreret vitæ illius genus? Procedebat enim è deſerto, inuſitatum indutus habitum, omnemque communem hominum conſuetudinem declinans. Nam neque in vicum ullum, neque in urbem, neque in communem aliquem virorum cœtum commeabat.* Hæc Euſebius, idque ἐκ τῆς τοῦ παιδὸς ἡλικίας.

41 Sed hæc κατ' ἄυξησιν videntur potiùs dici, quam ſecundùm accuratam rei veritatem. Erat enim de ſacerdotali tribu, Zachariæ, non quidem Pontificis, ſed ſacerdotis tamen nominati filius. Tenebantur autem ſacerdotes, & ſacerdotum etiam filii, poſtquam adoleverant, miniſteriis & functionibus ſacris intereſſe, vices ſuas obire, & Ephemerias apud Templum Hieroſolymitanum. Nec ulla, quòd legimus, exemptione Johannes, ante initum miniſterium prædicationis, fruebatur. Qui verò miſit eum ad baptizandum, eo ipſo actu miſsionis, cum ſacerdotali functione diſpenſabat, quam non negligeret Johannes, vir juſtus, ſine vocatione, & miſsione extraordinariâ. Quod ſi autem jamdudum, id quod volunt, obierat, vel ſuâ morte, vel interfectus pater, multò magis tenebatur filius, ad munus obeundum ſacerdotale, parentis defuncti loco. Leviticum quippe ſacerdotium, hæreditarium fuerat; filii ſaltem ſuccedebant in parentum loco, ſi non vivis parentibus, unà miniſtrarent. Neque verum eſt quod Euſebius habet, ὅτε γῆν εἰς κώμην, ὅτε εἰς πόλιν, ὅτε εἰς κοινὸν σύλλογον ἀνδρῶν παρέβαλεν. Quæro enim, ubinam

ubinam illum libentèr Herodes audiebat? ubi ille Herodem, de abductâ Herodiade, Philippi fratris uxore, increpabat? In deſerto opinor, atque inde duci illum juſſit Herodes: mera mapalia. In aulam Herodis commearat, in aulâ audiebat illum concionantem, in aulâ reprehendit de adulterio. Et hoc quidem poſt inceptum miniſterium: multò magis ante vocationem, in vicis & urbibus verſabatur. Nam & rigidiſsimi interdum Anachoretæ, per ſtatuta tempora, horas, ut appellant, canonicas, Deo, orationi, jejuniis, meditationi, lectioni, auditioni vacantes, manibus ſuis laborabant, actus civiles exercebant, & interdum ex eremo civitates adibant. Quâ vitæ converſatione ſi dicamus Baptiſtam fuiſſe uſum, nihil omninò, vel narrationi Evangelicæ, vel Patrum communiori conſenſui derogabimus, etiamſi ad Euſebianum rigorem non aſcendamus, qui ſuperioribus & iſta addit. *Nunquid igitur cum capillo quidem Naziræum Dei viderent, qui quæ Deum facilè deceat, faciem oſtentaret: veſtimenti autem inuſitatum genus indutum, repentè, neſcio unde è latebris ſolitudinis prodeuntem: & poſt prædicationem rurſus in ſolitudinem, & in latebras recedentem, ſine potu, ſine cibo,* (ἄποτον, ἄτροφον, ἀνεπώνυτον τοῖς πολλοῖς) *meritò obſtupebant.* Johannis proculdubiò totius vitæ decurſus, ab ineunte ætate & pueritiâ primâ, ſingulari quâdam πολιτείᾳ commendabatur. Parentum diſciplinâ, & ſuâ ſponte, jejuniis, orationibus, lectioni, meditationi, & contemplationum omni generi vacabat. Non tamen penitùs, ut excederet è mundo tantùm non, & humanum commercium vitaret, ἀφρήτωρ, ἀγένεαλογητος, ἀνέτιος, quod ſibi nonnulli confinxerunt, errore, ut opinor, opinionis. Illa enim admiranda σκληραγωγία, ad prædicationis obitæ, & inceptæ tempus atque diſpenſationem, non ad totam anteactam vitam, eodem rigore, & tenore obſervatam ſpectabat.

Secundum Johannis ſingulare πολύπυμα, in veſtitu cernebatur. Habebat enim *veſtimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos*: vile nimirum, & aſperum genus veſtimenti, & quod pœnitentiam prædicanti congruebat. Mollibus non amiciebatur, de Chriſti ipſius teſtimonio; nec, licet nobilis ortu, magnus apud Deum & homines, ad Aulicorum mores, aut qui 41

Princi-

Principibus adſtant, ſe accommodavit; ſed habitum ſibi aſſumpſit profeſsioni, & miniſterio convenientem. *Johannes licet nobilitèr natus, delicatè nutritus, tamen in eremum ingreſſus, & auſterè vixit, & auſterioribus veſtimentis contectus erat.* Ita Druthmarus, minimè opinatus, eum ab ipsâ infantiâ fuiſſe educatum in ſolitudine, aut arctiori vitæ inſtituto aſtrictum: ait enim, *delicatè enutritus. Cùm verò miniſterium pœnitentiale auſpicaretur, habitum ſibi aſſumpſit pœnitentialem, ut veluti ſacco & cinere commendaretur. Hic enim erat habitus Prophetarum, ut quandò populum ad pœnitentiam provocabant, induerentur cilicio. Unde & Eſaiæ cap. 20. præcipitur, ut auferat ſaccum de lumbis ſuis, & nudus inceàat. Nequaquam enim eſſe tempus pœnitentiæ, ſed captivitatis.* Hæc Hieronymus. Nam quod ait ille, *Si vis me flere, dolendum eſt tibi primum.* Et quod ait B. Ignatius, Συμφαρτῆς ὁ φορεῖς, ἴργῳ τῇ κλήσῃ ἅγιαχόμβος. Quod certè faceret, qui *pleno laudat jejunia ventre*: & luxu ipſe diffluens, ab illo alios magno conatu, & verborum apparatu deterreret. Deſignatus vitæ novæ & pœnitentialis Prædicator, diſpoſitus omni modo, & accommodatus acceſsit, ad illam vitam prædicandam. Quo modo ſe debet componere, quiſquis cum fructu, & utilitate auditorum, τὸ μέγα illud κήρυγμα μακροῖς πεπιτευμένον, ut appellat Nazianzenus, obire velit. Vivitur enim exemplo, potiùs quàm præcepto; & virum magnum ſequi, quæ eſt humani ſtudii perverſitas, eſt penè ſapere. Rectè Demoſthenes in Epiſtolis, Ἐφ' ἃ τοὺς ἄλλους παρακαλῶ, ταῦτα αὐτὸν οἶμαι δεῖν πρῶτον πράττειν. Neque tantùm apud Perſas, ſed ubique gentium obtinet, quod habet Xenophon, παιδία. μέγα δὲ καὶ εἰς τοῦτο συμβάλλει, ὅτι ὁρῶσι τοὺς πρεσβυτέρους τοῦτο ποιοῦντας. Magna etenim eſt jubentis authoritas eadem juſſa primitùs complentis, ut Dionyſius ad Stephanum Salonitanum. Dominus ipſe Jeſus in carne ſuſceptâ πολιτευσάμενος, hac methodo uſus, & ὁδῷ βαδίζων nobis, imitandi exemplum præivit, qui, quod ait Lucas, *incepit facere & docere.* Pœnitentiam Johannes prædicabat ore, prædicabat etiam corpore, amictuque corporis aſpero & inculto. Nec princeps hoc inſtitutum uſurpabat Johannes, ab omni retrò antiquitate, Prophetarum filii, Elias, Eliſæus, alii, eodem habitu utebantur. Quin

&

& poſitum in more fuit, ut qui rem quamcunque perſuadere vellent, habitu ipſo ſe componerent ad illam rem inſinuandam efficaciùs. Docet illud Zacharias 13. 4. ubi falſos Prophetas, eo modo compoſitos introducit. *Et in die illâ erit, confundentur Prophetæ, unuſquiſque è viſione ſuâ, cùm prophetaverit, nec operientur pallio ſaccino, ut incutiantur, ſed dicet, Non ſum Prophetа.*

Veſtitus autem particulariùs dicitur, fuiſſe de *pilis Camelorum*; & erat hoc genus ei ſingulare: quod & ipſum ſuam habet οἰκονομίαν. Nam Johannes cenſebatur plus quàm Propheta: quocirca & ultra Prophetas proceſſit πλεοναζωγήμενος. Cilicio & ſacco frequentiùs Prophetæ amiciebantur, *pilis Camelorum* nullus indutus legitur, ne quidem ſupercinctus, aut tunicâ hinc confectâ vel exteriori. Johannes autem, & interulâ, & tunicâ, & quocunque amictu veſtiebatur, de Camelorum pilis id gerebat veſtimentum: ἔνδυμα vox eſt, quâ utitur hiſtoria: quicquid autem, quocunque modo, quâcunq; parte ἐνδύεται, illâ voce continetur & exprimitur. Erat ergò induſium, diplôis, femoralia, caligæ, tunica, pallium, ſi quidem his, vel horum aliquibus utebatur, omnia de unâ & eâdem materiâ confecta; *pilis* nimirum Camelorum, hirſutis, rigidis, aſperis pungentibus. *De aſperioribus ſetis Cameli habuit Johannes veſtimentum, ut ipſa aſperitas, ad virtutem patientiæ, animum exerceret*, inquit author operis imperfecti. Et Paulinus. 43

Veſtis erat curvi ſetis contexta Cameli,
Contra luxuriem, molles duraret ut artus,
Arceretque graves compuncto corpore ſomnos.

Non ſolùm ridiculi, ſed etiam impii ſunt, ſi qui extent è Novatoribus, quod nobis ſuggerit Maldonatus, & ex eo Barradas, qui Johannis hirſutum veſtimenti genus, in molle, delicatum, regium tantùm non convertunt: ita ut undulatis tunicis, de materiâ pretioſâ, quã nos **Chamblet** appellamus, uteretur: cùm nec habitus ille pœnitentiam prædicanti congruat, & Chriſtus ipſe docuerit, eum nequaquàm fuiſſe mollibus veſtitum. Scribit Ælianus lib. 17. de animal. cap. 34. Καμήλοι δ' ἀειγμοῦνται πλείους, ἃ μέγιστοι τῶν ἵππων μεγίστους ὤμοιχεν ἄγαν. *Camelis abundant Caſpii, quorum maximi, ad equorum maximorum magnitu-*

dinem accedunt. Eorum villi adeò ſunt molles, ut molitie cum Mileſiis lanis contendant. Ex iis ſacerdotes, & Caſpiorum ditiſſimi, præcipuique, veſtes conficiunt. Stupidiſſimi profectò erant Novatores illi, qui Johannem, tanquàm de gente Caſpiâ ſacerdotem, hoc amictu ornatum, nobis protruſerunt. Caſaubonum calumniatur Bulengerus. Non enim vel negat Johannem pilis amictum Camelorum, vel hirſutas illius veſtes mollibus commutat. Hoc ait, quod verum eſt, probari non poſſe Eliam vel Prophetarum aliquem, pilis uſum Camelorum. *Sacco* enim frequentiùs induebantur & *cilicio*; ſed nec *cilicium*, neq; *ſaccum*, de *pilis Camelorum*, ſed *Hircorum & Caprearum* conficiebant: ſi ſacco tantummodò, vel cilicio fuiſſet uſus, in ipſo amictu, ad rigidiorem in cæteris σκληροτέραν non aſcendiſſet: ſed nec de crudis Camelorum pellibus illi veſtes conficiebantur. Nec veſtitu tam rigido, ullâ neceſſitate, ſed ex diſpenſatione religiosâ, & profeſſioni ſuæ accommodatâ utebatur. Ridiculi ſint oportet, vani, impii, qui nudam, ſimplicem, & πεπαχυσμένην, commentis iſtiuſmodi veritatem incruſtant. Primus hanc viam inſiſtebat Johannes, illum deinceps, ut in aliis, ſequebantur Aſcetæ & ſceleragogiſtæ.

44 Hirſutum illud, & horridum genus veſtimenti, non diſcinctum laxiùs diffluebat, aut corpus ipſum laxitate ſuâ, nullâ moleſtiâ afficiebat, ſed quò magis premeret & ſentiretur, arctiori vinculo adductum conſtringebatur. Zona enim pellicea erat circa lumbos, ſuperſtricta ſcilicet, non carni proxima: quorsùm enim cùm pellis non ullo rigore, ſed mollitie potiùs commendetur? Narrat Toſtatus aliquos opinatos, quod Johannes habebat iſtam zonam circa carnem, nullo intermedio, quia dicitur ab Evangeliſtâ, quòd habebat zonam pelliceam circa lumbos. Et huic ſententiæ accedit ipſe Abulenſis: *Magis videtur convenire literæ, quòd eſſet juxta carnem, quàm ſuper veſtes.* Sed fruſtrà eſt Abulenſis, calceatur enim ille, qui ſoccos carni induxerit: etiam & tibialia: & calceatur ſuper pedes, utcunque calceus nudam carnem non attingat. Cinctura porrò Baptiſtæ, illam Eliæ reſpiciebat, 4 Reg. 1. 8. ubi cùm rogarentur nuntii, cujus figuræ & habitus eſt ille vir, qui occurrit vobis? reſpon-

derunt

derunt; *Vir piloſus, & zonâ pelliceâ accinctus renibus.* Oculis ſuis zonam illam viderant nuntii: quocirca non latebat ſub veſtimento, cuti proxima: ſed ſuperiùs laxitatem veſtium conſtringebat. Cum ergo, Luc. 12. dicat Salvator, ſint lumbi veſtri præcincti, non id volebat, ut ſub interulis, caro ipſa immediatè comprimeretur illâ cinctura. Porrò, erat cum ratione divinæ diſpenſationis conjunctum, ut Johannes, qui Eliam ita repreſentabat, ut & dictus fuerit Elias, qui Eliæ officio fungebatur, ſpiritu Eliæ implebatur, & in habitu Eliæ conſpiceretur. Piloſus erat Elias, hoc eſt, corpore hirſutus, quod de Eſau dicitur. Johannes, ut Jacobus, lenis, molli cuticulâ, non hiſpida pilis: ideo pilis veſtiebatur Camelorum, quemadmodum Jacobus hædorum, quo formam & figuram Eliæ expreſsiùs daret repreſentatam. Zonâ autem pelliceâ, quia potuit, ut ille accingi, ad eundem modum, hoc eſt, ſuper veſtes præcingebatur.

Zonam hanc porrò pelliceam, de pelle ferinâ, vel corio fuiſſe crudo putaverim, quia mortificatio membrorum, & totius hominis, illâ denotabatur. Stupebant ad converſationem Eliæ, & Johannis Baptiſtæ, inquit Author Epiſtolæ 8. ad Demetriadem, qui Hieronymus dicitur, quorum uterque zonâ pelliceâ adſtrinxit, & mortificavit lumbos ſuos. Nec aliam ob cauſam putatur Dominus Deus Adamum & Evam nudos pellibus veſtiiſſe poſt admiſſum peccatum, niſi ut, illo magiſterio, in memoriam ipſis mortalitatem contractam vocaret, & ad mortificationem, ipſo habitu, inſtrueret. Duplicem enim finem veſtiendi parentes noſtros attendebat Deus: neceſſitatem ſcilicet cùm honeſtatis, tùm protectionis, vel procurationis & diſciplinæ. Admonebantur enim ipſi, & nos etiamnum, veſtitos nos eſſe carne mortali, & pulvereâ: quam exuere aliquando nos oportet, & ſeponere, quemadmodum ſolemus, cubitum ituri, tunicas, togas, ſubligacula: reſumere autem ſub aurorâ reſurrectionis, ut illâ denuò amiciamur, in die æternitatis. Cumque omnia quæ divinitùs nos inſtruant ad Deum & pietatem, de nobis & vitâ communi aſſumantur: cùm quæ verſantur in communi uſu, Deus ſoleat ad ſuum inſtitutum applicare, illud quod nobis mortalitatem indi- 45

cabat, etiam, ſecuritatem, & conſolationem, ac honeſtatem præſtabat. Nam quemadmodum Elias è zonâ agnoſcebatur, ita etiam inter homines, pro dignitate, meritis, gradu, &c. ex ipſo veſtitu aſſumi ſolent diſtinctiones. Cùm matronarum unus, meretricum alius habitus fuerit apud Paganos. Nec plebei homines, ad eundem modum quo viri Nobiles, aut etiam Reges, ſaltem in benè ordinatâ repub. veſtiantur. Et quicquid delirent, ſtomachentur, vel furioſiùs etiam debacchentur, Oratores novi, Stulti, Adoleſcentuli, Reges, Judices, Sacerdotes, alii, ab ipſo veſtitu, apud omnes omninò nationes, in profanis, in ſacris, & diſtinctionem, & ornatum percepere.

46 Apud Dei olim populum Iſraelem, in illâ, per Deum ipſum conſtitutâ politiâ, & ordinatâ: nec tantùm Iſraelem, ſed & gentes omnes, non planè barbaras, & à ratione alienas, tres hominum ordines, & diſtincti gradus extitere, Principes, Sacerdotes, & Prophetæ. Nam & vates ſuos habuere gentes, vel à Deo inſeſſos, vel inſpiratos. Qui ubique populorum, ubicunque terrarum, habitu ipſo & veſtitu diſtincti cernebantur. Ὁ τραχήλιθος Johannes, genere Sacerdos, vocatione Propheta, quoties ſacerdotale munus pro ratione generis obibat, veſtibus utebatur ſacerdotalibus: cùm ab illo, ad iſtud extraordinarium officium, divino nutu transferri eum oportuerit, appoſito & accommodato veſtitu & habitu utebatur. Prophetarum more ſe diſpoſuit, quin ultra morem modumque Prophetarum, utpote plus ipſe quàm Propheta. Neque enim illi δερματοφορεῖν conſuebant. Erat autem δερματοφορεία, quod nos docuit ſolus divinus Moyſes, antiquiſſimus omnium veſtiendi modus: quo paſsim, quod teſtatum eſt literis exotericis, Heröicis illiſce, & μυθικοῖς temporibus, nominatiſſimi proceres utebantur, licet primam illius originem non intelligerent: non magis quàm cur Decimas de omnibus Deo darent. Hercules, Bacchus, Theſeus, alii, ἐδερματοφόρουν. Apud Statium, Polynices leonis exuvias, Tydeus apri gerit: clypei illis de crudo corio fabrefacti geſtabantur. Ajacis σάκος ἐπταβοείων: Cycnus cum Achille congreſſus,

Et æs, & proxima rupit

Terga

Terga novena boum, decimo tamen orbe moratur.

Apud Homerum epulantur in ferinis pellibus, & eiſdem ὀιοπεμθέαι, obdormiebant. Οἱ δὲ πέζοι, ait Strabo in 17. τὰς τῆς ἐλεφάντων δέρεις, ὡς ἀσπίδας περιβάλλονται. Τὰς δὲ τῆς λέοντος, ἢ παρδαλέων, ἢ ἄρκτων ἀμπέχονται, ἐγκοιμῶνται. Et lib. xi. Ἀμπέχονται τὰς τῶν φωκῶν δέρματα, τῆς ἐκ θαλάττης ἀναπεχθεζῶν. Morem à Græcis, vel potiùs à Jano, & Aboriginibus acceptum retinuere veteres Romani, ubi non ſolùm *Verbera pellitus ſetoſa movebat Arator*, ſed, quod habet Propertius lib. 4. eleg. 1.

Curia prætexto, quæ nunc nitet alta, Senatu
Pellitos habuit, ruſtica corda, patres.

Ad ſimpliciſſimam hanc veſtiendi conſuetudinem, & antiquiſsimi temporis rigorem reſpiciebat Johannes, pœnitentiæ Præco, vitæ novitati maximè convenientem. *Indicabat enim habitu ipſo*, ait Author operis imperfecti, *religioſiorem veſtem, non mollem, neque delicatum; ſed cilicinam, gravem, aſperam, & conterentem potiùs corpus requiri, quàm foventem.*

Tertium Johannis aſceticæ vitæ σχῆμα, & maximè 47
ſingulare in diætâ, proponitur apud Evangeliſtas: *Eſca ejus erant locuſtæ, & mel ſylveſtre*: ita victu nequaquàm diſcordabat à veſtitu rigidiore, & loco ſolitario & deſolato. Generali notione, victu utebatur parco, minimè lauto, duro, agreſti, & pleriſq; inuſitato. Id enim imprimis volebat ſacer Hiſtoricus ſubindicari. Hoc ipſum Servator deſignare voluit, apud Matth. *Venit Johannes Baptiſta neque manducans, neque bibens*: Non quòd planè ἄσιτος, nihil prorſus comederet, id enim ſine grandi miraculo fieri non potuit. Miraculis verò nullis inclareſcebat Johannes, nec ullum in eo miraculum edebatur. Venit ergò neque manducans, neque bibens, vulgato more, ſed & quoàd modum & menſuram edendi & bibendi, & multò magis quoàd cibos ipſos, ab hominum conſuetudine abhorrebat; veſcebatur enim locuſtis, & ſylveſtri melle. Nec & illud volunt verba Evangeliſtæ, excluſivè, ut loquuntur, illum his eduliis uſum, quaſi nulli unquam homines, præter illum ſolum, melle ſylveſtri, vel locuſtis veſcebantur: ſed quod nulli in Judæâ eo modo viverent, ſaltem illo non alio cibo uterentur. *Ita erat illi*, quod Petrus

trus Ravennas habet, *Impræparata menſa, & tali menſâ facilior amictus: & habitatio facilior amictu.* Neque enim vel tecto indiguit, vel lecto. Non menſam, vel aliqua hujuſmodi requiſivit, ſed Angelicâ quadam vitâ in carne mortali reſplenduit.

De melle ſylveſtri imprimis quæſtio vertitur, Quodnam illud erat? eoque magis, quod nihil durum, vel inuſitatum: nedum aſperum in ſe vel ſceleragogicum videatur continere: quippe cum *Lacte & Melle* dicatur Palæſtina abundâſſe per ſylvas paſsim cæduas, & ſenticeta de viridi ilice, ut Poeta loquitur, flava mella ſtillabant: id quod nequaquam dicitur hyperbolicè, cùm conſtet Jonathanam feſſum & eſurientem, dum hoſtes in fugâ perſequeretur, de favis ſibi in viâ fortè oblatis, comediſſe. Quo etiam alluſum eſt, per *Pſaltem Iſraelis, melle de petra, affatim te paviſſem.* Non ergo aliquid peregrinum, inuſitatum, vel admiratione dignum, in diætâ Baptiſtæ commendatur, ſi melle hujuſmodi ſylveſtri veſcebatur. Præſertim cum alibi locorum, ut in Hyrcania, commemoret Strabo, & nos ſciamus hodiè, per Poloniam & Muſcoviam innumera apum examina, per omnium arborum cavitates, & terrarum forulos procurare: undè mellis copia, cadis ſtipata, in omnem Europam deportatur. Ab hac incommodâ interpretatione non longè recæſsit Beda in Mat. 3. *Mel ſylveſtre, folia ſunt*, inquiens, *miræ dulcedinis, quod doctrinæ Johannis nimiam ſuavitatem oſtendit.* Accommodatè, quoad doctrinam: abſonè quoad ſtatum cauſæ, ſenſum Evangelii, & veritatem. Iterum in libro de locis ſanctis, *In Deſerto ſunt arbores folia lata habentes & rotunda, lactei coloris, & melliti ſaporis: quæ naturâ fragilia, manibus confricantur, & eduntur. Hocque eſſe mel ſylveſtre dicitur.* Rabanus hoc à Bedâ mutuavit: quem Beda ſecutus ſit authorem, neſcio. Liquet autem antiquorum aliquos in illâ hæreſi verſatos. Neque enim aliter huic opinioni ſe oppoſuiſſet Iſidorus Peluſiota, l. 1. epiſtola 132. ὑπὸ δὲ πόα πὶς ὄφι πάλιν τὸ μελὶ τὸ ἄγριον. Aquinas in Catenâ duo quædam affert: neutrum ad rem. *Propriè*

Ἐν μὲν τοίνυν τῇ ὑρκανίᾳ φάσι συμβαίνειν τὸ τὰς φυλλάδας ἀποῤῥεῖν μέλι· ὅπερ γίνεσθαι μὲν καὶ τῆς Μηδείας ὑπὸ τὴν Ματιηνὴν καὶ τῆς Αρμενίας ὑπὸ τὴν Σακασηνὴν καὶ τὴν Αραξένην. Strabo l. 2. quæ totidem verbis in 2. repetuntur p. 509.

priè mel ſylveſtre dicitur id, quod non reconditur in alveis artificiosè factis, ſed invenitur in ſylvis, in aliquibus arboribus. Hoc primùm. verè, ſed ἀπροσδιονύσως, alterum ſequitur, magis ἀλλοκοτόν, ſed cum Bedâ ferè conſpirans. Alii dicunt, *quòd eſt canna mellis, & quoddam, quod invenitur intùs in cannis, valdè dulce,* Quaſi zacchari cannas proferret Palæſtina. Iſidorus ipſe in priori ſententiâ acquieſcit, ἀλλὰ μελὶ ὄρειον ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων γινόμενον. Sed ſequentia differunt: πικρότατον ὄν, & πάσῃ γεύσει πολέμιον. Quod non abludit ab ἀσκήσει, & rigidâ vivendi ratione. Certè minùs recedit à veritate, quàm quod habet Suidas, rorem fuiſſe cœleſtem, quem Manna dicunt: quo genere cibi Iſraelem per 40. annos in deſerto pavit Deus, eò quod ſapore retuliſſe dicatur ſimilam cum melle.

Certè quidem *mel* fuiſſe conſtat, non herbam, folia, vel 48
Manna: & *mel ſylveſtre*, quod duplici ſenſu capi poteſt. Quoad *locum*: in ſylvis, ſaltibus, & per avia proveniebat. Quoad *qualitatem*: ab omni voluptate, & dulcedine abhorrens, amaritudine injucundum. Nam & proverbio dicitur, ὃ μέλιτος τὸ πλέον χόλη. Dioſcorides in 2. cap. 102. meminit, τὸ ἐν Σαρδονίᾳ γινόμενον μελὶ πικρὸν ἀφ' ἑλίου τῷ ἀψινθίῳ νομεύοντος. Sardinia Inſula, mel amarum provenire, eò quòd de abſinthio colligant apes. Conſentit in 5. Diodorus Siculus: Strabo in 11. ait, mel circa Phaſin, Cholcidis flumen, πικρίζειν τὸ πλέον. Non ſemper autem, quemadmodum nec *apud Heracleam, Ponti urbem, mel ſemper gignitur venenatum*, ſicut refert Plinius. Qui & lib. 11. cap. 16. tertium genus mellis fuiſſe ait, minimè probatum, ſylveſtre, quod *erycæum* vocant: Convehitur poſt primos Autumni imbres, cùm eryce ſola floret in ſylvis. An hujuſmodi melle abundabat Palæſtina? Certè mellis copia in illâ regione fuit, paſsim per ſylvas & dumeta colligebatur: illo cibo Baptiſta utebatur, ut parabili & ad manum, vivere doctus in diem, nec ſolicitus de paraturâ. Quòd ſi autem aliquid innovandum, illud Amyntæ *in manſionibus Aſiæ* apud Athenæum, in xi. pag. 500. huc advocarem. Is cùm tractat de aërio melle, ita ſcribit. *Simul cum foliis id decerpentes componunt, & fingunt ad inſtar Syriacæ maſſæ. Quidam globulos ex eo faciunt, & ubi ſumere collibitum eſt, diffractas ex iis micas,*

micas, in ligneis poculis, quæ Tabætas nominant (nos **Tankerds**) *dilutas antea, & colatas bibunt, guſtu ſimili, ac ſi quis mel dilutum bibat, ſed multò jucundiore.* Hæc Aſiatica, & Syrica conſuetudo, majore quâdam probabilitate tranſfertur ad Johannis victum, quàm quod Beda & Rabanus de *Foliis*; de *Cannis*, commemorat Aquinas. Sed non eſt opus ut novitates conſectemur: *melle agreſti*, dulci quidem, ſed parabili & ἀυτοχειρίῳ diætâ, utebatur: quod paſsìm congeſſerant apes ſylveſtres: quemadmodum & potu, profluentis fluvii, vel in proximo conſiſtentis putei aquâ, vinum vel ſiceram non bibens, ne quidem à pueritiâ: nam & etiam domi, ante miniſterium, hoc genere victus ſe ad futuram ἀναστροφὴν comparabat.

49 Sequuntur *locuſtæ*, alterum illud lautitiarum genus, quo Baptiſta in deſerto epulabatur: de quibus non minùs, fortè etiam magis, quàm de ſylveſtri melle, litigatur. Jeſuitarum nobile par, Barradas nimirum & Maldonatus, prodidere quoſdam è Proteſtantibus, quos Novatores, ſed innominatos vocant, aſſerere Locuſtas iſtas, *Cancros* fuiſſe fluviatiles, quos nos vulgò **Craw-fiſhes** nominamus: cibum ſatis ſapidum & delicatum, modò recentem: quos piſciculos captos, quia lege iis veſci prohibebantur Judæi, piſcatores in arenâ relinquere, volucribus eſcas, ſolebant; quos collectos Baptiſta comedebat. Sed eſt imprimis hæc *Calumnia*, non *Accuſatio*: Accuſatio enim requirit, nomine ut notes, crimen ut deſignes, teſte cofirmes. Novatores de nominibus non citantur: Quare autem? nimirum ad invidiam, toti Proteſtantium nationi, procurandam: quaſi error aliquorum, ſi tamen aliquorum, crimen eſſet omnium. Non eſt hoc candoris vel bonitatis. Secundò, qui ſic interpretabantur, videntur, literâ tranſpoſitâ, ἀκρίδες pro ἀκρίδες legiſſe: novum enim non eſt, ut multifariàm inter ſe differant exemplaria. Tertiò, ſi non ita ſcriptum repererunt, quid impedit quò minùs è conjecturâ ſic legendum opinarentur? certè non minùs ita licuit divinare, quàm iis qui ἀκρίδες reponendum ſentiunt: hoc eſt, *mala* ſylveſtria vel *unedones*: quaſi illo fructu agreſti veſceretur Baptiſta. Utroque modo legere, & legendum contendere poterant, qui lectiones illas tuebantur, non minus quam Iſi-

dorus

dorus Peluſiota, qui ἀκρίδες legit, exponit autem ἀκρόδρυα, aut ἀκρήμονας, herbarum, fruticumque ſummitates, idque cum vehementi quâdam atteſtatione in contrariam ſententiam tuentes. Αἱ ἀκρίδες, ἃς Ἰωάννης ἐσθίετο, οὐ ζῶα ἦσαν, ὡς τινὲς ᾠήθησαν ἀμαθῶς. *Acrides, locuſtæ, quibus Johannes veſcebatur, nequaquàm erant animalcula, quod imperitè nonnulli arbitrantur:* μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἀκρήμονες βοτανῶν & φυτῶν, *Sed herbarum & plantarum ſummitates.* Quam ipſam ſententiam Epiſtolâ 5. ejuſdem libri, tuetur accuratè, ubi Monaſticam & Aſceticam vivendi rationem, ad Johannis Baptiſtæ victum conformat & veſtitum. Εἰ οἱ θεῖοι λόγοι σημαίνοιεν τὴν ἀκρίβειαν, *ſi divina nobis oracula, accuratam & exactam rationem exprimunt*: ſupervacanea profectò eſt, accuratior diſquiſitio, iis qui cum attentione, in eorum lectione verſari volunt. Quocircà, ſi cibos & veſtitum Monaſticæ vitæ, juxta Deum perfectæ, & numeris ſuis omnibus abſolutæ, in Johanne Baptiſtâ didicimus: pilis, ſi fieri poteſt, ad corpus tegendum contenti erimus: herbarum autem, ac foliorum ſummitatibus, ad exiguam, miniméque redundantem alimoniam ac vires. Sed & Borchardus in ſuâ Terræ ſanctæ deſcriptione, ſe ait, reperiſſe in Monaſteriis Palæſtinæ, juxta Jordanem, victum monachis miniſtratum, de quibuſdam herbis, quas vulgò Locuſtas illi appellabant: addidiſſe autem Monachos, hiſce cibis Baptiſtam olim victitâſſe.

In tantâ iccircò opinionum varietate, tàm multiplici vocis vel acceptione, vel erroneâ interpretatione, non vehementèr errant Novatores, quos appellant: nec in eos debuerant boni illi viri tantoperè deſtomachari: eoque magis, quòd illuſtriſsimus Cardinalis, recitatâ Iſidori illâ opinione, adjiciat. *Hæc cùm ſcribat Iſidorus, & non niſi Majorum authoritate, quid de his ſentiendum ſit, definiendum nobis non eſt, ſed totum relinquimus lectoris arbitrio. Nam conſtat Græcam dictionem* ἀκρίδες, *& locuſtam, inſecti genus, infirmas habens alas ad volandum, & ſummitates herbarum, ſignificare.* Sed fallitur Baronius: Conſtat contrarium, ἀκρίδες, apud nullum authorem claſsicum, ἀκρόδρυα ſignificare: ingenuè tamen idem, qui in tantâ varietate, ſe nolle pertinaciùs contendere docet. Quænam

est ergò hæc iniquitas, cùm inter bonos benè agier oporteat, pronunciare, *Corrumpunt Novatores verbum Dei*, quia κεστρεὺς pro ἀκρίδες, quidam legunt: ideò, contra mentem Spiritus sancti, eos voluisse Johannem victitasse delicatulè: si κεστρεὺς essent ἀκρίδες, & *cancri*: si cancri, pisces essent helluonibus in deliciis, (quod utrumque sciunt Novatores falsum:) tamen iidem Novatores, cùm referantur cancros intellexisse projectos in littore, porcis comedendos, sanè, mirificum nobis illi *gastrimargum*, & *habrodietum* Johannem exprimerent, luxu diffluentem, quòd accusant calumniatores. Certè, qui primas inter Novatores obtinere existimantur, hanc ridiculam περὶ κεστρέων sententiam, Principes, etiam ante Maldonatum, exploserunt. *Sed calumnias plerumque jactare gestiunt, qui probare non possunt. Et cùm innocentiam destruere, & expugnare nequeant, satis habent famam mendaci, & falso rumore commaculare*, ut scitissimè aiebat Sanctus Cyprianus. Quibus hanc palmam nequaquàm invidemus lemniscatam, imitantibus Thersitem, egregium Authorem, apud Q. Catabium, qui

Τὺς γὰρ νέους πάμπαν ἐπισκολίοις κανόσι,
Αὐτὸς ἐὼν λυσθεντός.

51 Novatores qui dicuntur, saltem eruditiores, nec à communi Patrum sensu & sententiâ libentèr abscedentes, cum Clemente Alexandrino apud Cardinalem fatentur. Ματθαῖος μὲν οὖν ὁ Ἀπόστολος σπερμάτων, καὶ ἀκροδρύων, καὶ λαχάνων, ἀνευ κρεῶν μετελάμβανεν. Ἰωάννης δὲ τὴν ἐγκράτειαν, ἀκρίδας καὶ μέλι ἔσθιον ἄχρις. *Matthæus quidem Apostolus, seminibus, herbarum summitatibus, baccis, & oleribus, sine carne, vescebatur. Johannes autem abstinentiam ulteriùs suam extendens, locustas comedebat, & mel sylvestre.* Confitentur illi, hujusmodi Scleragogiæ in victu possibilitatem, exemplis passim apud classicos Authores extantibus, & in rem præsentem proferendis. Secundò, ipsammet in particulari ἀκριδοφαγίαν agnoscunt, utpote cum ratione & usu conjunctam. Diodoro Siculo, in 3°. plurima recitantur, ab hominum communi usu & victu, ciborum genera: memorat ille, *Struthiophagos, Chelonophagos, Rhizophagos, Hylophagos, Spermatophagos*, & *Poephagos*. Qui panibus de siccatis & contusis piscium oscibus pascerentur,

tur, qui piſciculos, in littore, marinis fluctibus ejectos & derelictos ederent. Secundo libro, ſacris literis conſonantèr ait, homines terræ fructibus victitâſſe, quos ſponte ſuâ tulerat inarata. Libro primo, vetuſtiſſimos Ægypti incolas, fuiſſe confirmat πομπάγους.

Et quod locuſtas in particulari attinet, teſtatiſſimum habetur apud plures, eſitaſſe illas non unam nationem. Athenæus in 4. cantharos, & cicadas menſis illatas probat. Strabo lib. 16. his finitimi, cœteris & nigriores ſunt, & minores, & brevioris vitæ; rarò enim quadrageſimum exuperant annum: eorum carne jam in ferinam versâ, ἀποθηριωμένης αὐτῶν τῆς σαρκός. Vivunt è locuſtis, quas verno tempore, Africi & Favonii venti vehementiùs flantes, in ea loca compellunt. Sic autem locuſtas venantur; fumoſam materiem in convallibus aggeſtam, accendunt: locuſtæ, levitèr ſupervolantes, fumo tenebras offundente, decidunt; ita delapſas colligunt, & admixto ſale, maſſulas ex iis conficiunt, & ſic in cibum utuntur. Plinius in undecimo: *Pars quædam Æthiopum locuſtis tantùm vivit, fumo & ſale duratis, in annua alimenta: ii quadrageſimum vitæ annum non excedunt.* Conſentit in tertio Diodorus. *Non inde longè diſſiti incolunt Acridophagi, ad vaſtiſſimas Æthiopiæ ſolitudines proximi, ſtaturâ breves, infra cœteros: levitate, utpotè mole exigui, nimiâ ſunt præditi: nigerrimâ cute.* Proſequitur autem, cum Strabone, ſed diffuſiùs & explicatiùs locuſtarum capturam, & paſturam ad hunc modum. Κατὰ γὰρ τὴν Αἰθιοπίαν ἔθνη παρ' αὐτοῖς ζέφυροι καὶ λίβες, πλημμυρήσεις ἐκείθεν ἐπὶ τῆς ἐρήμου πλῆθος ἀκρίδων· ἀμύητον, τοῖς τε μεγέθεσι διαλλάττον, καὶ τῇ λεπτότητι τοῦ περώματος εὐδιάλυτόν τε ῥυπαρὸν, ἐκ τούτου, δαψιλεῖς τροφὰς ἔχουσι ἅπαντα τὸν βίον. Ait locuſtas non ejuſdem omnes magnitudinis, alis, & toto corpore hiſpidum & deforme animal: unde tantas ſibi ſolent comparare menſas. Nam quod priùs Strabo, ſed breviùs dixerat, peculiari quodam, & ſuo more venantur & capiunt. Per illam enim regionem, profunda quædam convallis & latiſſima, ad multa ſeſe ſtadia extendit: hanc, ubiquè materie de agris collectâ, quâ paſsim abundat regio, conſtipant, & cum venti Occidui, Africus & Favonius flare incipiunt, condenſæ locuſtarum nubes per aerem feruntur. Hic

52

jam incolæ, diſpertitis inter ſe convallis illius partibus, ignem materiæ apponunt, unde fumus excitatur multus & acerbus, adeò ut ſupervolantes convallem locuſtæ, acerbitate illius fumi ſuffocatæ, in terram concidant ſtatim, volando exiguum dimenſæ ſpatium. Ad hunc modum continuatâ per dies plures venatione & capturâ, ingentes locuſtarum acervi fiunt: cumque ſale paſsim abundet regio, allatum ſuper acervos effundunt, unde, per liquefactum ſalem, locuſtæ guſtui non ingratæ reduntur, & in futuros uſus ſine putrefactione conſervantur. Nam & de præſenti, & in futurum, inde ſolo vivunt; cùm & longiſsimè abſint à mari, pecorum paſtioni, vel agri culturæ non aſſueſcant, neque aliundè poſſint commodè victitare. Illud autem obſcurè dictum Straboni, ἀποθνῃσκόντος αὐτῷ τῆς σαρκὸς, Diodorus explicat, dum de brevi vitâ, & miſerâ morte adjungit, ex illâ horridâ & peregrinâ diætâ: Τοῖς δὲ σώμασιν ὄντες χαῦνοι, καὶ τοῖς πόσι ὀξύτατοι, θεραχύβιοι παντελῶς εἰσιν, ὡς ἀν τῶν πολυχρονιωτάτων παρ' αὐτοῖς ὑχ ὑπερβαλλόντων ἔτη πεντηκοντα. Cujus vitæ brevitatis cauſa, victui erat adſcribenda. Vitæ autem finem, inquit, ſortiuntur, non ſolum ἀηδόδοξον, ſed & πάντων ἀχληρότατον. Cùm enim ingraveſcere ſenectus incipiat, hoc eſt, ante annum 40. quem non excedunt, inhærent corporibus pediculi alati, ſpecie variegati & deformes, actu truculentiſsimi, & infeſtiſsimi. Quod mali genus, à thorace & ventriculo exorſum, breviſsimo tempore univerſam depaſcitur molem corporis: æger, imprimis, velut prurigine quâdam vehementiori infeſtatus, arrodit, & unguibus ſcalpit locum, dolore & voluptate quâdam permixtâ infeſtatum: unde poſt paucos dies, purulento unà cum humore, alatæ illæ peſtes ſe oſtentant. Hæc & alia Diodorus, Cteſiam ſecutus & Agatharcidem, ut conjicere licet, ab excerptis apud Photium. Morbum, vel *victui*, & *diætæ*, vel *aëri* adſcribit Diodorus, fortaſsis utrique: neque enim alibi ἀκριδοφάγοι eâ peſte dicuntur laborâſſe: qui tamen, Athenæo, Plutarcho, & ante alios Ariſtophani in Acharnenſibus commemorantur, qui pauperioris menſæ columen, locuſtam appellat.

53 Quocircà cùm Æthiopes, & præter eos Tagelenſes, Parthi,

Parthi, Arabes, Lybii, Mellenſes, Zemenſes, Darienenſes, Afri, qui Leptin incolunt, Azanugtri, Zenegenſes, & Mauritaniæ aliquot populi, maximâ ex parte iis veſcantur, & eorum ova in delitiis habeant; quod narrat *Inſectorum Theatrum*. Miſsis aliorum commentationibus, fixum & râtum ſtatuimus eſſe, locuſtis, animalculis veſci ſolitum Johannem: eóque magis, quòd Levit. 11. Deus quatuor eorum genera pronunciat munda, & Iſraelitis permittat iis veſci. In quam veriſsimam ſententiam, pleriq; vetuſti Patres abiere. Clementis teſtimonium dedimus: ſequitur Origenes Hom. 11. in Lucam. *Erat igitur in deſerto Johannes, & nutriebatur novo, & extra humanam naturam modo, id ipſum Matthæo memorante. Cibus autem ejus erant locuſtæ, & mel ſylveſtre. Quia enim miniſter fuit primi Salvatoris adventus, & tantummodò de diſpenſatione carnis dominicæ loquebatur, ac prophetia illius, eum qui natus fuerat de Virgine, præcinebat; non habuit domeſticum mel, & humanâ diligentiâ percolatum, ſed mel ſylveſtre: & volucre, non grande, ac in ſublime ſe erigens; verùm volucre parvum, & vix à terrâ ſe attollens, & ſaliens potiùs quàm volans. Quid plura? manifeſtiſsimè dicitur, quòd locuſtæ fuerint cibus ejus, parvulum animal & mundum.* Conſentit Hilarius Can. 1. in Matth. *In eſum etiam eliguntur locuſtæ, fugaces hominum, & ad omnem adventus noſtri ſenſum volitantes. Nos ſcilicet, qui ab omni congreſſu, vel ſermone Prophetarum, impiis quibuſdam corporum ſaltibus efferebamur, voluntate vagi, in operibus inutiles, in verbis queruli, ſede peregrini, nunc ſumus Sanctorum alimonia, & ſatietas Prophetarum: Electi ſcilicet, cum melle ſylveſtri dulciſsimum ex nobis cibum, non ex alveariis Legis, ſed ex truncis ſylveſtrium arborum præbituri.* Quam ſententiam iiſdem penè verbis expreſsit in locum Lucæ Ambroſius. *Cibus quoq; Prophetici index officii, nuntiuſque miniſterii eſt: quid enim tam otioſum ad hominis officium, quàm locuſtas quærere? & quid tam plenum ad Vatis myſterium? Nam quo magis ad fructum inutiles, ad uſum laboris inertes, ad tactum fugaces, vagæ ſaltu, ore ſtridulæ ſunt locuſtæ; eò convenientiùs his, populi figura Gentilis aptatur: qui nullo uſu laboris, nullo operis fructu, ſine gravitate, ſine voce, ſonum querelæ ederet, verbum vitæ ignoraret. Hic igitur populus cibus eſt*

Prophe-

Prophetarum. Nam quo numeroſior populus congregatur, eò uberior Prophetici oris uſus augetur. Eccleſiæ quoque Gratia præfiguratur in melle ſylveſtri, non intra alvearium Legis plebis Judaicæ fœtu reperta, ſed in campis & foliis ſylvæ, gentilium errore diffuſa, juxta quod ſcriptum eſt Pſal.131. Invenimus eam in campis ſylvæ. Et hic quidem mel ſylveſtre edebat, annuntians populos de petrâ melle ſaturandos, ſicut ſcriptum eſt, Pſal.80. Et de petrâ melle ſaturavit eos: ſic etiam Eliam corvi, cibo adventitio, inter deſerta paverunt; ut indicio foret, populos nationum, retrò ſqualentes colore meritorum, qui antea cibum, fœtidis in cadaveribus requirebant, nunc de ſe adventitiam Prophetis alimoniam præbituros. Cibus enim Prophetarum, divinæ voluntatis effectus eſt, ſicut ipſe Dominus declaravit, dicens, Meus cibus eſt ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me. Quod idem, licet non eodem modo. Nam Ambroſius, & Hilarius, allegoriis ludunt, & cœteri penè omnes Patres antiqui, ſenſerunt: à quibus, quòd ſciam, Proteſtantium Schola non recedit.

54 Ejuſmodi vitæ genere, Johannem jeciſſe fundamenta Monaſticæ vitæ, hoc eſt, Anachoreticæ & Aſceticæ, cum illuſtriſsimo Baronio, haud abnuerim. Non quidem ſimpliciter, ſed modo quodam ſuo: nec principem jeciſſe, ſed poſt Eliam & alios fortaſsis è Prophetis. Imprimis autem illum, & non Eliam, fundum huic inſtituto extitiſſe reor, quod & Novi Teſtamenti initium dedit, *& plus quam Propheta* cenſebatur. *Sicut Sacerdotum principes ſunt Apoſtoli*, inquit Chryſoſtomus, citante Cardinali, *ita & Monachorum princeps Johannes Baptiſta.* Et iterum, *Conſiderate, Monachi, dignitatem veſtram: Johannes princeps veſtri eſt dogmatis: ipſe Monachus, ſtatim ut natus, in Eremo vivit, in Eremo nutritur.* A quo neque cœteri Catholici, neque Novatorum νεοτέραλοι receſſerunt. Fruſtrà ergo litigat, cum Exercitatore Bulengerus, de origine & inſtitutis Monachorum. Neque enim vitæ ſolitariæ exemplum, ab Eliâ Prophetâ, & Johanne Præcurſore petitum negavit Exercitator. Diſtinguit ille ea duo, quæ ſunt à ſe diverſa, & toto cœlo ſoloque diſparantur: nempe profeſsionem monaſticam inſtituere atq; ordines: regulam præſcribere, & vivendi formam, atque vitæ ſanctimoniâ & auſteritate, exemplo præire ad imi-

tationem

rationem. Differunt late exemplum & inſtitutio. Factum, & facti imitandi ratio. Neminem ex antiquis ſcriptoribus mihi nominaverint, qui Johannem vel Eliam *parentem* dixit Monachorum: (nam de Eſſæis Judæorum, Monachorum noſtrorum Patriarchis, explosa ſententia eſt) eo modo quo Baſilium, Benedictum, Franciſcum, Dominicum, veletiam Ignatium Loiolam; *Author Paulus, Illuſtrator Antonius, Princeps in Novo Teſtamento Baptiſta*, Hieronymus ait. Monachus ipſe, & magnus patronus Monachorum. Princeps eſſe poteſt, qui author non eſt. Principem agnoſcit Johannem Caſaubonus, etiam & Eliam, etiam & Abrahamum fortè, cui dicebatur, *Exi de terrâ tuâ*: etiam fortè Adamum cum Chryſoſtomo: ſed *authores* iſtos, vel illum, non profitebitur. Neque ego aliter Cardinalem intellexero, qui vult Johannem jeciſſe fundamenta illius Monaſticæ vitæ: hoc eſt, veſtitu, victu, ἀναχωρήσει, exemplum dedit ſecedendi, exercendi, & totius ſcleragogicæ rationis; quemadmodum Moyſes, Elias, Chriſtus, jejunando dies 40. principes extitere jejunii in Eccleſiâ quadrageſimalis, cum tamen eorum nullus id inſtituerit. Atque ita Nazianzenus de Monachis loquitur, Ηλίᾳ προσόντι τῷ Κάρμηλοι, ἢ Ἰωάννῃ τῷ ἐρήμων, ἢ τοῖς ἀπὸ φολοσοφούντων τὸ ἀπαρχόμενον. Neque aliter Chryſoſtomus intelligebat, qui Johannem ἀρχηγὸν nominabat. Itaq; Homil. 21. in Matth. ait, *Monachos conformes extitiſſe, Angelis, Heliæ, Heliſæo, Johanni, Apoſtolis.* Fuerant igitur Apoſtoli, atque ideò Angeli, Monaſticæ vitæ authores, & ἀρχηγοί, Chryſoſtomo cenſente, non minùs quàm Johannes.

Certè quidam erant Monachi vetuſtiſsimi illius ævi, verè Monachi, & ἀτύπωμοι, vitam amplexi meliorem, quos effusè laudat Chryſoſt. Ethico in Hom. 68. in Matth. ca. 21. Baſilius, Nazianzenus, alii. Οἱ τὸν ὄρθρον, τὸν ἀπλαῖοις, οἱ μὴ γεγαμικότες, οἱ εἰς ἀπεράγμονα ζῶντες, Adami in innocentiâ vitam colentes, φυσικῆς τῆς ἀκακοηθείας, ἀπύχαται, ἀσκηταὶ ἐρῆμοι, οἱ χαμαὶ ἐρχόμενοι. *Quantò plus à deliciis ſæculi recedentes, tantò majores habentes delicias ſpiritus.* Ἀγγελικὴ ἢ ὑψηλὴ πολιτεία, Θεοῦ βασιλεία, & quæ ſunt plurima hujus generis apud Patres *elogia*. Certè fatendum, aut nuſquam extra cœli ambitum, aut in Aſceteriis olim, ſummâ & Angeli-

55

câ

cà ſanctitate viros repertos: ſed ὅτε μὲν πρὸ illa πολιτεία, πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλυπροι μελήσιοι. Morum illa ſanctitas, & vitæ innocentia paulatìm ſeceſſit in exilium. Certè poſtquam tot ſe paſsìm examina otioſorum, in religionem Chriſtianã effuderunt, fruſtrà Monachos in Monaſteriis, hoc eſt, probos, pios, ſimplices, cœleſtes, inter Hypocritarũ colluviem quærebant Majores, ὡς ὅτι ὀρχήσεται ἐθεατρίζοντο, ἄλλα φέροντες ἐν τῇ καρδίᾳ, ἄλλα ἐν τῇ ὑποφαινείᾳ δεικνύοντες. Quales tamen quales, reformare potiùs, & ad veterum normam atque πολιτείαν reducere debebant, οἱ ἐν πόλει, non (quod factum, facinore flagitioſo, & θυμαχωτάτῳ) *aræ* fuerant ad *haras*, *altaria* ad *lupinaria*, transferenda. Sed reprimam me. Illud apud Baronium præterire nec potui nec debui: *His cùm invideant Novatores, eò devenerunt ſtultitiæ, vel potiùs iniquitatis, ut malint corrumpere verbum Dei.* Imò prodigioſæ impietatis, ſi ſic. Sed longè ab hac calumniâ abſunt Novatores, qui, ut hanc partem vitæ Servatoris tandem abſolvam, de illo ſic ſtatuunt.

56 Servatorem, uſque dum adoleſceret, & ad annum ætatis 30. perveniret, artem aliquam & vivendi ἐπιτήδευμα, ſeu Inſtitutum ſectatum fuiſſe, tàm certum apud nos, quàm quod omnibus literis eſt teſtatiſſimum. Baſilius *Edit. Baſil.* in Aſceticis ait, pag. 560. χρὴ μὲν ἡ πρώτην ἡλικίαν, γονεῦσιν ὑποζυγούμενος ἅπασα πόνου σωματικοῦ, εὐπειθῶς καὶ πρᾴως ὑπεδέξατο, *Per ætatem ſuam primam, parentibus ſuis ſubditus, quemlibet laborem corporeum libentèr ſubiit, & obedienter.* Ita enim legendum σωματικοῦ, non πνευματικοῦ: hoc enim à propoſito Doctoris alienum erat. Laboris obiti rationem ita reddit: Ἀνθρώποι γὰρ ὄντες δικαῖοι μὲν καὶ εὐσεβεῖς, πένητες δὲ, καὶ τῶν ἀναγκαίων οὐκ εὔποροι (καὶ γὰρ μάρτυς ἐφάνη τῶν θείων τόκων θεράπαινα) εἰκότως πόνοις σώματος προσομιλοῦν διπλοῦς, τὰ ἀναγκαία χρείαν ταύτην ἑαυτοῖς συμπορίζοντες. *Cum enim homines illi eſſent juſti quidem & Deum timentes, egeni autem, & à rebus ad vitam neceſſariis minimè comparati (teſtatur autem hoc, miniſterium illud, quo partui auguſto, famulatus eſt nemo) merito quotidianis corporis laboribus atterebantur, neceſſaria ad vitam, victumque indè ſibi conquirentes.* Artem ergo aliquam πορισματικὴν Servator, Baſilio Authore, exercebat. Sed quam tandem artem undè conſtabit? Docet hoc Baroni-

us,

us, & verè docet. Nam Mar. 6 3. vocatur ὁ τέκτων: non tantùm *Fabri filius*, quod Matthæus habet, ſed δηλωτικώτερον, Ille Faber. Quaſi fabrilem ipſe exercuiſſet, non tantùm natus in domo Fabri. *Hinc habemus*, ait Cajetanus, *undè ſatis fiat curioſis, quærentibus, Quid fecerit Chriſtus ad 30. uſque ætatis ſuæ annum. Vacabat enim fabrili exercitio.* Stultum eſt ergò, ut priùs notabamus, quod Paulus Burgenſis, olim Verpa, poſteà Epiſcopus, de ſummo gradu vitæ contemplativæ comminiſcebatur. Oportebat enim illum adimplere, omnem veritatem: & eò deſcendit Baſilius in Aſceticis: vitam ſuam debebat τύπον ἀρετῆς ἐκ παραγράμματος πᾶσιν ἐκτίθεσθαι, non inertibus, ad otiandum præire exemplum. Sunt autem illa Burgenſiana commenta, Novatorum inſomnia: faceſſant ergò. Antiquum eſt, Patribus Eccleſiæ σωφρονοῦν, quod de vitæ ipſius inſtituto in particulari, contra Tryphonem Judæum ἀλληγορούμενος, habet Juſtinus Martyr. Ταῦτα τὰ τεκτονικὰ ἔργα ἐνεργάζετο, ὢν ἄνθρωπος ὤν, ἄροτρα καὶ ζύγα. Διὰ τούτων, καὶ τὰ τῆς δικαιοσύνης σύμβολα διδάσκων, καὶ non ἀεργῆ βίον. *Opera hæc fabrilia, dùm inter homines verſaretur, exercebat, juga ſcilicet compingens & aratra. Per iſta ministerium, nobis juſtitiæ ſymbol aproponens, & vitam minimè otioſam.* Legendum enim eſt ἀεργῆ, non ut in excuſis, contra ſententiam & mentem authoris, ἀεργῶν.

Hæc cum ſcirent vera, ipſius conterranei Nazarethani, 57
indignabantur, ita ſubitò prodiiſſe Doctorem, illum, quem certiſsimè noverant, quemadmodum & proloquuntur, *nunquam dediſſe literis operam.* Iniquè ferebant invidi & malevoli, per illas manus ſigna & miracula patrari, quas ante biennium, & quod retrò excurrit temporis, ipſi viderant, ſerram reciprocantes, ſecuri dedolantes, opera fabrilia omnia tractaviſſe. Hæc ferre non poterant, in coævo, æquali, inferiori, invidiæ animalia, livore perciti, nec ſine ſcandalo intueri. Hinc illa malevolentiæ vox, *Annon hic eſt Fabri filius? Annon hic eſt ille Faber? unde illi hæc ſcientia*, qui literis non dedit operam? Atque ita, προήγαγον αὐτὸν λίγων, καὶ τῇ πόλει, Dominum deduximus ad Jordanem, baptizandum à Johanne, cujus hiſtoriam, ſic congeſtam & conceptam, ſacri perſequuntur Evangeliſtæ, οἱ ἐκ παραλλήλου συμπαρατεθέντες, quorum veſtigiis inſiſtemus.

Divinum Jeſu Chriſti miniſterium, in ſuſceptâ noſtrâ carne, conſummatum, à Johannis baptiſmo initium duxiſſe docet Sanctus Petrus, Act.1.22. Quod idem repetit, & latiùs explicat, Act.10.37. unde Petri diſcipulus B.Marcus, hiſtoriam ſuam Evangelicam, ab hac ipsâ periodo exorſurus, ait: *Initium Evangelii Jeſu Chriſti, filii Dei, ſicut ſcriptum eſt in Prophetis. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* Venit ergò Johannes Zachariæ filius, in omnem regionem circa Jordanem, è deſerto, ubi adoleverat, prædicans baptiſma pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum. Quod nequaquàm ab illo factum fuit, vel motu proprio, aut fortuito caſu, vel ſtudio diſcipulos contrahendi, & exiſtimationis acquirendæ: ſed de divinâ deſtinatione, juxta Eſaiæ vaticinium, & Malachiæ, ut per prædicationem pœnitentiæ, & baptiſmum aquæ, pararet vias Domini, hoc eſt, corda præpararet, ad ſuſcipiendum Chriſtum, qui jam ſtabat in procinctu & expectabatur. Præcurſoris officium, parare vias Domini. Præparatio duobus modis perficiebatur, pœnitentiam prædicando, ut remittantur peccata: & aquis baptizantur, in ſignum expiationis peccatorum.

58 *Baptiſmus Johannis, rudimentarius fuit*, ait Damaſce-
Lib.4.cap. nus, *eos qui baptizabantur ad pœnitentiam ducens, ut Chriſti*
10.*Orthod.* *fidem poſteà amplecterentur.* Quod ille mutuabatur è Cyrillo. *Erat autem Johannis baptiſmus*, inquit Cyrillus, *imperfectus & iſagogicus, quemadmodum & lex vetus. Veluti enim lex Moſaica, & futurarum rerum, & ſpiritualis cultus præparatio quædam fuit, occultam veritatem parturiens; ſic baptiſmus Johannis; ad Chriſti baptiſmum collatus, præparationis vim obtinebat.* Baſil. in exhortat. ad bapt. Ἰωάννης εἰς μετανοίας βάπτισμα, ἡ ἐξετρεύετο τοῖς αὐτοῦ πᾶσα Ἰουδαία. Ὁ κύριος χάριτος βάπτισμα ὑιοθεσίας. Ἐκεῖνο εἰσαγωγικὸν τὸ βάπτισμα: τοῦτο τελειωτικόν. Ἐκεῖνο ἁμαρτίας ἀναχώρησις: τοῦτο οἰκειώσις τοῦ Θεοῦ. Gregor. Nazianz. Orat. 39. *Baptizavit etiam Johannes, non ille quidem Judaico more, neque enim in merâ & ſolâ aquâ, baptizabat*: (ita autem Judæi lavabantur) *ſed ulteriùs, in pœnitentiam*, ἔτι δὲ οὔπω πνευματικῶς. *Nondum tamen plenè, & completè, ſpirituali modo.* Neque enim aceeſſit additum illud, *In Spiritu*: *baptizat etiam*

Je-

Jeſus, ſed & in Spiritu. Auguſtin. multis in locis de comparatione inſtitutâ, inter Chriſti baptiſma & Johannis agit: ubique autem aliud, & diverſum docet eſſe, non *contrarietatis* diverſitate, ſed *diſparantiæ*. Fuit enim de cœlo a Chriſto Johanni conceſſus, tanquam eximium quoddam privilegium, ultra omnes juſtos & Prophetas, lib. 5. de bapt. contra Donat. *Tamen alius erat Baptiſmus Chriſti, alius Johannis. Erat ille baptiſmus dictus Johannis, non Chriſti: at Chriſti baptiſmus, non dictus Petri, Pauli, ſed ſolius Chriſti.* Epiſtolâ 48. Quodipſum ibidem, & Tom. 7. contra liter. Petiliani lib. 2. cap. 56. ait eſſe *ſignum imperfectionis. Itaque Domini baptiſma, poſt illud neceſſarium. Et poſt Johannem baptizabat Paulus: poſt Hæreticos non baptizat Eccleſia. Chriſti baptiſmo, actu peccata remittebantur, non remittebantur actu per Johannis.* Quocirca ait, *Inter Chriſti baptiſma & Johannis, multum intereſt: non contrarietatis, ſed diſtantiæ modo. Idem erat baptiſmus, ſed in Servo & Domino, in præparatione & conſummatione differens, in effectu & operatione non idem. Neque enim dabatur Spiritus ſanctus, nec pœnitentia infundebatur, ſed per prædicationem pœnitentiæ, via præparabatur ad pœnitentiam & Spiritus ſancti ſuſceptionem.* Hinc author quæſt. veteris & novi Teſtamenti, ſub Auguſtini nomine, Qu. 29. *Johannis baptiſmus*, inquit, *cæptus non ceſſavit, ſed additum ei eſt, quod deerat. Johannes enim tantùm baptizabat, non Spiritum ſanctum credentibus dabat. Interpretatio ergò acceſſit, ad baptiſmum Johannis, cum ſignificatione latentis dudum myſterii. Acceſſit at amplius donum* (nempè per Chriſti baptiſma) *ut baptizati, Spiritu ſancto accepto, ſint filii Dei. Amplificatum ergò eſt, non evacuatum.* Qualis autem diſpenſatio fuerat illius, reſpectu divinæ Chriſti gratiæ, docet Author quæſt. Juſtino adſcriptarum, qu. 37: Τὸ βάπτισμα Ἰωάννου προοίμιον ἦν εὐαγγελίου τῆς χάριτος· Διὸ, καὶ ὑπὲρ τὸν νόμον ἦν. *Erat Johannis baptiſmus præludium quoddam Evangelii gratiæ: quocirca, & ſupra legem erat*: (hoc eſt pluſquam legale quid) Neque enim poterant, qui ſub lege erant, & ſub lege peccaverant, in & per illam legem, per pœnitentiam & fidem Chriſti, veniam adipiſci. Quid ergò? An dabat gratiam baptiſmus ille? Sic viſum nonnullis. Perperàm omninò. Nam ubi tum ὑπὲρ baptiſmatis

Chriſti, & Sacramentorum novi Fœderis, quibus οἰκεῖον ἐστὶ σφράγισμα, gratiam conferre quam ſignificant. Præparatoriè hoc agebat, non ἐνεργητικῶς, *ſed in ſpe*, ut loquitur Auguſt. *cum reipſâ, in Domini baptiſmo illud fiat.* Atque ita de dimiſsione non contendet Auguſtinus pugnacitèr, dum gratiam ampliorem in Chriſti baptiſmo conferri concedatur. de Bapt. con. Donatiſt. lib. 5. cap. 10.

59 Quid ergò? an Johannis baptiſma imperfectum, quod de cœlo dicitur deſcendiſſe? Reſpondeo. Perfectum & imperfectum, reſpectiva ſunt, ὡς πρὸς τί. Perfectum, reſpectu perfectionis, imperfectum eſt, reſpectu imperfectionis, aut ſui ſtatus & finis intenti, perfectum eſt. Creaturæ à Deo quælibet creatæ ſunt perfectæ, quæ tamen reſpectu Creatoris imperfectæ ſunt: ſic & in diſpenſationibus gratiæ, variantur rerum habitus è reſpectu. Novatianorum, qui pœnitentiam lapſis negabant, cùm premerentur exemplo Petri, cui remittebatur abnegatio per pœnitentiam, dicebant illum, ideò in gratiam receptum, quòd erat βεβαπτισμένος τότε ἀτελεῖ τῷ βαπτίσματι, imperfecto tantùm baptiſmo baptizatus fuit, hoc eſt, Johannis, & non Chriſti: Volebant enim Apoſtolos, non à Chriſto baptizatos, ſed ſolo Johannis baptiſmo. Quod falſum eſt. Reſpondet Eulogius, ad hoc ipſorum argumentum, Johannis baptiſma τότε τέλειον. Hoc eſt, cum inſtitutum dabatur, ad finem ſuum conſequendum ſufficiens, ut ad pœnitentiam excitarentur, & novi facti, ad Chriſtum novitatis conſummatorem deducerentur. Poſteà ἀπέβη τοῖς μεμυθοῖς ἀτελές. Nempè, cùm formam baptiſmi ſuis traderet Servator. Fuiſſe autem pro ſtatu & tempore ſuo τέλειον, probat: Quod nulli Apoſtolorum, Johannis baptiſmo baptizati, leguntur denuò rebaptizati. 2 Quia ipſe Servator illo eodem baptiſmate baptizatus, ſuo illo baptiſmo ſanctificavit aquas. 3 Quia erat ἔισοδος εἰς χειρόν: Nam in fidem venturi baptizabantur; ideò quærebant, Τίς ὁ ἐρχόμενος; quis eſt ille qui venit? & invenerunt eum. 4 Ideò Apollos non eſt rebaptizatus, & qui Act. 18. 26. rebaptizabantur, ideò eo modo retineti ſunt, quia poſt Chriſti aſcenſionem, cùm jam Johannis baptiſma evanuerat, baptizati fuerant. Hoc autem ſcire velim πρὸς χεῖρον, uti & illud alterum

Apud Phot pag. 878.

rum, quòd Apollos Chriſti baptiſmate non rebaptizabatur. Vult ergò, Johannis baptiſma, durante τῆς οἰκονομίας ſpatio, πλεῖον fuiſſe, eodem effectu, eâdem efficaciâ præditum, quâ & Chriſti. Illo autem decurſo & expleto termino, ἄτελὲς fuiſſe & inutile: quocircà rebaptizandos omninò, illo baptiſmate baptizatos. Tempus autem illud diſpenſationis, nunc inſtituto per Chriſtum baptiſmate, terminat, hoc eſt in ipsâ aſcenſione: nunc uſque ad adventum Spiritus ſancti, in die Pentecoſtes, poſt x. dies. Quaſi Johannis baptiſma eſſet, à Johanne inſtitutum, & poſt ejus exceſſum, per neſcio quos diſcipulos continuatum, & non, à ſolo Johanne αὐτοχείρως adminiſtratum. Imperitè. Certè poſt Baptiſtam decollatum, nullum erat ulteriùs Johannis baptiſma, & cùm illi quos Paulus rebaptizavit, tùm alii quicunque Johannis baptiſmo baptizabantur, per ipſummet Johannem erant baptizati. Tertul. de bapt. cap. 10. Ita ſtatuit, baptiſmus ab Johanne denunciatus, jam tunc habuit quæſtionem, ab ipſo quidem Domino Phariſæis propoſitam, cœleſtiſnè is baptiſmus eſſet, an verò terrenus? De quo illi non valuerunt conſtanter reſpondere, utpotè non intelligentes, quia nec credentes. Nos porrò, *quantulâ fide ſumus, tantulo & intellectu poſſumus æſtimare, divinum quidem eum baptiſmum fuiſſe. Mandatu tamen, non de poteſtate, quia & Johannem à Domino miſſum legimus in hoc munus, cæterum humanum conditione. Nihil enim cœleſte præſtabat, ſed cœleſtibus præminiſtrabat, pœnitentiæ ſcilicet præpoſitus, quæ eſt in hominis poteſtate. Denique, legis Doctores & Phariſæi qui credere noluerunt, nec pœnitentiam egere. Quòd ſi pœnitentia humanum eſt, & baptiſmus ipſius ejuſdem conditionis fuerit neceſſe eſt: aut daret Spiritum ſanctum, & remiſſionem peccatorum, ſi cœleſtis fuiſſet. Sed neque peccatum dimittit, neque Spiritum indulget, niſi Deus ſolus. Ipſe etiam Dominus, niſi ipſe priùs aſcenderet ad Patrem, aliter negavit Spiritum deſcenſurum. Id quod Dominus nondum conferebat, ſervus utique præſtare poſſet? Adeò poſteà in Actis Apoſtolorum invenimus, quoniam qui Johannis baptiſmum habebant, non accepiſſent Spiritum ſanctum, quem ne auditu quidem noverant: ergò non erat cœleſte, quòd cœleſtia non exhibebat. Agebatur igitur baptiſmus pœnitentiæ, quaſi* Tertul. de bapt. c. 10.

candi-

candidatus remiſſionis & ſanctificationis in Chriſto ſubſecuturæ. Nam quòd prædicabat baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum, in futuram remiſſionem enunciatum eſt. Siquidem pœnitentia antecedit, remiſſio ſubſequitur. Et hoc eſt viam præparare: qui autem præparat, non idem ipſe perficit, ſed alii perficiendum procurat.

60 Hæc & plura Tertullianus, argutè, ſolidè, & nervosè, proùt ſolet, de baptiſmo Johannis & Chriſti, quæ eſt communis omnium antiquorum ſententia. Et certè, qui formâ baptiſmi carebāt, nequaquàm baptiſmo Chriſti baptizabantur. *In nomine Patris, Filii, Spiritus ſancti*, eſt ipſum baptiſmatis τὸ δὲ πῶς ἔχει: ubi deeſt hæc forma, res ipſa deficit. At illi baptizati in baptiſmum Johannis, ne fando quidem audierant de Spiritu ſancto. Et quomodò baptiſma illud Johannis, cum Chriſti baptiſmate idem eſſe poſſit, dicant qui poſſunt explicare. Ab hac ſententiâ ſi Calvinus receſſerit cum ſequacibus, ætatem habent, ipſi reſpondeant. Privati cujuſcunq; hominis ἀβλήμα, non eſt communi Proteſtantium ſententiæ, quod iniquè faciunt aliqui, imputandum. In publicis Proteſtantium Eccleſiarum confeſſionibus, nihil adhuc mihi lectum hujuſce furfuris. In Eccleſiæ Anglicanæ ἀξιώσμασιν, nihil extat, huc vel detorquendum, quin potiùs contra. Quippini, cùm ad antiquitatem, non autem novitatem, in Concionibus, & Prælectionibus remittamur; eam proponere, explicare, accuratè tueri conſtringamur, vinculo obedientiæ, & ſub pœnâ ſuſpenſionis. Obtineat ergò per me, Tridentinæ Synodi, Can. 1. ſeſſ. 7. *Si quis dixerit baptiſmum Johannis habuiſſe eandem vim cum baptiſmo Chriſti, Anathema ſit.* Johannis enim baptiſmi, cum baptiſmo Chriſti æquiparatio, non tam exaltando Johannis baptiſmati inſervit, quàm Chriſti deprimendo. Inde enim illud impium conſequitur, ſicut Johannis baptiſmo nulla gratia conferebatur, ita neque conferri per Chriſti baptiſma poteſt.

61 Exibat autem ad Johannem baptizantem, *Hieroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circà Jordanem, & baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua.* Quis unquam Catholicus tam fuit indoctus, ait Maldonatus, ut ex hoc loco confeſſionis probaret Sacramentum? Re-

ctè

ctè, & eruditè. Nominare tamen poſſum è Catholicis, ut ſe appellant, Anglis, qui per inſcitiam Sacramentum illud ſuum hinc aſtruere & probare ſatagunt, quos alibi ob hoc ipſum caſtigamus. Accommodabant ſe faciles auditores, ad Johannis illam diſciplinam. Pœnitentiam, inquit, agite; hanc agebant: non apud illum, tanquam in Confeſsionario, μυστικῶς: ſed vocibus, geſtu, habitu etiam & lamentis, omiſſa & commiſſa deplorantes. Novum vitæ diſciplinæque inſtitutum (neque enim ab omni retrò antiquitate Prophetarum aliquis, hoc ἐπιτήδευμα inſtituerat) ſedibus ſuis excitos, ad aquas attraxerat, curioſiùs τὸ παραπόμπιμον ſpeculaturos. Accedentes, & in rem præſentem adductos, duplici præconio perculſos, ad obedientiam percellebat, eò quòd in propinquo erat regnum cœlorum: quò intrare non liceret, niſi ſedulò agerent pœnitentiam; nec illius indigites, vel participes fieri: ſive regnum cœlorum, pro Meſſiæ adventu, & humanâ ἀναφορῇ intelligamus, cum Chryſoſtomo, Theophylacto, & cœteris, qui illum ubique veſtigiis omnibus conſectantur: ſive cum aliis, Eccleſiam velimus dici, quæ ſæpiùs nominatur cœleſte regnum: ſive potiùs vitam æternam, & beatitudinem cœleſtem, quæ ſub Chriſto, & per Chriſtum propalabatur. Certè quovis modo accipias, cœlorum regnum, eſt illud μετανοητικὸν ad reſipiſcentiam.

Inter Judæorum confertam illam & promiſcuam multitudinem, videns multos Phariſæorum & Sadducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit iis: *Progenies viperarum, quis demonſtravit vobis fugere à venturâ iræ.* Neque enim vocati aderant: ſed nec conſcientiæ ſtimulis perterriti, aut quaſi rei & αὐτεξεταστικῶς advenerunt: juſtos enim ſe putabant, & à communi hominum fæce, & ſentinâ remotos. Nam à juſtitiâ ſe nominabant Sadducæi, & quaſi ſanctiores atq; ſeparatiſtæ, ut noſtrorum Puritanorum majores agnoſcas, Phariſæos ſemetipſos nominabant, à Phares diviſione. Vox illorum, illa apud Prophetam Eſaiam: *Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es.* Quos ob ſimulatam ſanctitatem, hoc eſt, duplicem iniquitatem, *Fumum in furore Dei*, appellat Vates: ὑπόβασις ἡ πλάσμα, ἢ ἐν ὑποκρίσει

62

Eſa. 65. 5.

τις,

τις, ait Nazianzenus. Et hoc quidem elogio, paſsìm depingit hæc ſanctitatis ἐπιτεύγματα Servator. Quos in promiſcuâ turbâ venientes, ſeparatìm compellat Baptiſta, cognitos illos habens, à veſtitu, habitu, & circumſtantiis, quibus à vulgo volebant diſcriminari: moribus cognitos, & ἐπιπνεύμασι, vel per divinam revelationem, aut per ἀναφορὰν exemplarem. Nam triginta annorum vir, maturâ ætate, & Sacerdotis filius, eorum mores non poterat ignorare. De viperâ, cùm ſint protrita omnia, non eſt opus inquirere, cur progeniem appellat viperarum: κακῆς κόρακος, κακὰ μὲν ὠά, venenatorum parentum venenatos filios: quos iccircò perſtringit vehementiùs. Sciebat inſuper quo animo aderant, ſcilicet, ut ad rem novam, curioſitati litantes, aut tanquam expoſtulaturi de authoritate: ita enim aggrediuntur deinceps Servatorẽ, in quâ authoritate iſta facis? Certè baptiſmo pœnitentiæ non initiatos, conſtat è cap. 7. Lucæ 30. 31. *Et omnis populus, audiens* ait Evangeliſta, *& Publicani, juſtificaverunt Deum, baptizati Johannis baptiſmo. Phariſæi autem, & Legis periti, conſilium Dei ſpreverunt in ſemet ipſos, non ab eo baptizati.* Quocirca nec eum interrogant, *Quid faciemus?* quod & turbæ, & Publicani, & milites faciunt, quos omnes ſigillatìm inſtructos de officio dimittit; & in genere admonitos, de agendâ ſeriò pœnitentiâ, ne penitùs à Deo irato exſcindantur, & in ignem æternum abjiciantur. Hæc particulariùs perſequitur Beatus Lucas; qui tamen niſi ſummam, & quaſi σωσίαν exhibuit concionum: concludit enim, quomodò Johannes, hiſtoriam de Chriſto: *Multa quidem & alia exhortans, evangelizabat populo.*

63 Hiſce ad hunc modum prælibatis, baptiſmum Chriſti aggrediuntur Evangeliſtæ. Matthæus imprimis particulariùs. *Et factum eſt in diebus illis, cùm baptizaretur omnis populus, venit Jeſus à Galilæâ ad Jordanem, ut baptizaretur ab eo. Johannes autem prohibebat illum, dicens, Ego à Te debeo baptizari, & Tu ad me venis? Reſpondens autem Jeſus, dixit ei, ſine modò, ſic enim decet nos implere omnem juſtitiam: Tunc demiſit eum.* Illuſtris eſt hæc narratio, cùm propter rem ipſam, baptiſmum Servatoris; tùm propter circumſtantias & conſequentias, quæ pleræque Interpretem deſiderant, quàm Hiſtoricum magis.

De

De tempore, hoc eſt, ætate Servatoris, cum baptizaretur, diximus in Apparatu 11. De tempore, hoc eſt, die ipſo, celeberrimo hoc officio conſignato, dicendum: *Quòd verò ad menſem & diem, quibus baptizatus eſt Chriſtus, ſpectat*, ait Cardinalis, *id factum eſſe, ſextâ Januarii, ex communi & antiquâ Eccleſiæ traditione, Euſebius Pamphili, ad Marinum ſcribens, teſtatur.* Confirmat hoc idem Hieronymus, ac denique omnes Scriptores Eccleſiaſtici, uno duntaxat excepto Epiphanio. Eſt hæc quidem communior & antiquiſſima Eccleſiæ traditio. Origenes homil. 1. in Ezechielem. *Eo menſe, qui apud Romanos Januarius nuncupatur, baptiſmum Domini factum eſſe cognoſcimus, qui eſt menſis quartus ab anno novo, juxta ſupputationem Hebræorum.* Hieronymus ad eundem Ezechielis locum: *Illud quoq; intelligendum eſt, quod in triceſimo ætatis ſuæ anno, Dominus ad baptiſma venerit, in quarto menſe, qui apud nos vocatur Januarius, & eſt in anni primus exordio.* Quinta autem diem menſis adjungit, ut ſignificet baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto cœli: & Epiphaniorum dies, hucuſque venerabilis eſt: non ut quidam putant, natalis in carne; tunc enim abſconditus eſt, & non apparuit. Extat Oratio Nazianzeni, numero 39. cui titulus, Εις τὰ ἅγια φῶτα τῆς Επιφανίων, In ſancta lumina Epiphaniorum: hoc eſt, baptiſmum, quo illuſtramur πνευματικῶς, illo Epiphaniorum die celebratum, in Eccleſiâ: eò quòd, ut ipſe ſe explicat, illo die Chriſtus baptizabatur. Πάλιν Ιησῦς ἡμᾶς ὁ πάλιν μυστήριον, ὑψηλόν τι καὶ θεῖον, καὶ τῆς ἄνευ λαμπρότητος κρεῖττον· ἡ γὰρ ἁγία τῆς φώτων ἡμέρα, ἀρχὴν μὲν τὸ τοῦ ἡμᾶς Χριστοῦ βάπτισμα λαμβάνει. Sunt enim Epiphania, authore Chryſoſtomo, non natalitia Servatoris, ſed baptiſmalia: ἀχὶ ἡ ἡμέρα καθ' ἣν ἐτέχθη, ἀλλὰ ἡμέρα καθ' ἣν ἐβαπτίσθη. Loquitur autem de more & conſuetudine Eccleſiæ Orientalis, quemadmodum Hieronymus de uſu Occidentalis, quem ejuſdem Eccleſiæ Patres ita repreſentant. 64

Bernard. ſer. 2. de Epiphan. *Tres apparitiones Domini legimus, unas quidem die, ſed non uno tempore factas. Et quidem mirabilis ſecunda, mirabilis tertia; ſed prima apparitio mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum mutatio* (in Canâ Galileæ) *mirabilis Johannis & columbæ pariter, & pater-* 65

næ vocis attestatio: sed illud mirabile magis, quòd agnitus est à Magis. Isidor. Hispalens. lib. 1. de offic. Ecclesiast. *Epiphaniorum diem festâ solennitate viri Apostolici signaverunt, quia in eo per stellam est Servator ostensus: siquidem eo die idem Jesus, etiam Jordanis lavacro tingitur; divisoque cœlo, Spiritus sancti descendentis testimonio, Dei Filius esse declaratur. Ejus diei nomen, ex eo quòd apparuit gentibus, Epiphania nuncupatur.* Tribus ergò ex causis, hæc dies hoc vocabulum sumpsit: Sive quia tunc in baptismo suo Christus populis ostensus fuerat: Sive quòd eo die, syderis ortu, Magis est proditus: Sive quòd prima signa, per aquam vinum factam, multis est manifestatus. S. Maximus Taurinensis, ser. 10. de Epiph. *In hac celebritate, sicut relatu paternæ traditionis instruimur, multiplici nobis est festivitate lætandum. Ferunt enim hodiè Christum Dominum vel Stellâ Duce, à gentibus adoratum: vel invitatum ad nuptias, aquam in vinum vertisse: vel suscepto à Johanne baptismo, consecrasse fluenta Jordanis. Et quam rectè tria hæc mysteria, uno acta die prædicantur, qui ineffabile Trinitatis arcanum, uno Dei sub nomine confitentur.* Petrus Chrysologus, serm 57. *Christus diverso tempore, uno eodemque die, Magorum munere, aquæ mutatione, atque Patris voce, Deus trino agnoscitur testimonio: fitque de trinâ ostensione Christi, Epiphaniæ una & sacrata solemnitas.* Habet idem in eundem sensum serm. 160. quibus assentiuntur Sedulius Hymno de vitâ Christi: Paulinus Natali 9. Sancti Fœlicis: Augustin. serm. 29. 32. & 37. de tempore: Ambrosius serm. 18. de Epiph.

66 Solus, aiunt, dissentit Epiphanius. Et certè is hæresi 51. quæ est Alogorum pag. 439. nuperæ edit. ita loquitur. Πρῶτον μὲν βαπτιζόμενος αὐτὸς κατ' Αἰγυπτίους, ὡς ἔφημεν, Ἀθὺρ, δωδεκάτῃ τοῦ ἐξ Εἰδῶν Νοεμβρίων, τουτ' ἔστι, τοῦ ἑξηκοστοῦ ἡμέρᾳ, πλήρης τῆς ἡμέρας τῶν Ἐπιφανίων· ἡ δ' ἐστὶν ἡμέρα τῆς κατὰ σάρκα γενέσεως αὐτοῦ. *Imprimis autem ad* xii. *mensis Athur, secundum Ægyptios, quod dicebamus, baptizabatur ante diem* 6. *Idus Novembris: hoc est* lx. *ante festum Epiphaniorum die, quâ is secundum carnem natus est* Certè hic dissentit Epiphanius à communi totius Ecclesiæ sententiâ, ab omni prorsus ratione, (nam quis sensum hinc aliquem, non dico commodũ elicuerit) & à seipso. Luxatissima ubiq; sunt Epiphaniana,

niana, sive librariorum incuriâ, & temporis injuriâ, sive ipsius authoris ἀνωμαλίᾳ. Est autem Athyr Ægyptiis, mensis October. dies Octobris 12. quomodo potest esse 6. Eidus Novemb. Dissentit etiam ab Ægyptiis, cum tamen Episcopus Constantiæ, Cypri, Ægypti ecclesiæ accenseretur. *Intra Ægypti regionem*, ait Cassianus, *non iste, antiquâ traditione servatur, ut pridie Epiphaniorum die, quem provinciæ illius sacerdotes, vel Dominici baptismi, vel secundum Nativitatis esse definiunt, & ideirco, utriusq; Sacramenti solennitatem non bifariam, ut in Occiduis provinciis* (ubi tum Cassianus versabatur) *sed sub unâ diei istius festivitate concelebrant.* Atque ita non triplici tantùm, sed quadruplici mysterio insignitum, unum atq; eundem diem volebant: Nativitate: Magorum adoratione: Baptismo: & vini ex aquâ confectione. Quæ quidem Ægyptiorum consuetudo, nam conclamatum est & desperata Epiphanii sententia, non abhorrebat ab Ecclesiæ communi praxi. Qui enim nobis est 25. Decembris, Ægyptiis Januarii primus reputabatur. Annum illi à Septembri inchoabant: Thoth, sive primus anni dies, à 29. Augusti inchoabatur. Cumq; omnes ipsorum menses, diebus 30 plenis constarent, rejectis quinque singulis mensibus erant superflui dies, 25. Decembris, & primus Januarii coincident. Hoc est, in Augusto extrico uno die, in vii^bri. item uno in viii^bri. duobus, in Novembri duobus, in x^bri. tribus, summa conficitur dierum octo: quod spatium intercedit inter x^bris. nostri 25. & Januarii primum. Atque ita inter se conspirant hæc ἀνωμαλία, & fixum atque ratum manebit, etiam secundum Ægyptios, & universalem Ecclesiam, diem Januarii primum, tot solennibus mysteriis consecratum. A quâ sententiâ Epiphanium minimè arbitror recessisse, sed ipsius codices commaculatissimos circumferri. Atque ut in cæteris, receptam illam antiquitatis traditionem, sequitur, & tuetur, in suis Liturgicis, Ecclesia Anglicana. Collecta certè Epiphaniæ celebritati destinata, Magorum tantùm meminit, quia hoc primum & principale mysterium fuit, Gentium vocationis ἀπαρχή. Secunda autem lectio ad matutinas, è tertio cap. Sancti Lucæ, baptismum Jordanicum repræsentat. Ad vesperas autem secunda lectio, miraculi

raculi Canæ patrati commemorationem habet. Verbum itaque dici in die ſuo, de Magis, baptiſmo, nuptiis Canæ, mentem & ſententiam Eccleſiæ, omnibus forſitan non intellectam vel animadverſam, juxta praxin antiquitatis confirmatam docet.

67 Eſt & aliud in Liturgicis noſtris, quod cùm diſpliceat, ut plurima, Novatoribus, firmiſſimis Antiquorum teſtimoniis nititur. *Omnipotens, æterne Deus*, ait Liber precum publicarum, *qui ex juſtiſſimâ irâ, propter peccata hominum, obruiſti aquis diluvii univerſum genus humanum, exceptis octo hominibus, quos ex immensâ miſericordiâ ſervaſti in arcâ Noæ: quique in mari rubro, ſubmerſo Pharaone, & univerſo exercitu ſuo, eduxiſti filios Iſrael, interſtantes utrinquè aquas: & per hæc miracula, adumbrare voluiſti ſacroſanctum baptiſma: [ac ſanctificaſti baptiſmo filii tui flumen Jordanis, & omnes in univerſum aquas, ad myſticam peccatorum ablutionem:] vremus te, ut propter infinitam miſericordiam tuam, velis clementèr reſpicere pueros iſtos, &c.* Uncis hic incluſa optarim omitti, ait Cenſor *Ordinationum Eccleſiaſticarum*. Cur autem omitti? Imprimis, quia ſcriptura hæc non prædicat. Fortaſſis non totidem verbis, nec τῷ ῥητῷ: quod non eſt neceſſe. Nam ubi jubentur in ſcripturis *Infantes baptizari*? aut in Cœnâ Domini, ſub utraque ſpecie communicantes participare? ſexcenta ſunt ejuſmodi, in rebus ſacris à Deo inſtitutis, Eccleſiæ mandatis, & uſurpatis ab Eccleſiâ, de quibus poſſumus profiteri, *Nihil tale docet Scriptura*: Scriptura hæc non prædicat. Quæ tamen rigidis hiſce cenſoribus, ὡς ῥήματα κυριακὰ, tanquam æternum Dei Evangelium pronunciantur, & obſervanda obtruduntur. Enimverò, mi homo, docet hoc Scriptura: Nam te quæſo, quid eſt *ſanctificare*? Annon rem aliquam à communi, civili, profano, naturali ſuo uſu & officio ſeparare; & ſeparatam, divino miniſterio applicare; applicatam, cum reverentiâ & εὐλαβείᾳ tractare. *Sanctifica mihi*, ait Dominus, *filios Levi*: hoc eſt, ſacris functionibus deſtinato. Quo modo ad baptiſmi Sacramentum, ex ipsâ Chriſti inſtitutione, ſanctificatur aqua, ut ex verbo & elemento, conficiatur illud Sacramentum, quo in vitam æternam regeneramur. Adeò autem huic uſui inſerviunt aquæ, ut ſi

tol-

tollatur lavacrum aquæ, alieni à Deo, & fœdere repromiſſionis æternæ, excludantur illi in tenebras exteriores: cùm edicto divino ſtatutum ſit, *Niſi quis renatus ſit ex aquâ & Spiritu ſancto, non introibit in regnum cœlorum.* Scio hoc eluſum à Novatoribus, ſed & Chriſti divinitatem ab Hæreticis negatam ſcio: utrumque in contemptum Dei, & cum diſpendio animarum. Scio aquæ uſum in arenam olim, etiam & cauteriaſmum ab Hæreticis converſum. Scio extitiſſe è ſcholâ hac Novantium, magni nominis Theologum, qui publicè de Cathedrâ docuerit, licere juſculo, vel cerviſiâ, vel quocunq; liquore baptizare. Impiè aſſertum, non ſolùm vanum. Nam & nominis origo, τὸ βάπτισμα, ſecundùm ordinem à Deo in naturâ inſtitutum, eſt ἀγνωστικὸν, & ἀλλοτριον τῆς παραγραφῆς. ſi ergò ſcriptura baptiſmum prædicat ſanctificatorium, prædicat ſimul, ſanctificaſſe aquas Chriſtum, ad hoc opus ſanctum, in loco ſacro.

Aquas omnes, non has vel illas, imprimis autem Jordanis aquas, cùm 68 τύπον ἢ σκόπον ἐδύετον· tùm καὶ ἀλήθειαν ἢ σκόπον ἔφωτον, Jordanis olim aquas ſanctificavit. *Omnia in figuris contingebant illis*, ait Apoſtolus: ideò aid idem, Iſraelitas, qui duce Moyſe, mare rubrum in exodo tranſierunt, baptizatos in nube, & in mari: & quidni cum Origine, dicamus nos ſimili modo, de *iis qui Jordanem tranſeunt, quia omnes in Jeſu baptizati ſunt in Jordane: ita ut ea quæ in Jordane geſta referuntur, formam teneant Sacramenti, quod per baptiſmum celebratur.* Et *Hom. 4. Si ad myſticum baptiſmi veneris fontem, & conſiſtente Sacerdotali ac Levitica ordine, initiatus fueris, ventrandis illis magnificiſque Sacramentis, quæ norunt illi, quibus noſſe fas eſt: tunc etiam Sacerdotum miniſteriis, Jordane tranſito, terram repromiſſionis intrabis: in qua te poſt Moyſen ſuſcepit Jeſus, & ipſe tibi efficitur novi itineris Dux.* Sanè tranſitus ille Jordanis, apud omnes rectè ſentientes Chriſtianos, finem fidelibus diuturnæ peregrinationis, per iſtius mundi ſolitudines & deſerta, ſignificat, in terram bonis omnibus affluentem. Ut Iſraelitæ in terram Canaan, per Jordanis fluenta introducti, perceperunt patribus factas promiſſiones: ita & nos melioris hæredes Teſtamenti, in æternæ hæreditatis poſſeſſionem introduci-

Orig. Hom. 5. in Joſ.

mur

mur. Joſuâ autem duce, conſiſtentibus in medio fluminis, cum fœderis arcâ, Sacerdotibus, infinita multitudo hominum tranſiit: ſequuntur enim Agnum, myriades Sanctorum; & mandatum de baptiſmo generale fuit, Exite in mundum univerſum: poſt ſanctificatas ſub Joſuâ aquas, ἅπαξ δύω, vel καθ' ἕνα, fideles tranſeunt, & ipſi per baptiſmum, æternæ ſalutis candidati. Nam Elias & Eliſæus deinceps ad eundem modum diſpertitis aquis: & deinceps, ſtatim à tranſitu, rapto Eliâ & tranſlato, ſolus Eliſæus in nomine Domini Dei Eliæ pertranſivit, in diverſum, ut priùs, aquis abeuntibus. Dividetur etiam olim denuò & ſiccabitur Jordanis, Apoc. 16. 12. Quæ Dei magnalia, in Jordane exercita & conſtituta ſi non ſit aquarum ejus ſanctificatio, velim me doceant novi noſtri magiſtelli βαπτιζοφοι, quid ſit: atque ita ſit ſanctificatio κατὰ σκόπον δεύτερον.

69 Sed & κατὰ πρῶτον σκόπον, non tantùm in figurâ, & deſignatione, ſed actu ipſo ſanctificabantur Jordanis aquæ, ſanctiſſimi illius corporis irroratione & attactu. Nam ſi Templum ſanctificat aurum, poſtibus, valvis, utenſilibus illitum: Si altare ſanctificet impoſitam victimam, quod cum ſuperiore docet Servator, Matth. 24. 19. Sed & ipſi ſe conficiunt Madianitæ: nam contra fidei articulum diſſerentes, De deſcenſu Chriſti ad inferos, & ſua nobis ſuaviludia obtrudentes, inter cætera allegant, fieri non potuiſſe, ut anima Chriſti ad infernum penetraverit damnatorum, eò quòd virtute ſuâ inſitâ, immundiſſimum & fœculentiſſimum illum locum, præſentiâ ſuâ reali ſanctificaſſet. Et tamen Jordanis aquas, τὸ ἅγιον, ſanctum illud Dei, ut appellat Angelus Lucæ 1. nequaquàm ſuo attactu ſanctificavit. Quid facies hiſce Doctoribus ita delirantibus? certè ſanctificatio non eſt actio naturalis, ſed voluntaria: neque enim loca omnia Paleſtinæ, atrium Caiphæ, aula Pilati, pedibus calcata Jeſu Chriſti, eo ipſo, ex opere, ut loquuntur, operato, ſanctiora reddebantur, vel aliquid acquirebant ſanctitatis: Nam ſic, ſanctiſſima illa anima, etiam ſordes inferni ſanctificaſſet. Sed illa dicuntur *ſanctificari*, quæ per conſilium deſtinatum, ex inſtituto, ad hoc ipſum à Deo ſeparantur, ut hinc, illi, cuicunque ſacro inſerviant miniſterio

ſterio. Quod ſuo ipſius baptiſmo in Jordane, Chriſtus ſpecialitèr intendebat. Neque enim Canaan, illa terra repromiſsionis, ex aliquâ ſuâ innatâ proprietate, aut Jeruſalem, quæ & Jebus, in ſorte tribus Benjamin, cœleſtem illam patriam, & civitatem viventis Dei, ſed ex inſtituto divino, ſignificabat. Quomodò loquendum & ſentiendum de Jordane, quem ad hoc peculiaritèr Deus deſtinaverat, ut typus & antitypus convenirent. Nam alioquin erant aliæ per Palæſtinam aquæ, in quibus æquè poterat, ac in Jordane baptizari. Inſtitutũ ergò divinum & voluntas Dei ex eventu, & rè geſtâ nobis declaratur.

Eſt hæc communis traditio Primitivæ Eccleſiæ. *In Jordanis undis*, ait Auguſtinus ſer. de Tempore 29. *aquas ad reparationem humani generis, ſuo baptiſmo conſecravit.* Maximus Taurin. ſerm. 10. de Epiphan. *Suſcepto à Johanne baptiſmo, conſecravit fluenta Jordanis. Sicut Sacerdotibus arcam portantibus*, ait Theodoretus, *Jordanem primùm ingreſsi, cum Jeſu duce & prophetâ, populus omnis tranſiit: ita planè, ubi Johannes cepit baptizare, & Jeſus Salvator, ſanctificavit naturam aquarum, populus pius per ſacroſanctum baptiſma, regnum cœlorum introivit. Siquis*, ait Procopius, *Jordanem pertranſire vult, ne temerè progrediatur, ſed expectet Sacerdotum præparationem, qui ipſius arcæ ſtatu, aquas ſanctificant, & ipſo tranſitu ſecuritatem præbent.* Nazianz. Oratione 39. Jeſus accedit, fortaſsis ut ipſum quoque, à quo baptizabatur, ſanctitate afficeret. ἁγιάζων, τυχὸν μὲν τὸν βαπτιζωμενον. Proculdubio autem, ut totum veterem Adam in aquis ſepeliret: ante hos verò, & propter hos, Jordanem: nempè ἁγιάζων, ὥσπερ ἦν πνεῦμα καὶ σὰρξ, οὕτω πνεύματι τελειῶν, καὶ ὕδατι. Hoc eſt, *Nam ut ipſe ſpiritu conſtabat atque carne; ita ſpiritum in aquis conſummabat atque carnem.* S. Ambroſ. ſerm. 18. in Epiphan. *Ideò baptizatur Chriſtus, non ut ſanctificetur ab aquis, ſed ut ipſe aquas ſanctificet, & purificatione ſuâ purificet fluenta illa quæ tangit. Conſecratio enim Chriſti, conſecratio major eſt elementi. Cùm enim Salvator abluitur, jam tum in noſtrum baptiſmum tota aqua mundatur, & purificatur fons, ut ſecuturis poſtmodùm populis lavacri gratia miniſtretur.* 70

Conſenſum hunc καὶ συμφωνίαν totius antiquitatis agnoſcunt, qui nobis prodiere nuper, Theologi novi, ſtulti 71

ti fortaſsis, certè adoleſcentes, ſed non moventur traditione. Eſt multum, aiunt, deferendum venerationi priſcarum Eccleſiarum, & ſanctiſsimorum Patrum, ἰσχὺς, χαλῶς, ὑπερβολή. Sed quid verba audiam, cùm facta videam? venerandæ antiquitatis canitiei, inſultantes, non tantùm obſtrepentes, eos, qui *nondum ære lavantur, capite cenſos*, non fortunis: qui ſibi videntur *Saperdæ*, cùm ſint *Capreæ*. Sed Deum oportet potiùs audire quàm homines; & hoc præclarè, ſi modò Deus unum, aliud præcipiat homo: ſed eſt hoc τὸ κρίνωμεν, probandum ipſis fuerat, non pronuntiandum; imò ne κρινόμεθα. Conſtanter tuemur contra totam factionem Novatorum, à Deo, Dei verbo, mente & ſententiâ, nequaquam receſsiſſe vetuſtiores. Affirmant ipſi: Vah: nam quantula Novatorum eſt authoritas, ut cùm ipſi dicant, illi negent, ipſis quàm illis potiùs accedamus. Nam quandò receſsit Spiritus Domini ab Eccleſiâ, ut contra Eccleſiam ſtantes alloqueretur? eſt hæc intollerabilis ἀλαζονεία, δοκησισοφία, inſolentia, οὐδὲν εἰ νομίζει πάντας ἀνθρώπους ἀξίους ἑαυτόν. Sed declamationes non pangimus, nec γλιτα τικὸν inſtituimus; fruantur illi philautiâ, & ὀίησι ſuâ, nobis ſatis eſt, Eccleſiæ noſtræ ἀναφωνήσματα non eſſe alia quàm quæ totius antiquitatis συμφωνίσμοῖς commendata populis proponuntur.

72 Pergimus dicere de Jeſu in Jordane baptizato, qui non tantùm aquas, εἰς αἰῶνας, ad magnum illud myſterium, nobis & Eccleſiæ ſanctificavit: ſed & ipſe quoq; in aquis, licet non per aquas purificatus, ſanctificabatur. Quomodò autem factum id, Origenes docet: *Ubi Jordanis tranſitur, ibi dicitur ad Jeſum*, (filium Nave) *in hac die incipio exaltare te in conſpectu populi. Neque enim ante myſterium baptiſmi, exaltatus Jeſus; ſed exaltatio ejus, & exaltatio in conſpectu populi, inde ſumit exordium. Si enim omnes qui baptizantur, in morte ipſius baptizantur, mors autem Jeſu in crucis exaltatione completur; meritò unicuique fidelium, tum primùm Jeſus exaltatur, cùm ad myſterium baptiſmi pervenerit: quia ſic ſcriptum eſt, quod exaltavit eum Deus. Intellige ergò myſterium*, ait, loco quo ſuprà, Beatus Ambroſius, *Ita & columna ignis præceſsit per mare rubrum*, ut minimè trepidantes filii Iſrael ſubſequerentur; & ipſa priùs per aquas gradiebatur, ut venientibus poſt ſe, eundi ſemitam

tam præpararet. Quod ſic factum, ſicut Apoſtolus dicit, myſterium baptiſmi fuit. Baptiſmus planè quodammodò fuit, *ubi homines nubes operiebat, unda portabat.* Sed hæc omnia operatus eſt Chriſtus Dominus idem, & qui modò. Qui ſicut tùm per mare filios Iſrael in ignis columnâ præceſsit, ita nunc per baptiſmum Chriſtianos populos in corporis ſui columnâ præcedit.

Addit Matthæus, Baptizatus autem Jeſus, *Confeſtim aſcendit de aquâ.* Non eſt hoc ἄρρον ὄνομα, caſu, vel ad ſententiam complendam adjectum. Etiam hic τύποι, ita enim ſcriptum Joſ. 4. *Feſtinavitque populus, & tranſiit.* Utroque ponitur feſtinatio. Origen, hom. 5. ita commentatur, *Illud quod ſcriptum eſt, & feſtinavit populus, & tranſiit Jordanem, &c. non mihi otioſè additum videtnr à Spiritu Sancto, quod dixit, Quia feſtinavit populus tranſire. Undè & ego arbitror, quia nobis quoque venientibus ad baptiſmum ſalutarem, & ſuſcipientibus Sacramenta verbi Dei, non otioſè nec ſegnitèr res gerenda eſt, ſed feſtinandum eſt, & perurgendum, uſque quò omnia tranſeamus. Tranſire enim omnia, implere eſt omnia, quæ mandantur. Feſtinemus ergò tranſire, hoc eſt implere primò quod ſcriptum eſt, Beati pauperes ſpiritu: ut depoſitâ omni arrogantiâ, & Chriſti humilitate ſuſceptâ, pervenire ad repromiſſam beatitudinem mereamur. Sed & cùm hæc impleverimus, non nobis ſtandum eſt, neque ceſſandum, ſed tranſeunda & cætera quæ ſequuntur, ut eſuriamus & ſitiamus juſtitiam, &c.* Concludit autem poſt alia, *Hoc mihi videtur eſſe cum feſtinatione tranſire Jordanem.* Is ergò, qui venerat adimplere omnem juſtitiam, & figuras, ab antiquo, Patribus repreſentatas, re ipsâ conſummare, confeſtìm, hoc eſt, ſine morâ, aſcendit de Jordane baptizatus. Piè etiam meditatur de hac ipsâ re, Author operis imperfecti. *Non invenio,* inquiens, *quâ causâ poſitum eſt, quia confeſtìm aſcendit de aquâ. Quid enim intereſſet, ſi tardiùs aſcendiſſet? puto autem factum Chriſti, ad myſterium attinere omnium, qui poſtmodum fuerant baptizandi: ideò dixit confeſtìm: & non dixit egreſſus eſt, ſed aſcendit: quia omnes qui dignè, ſecundum omnia membra juſtitiæ formam conſummati baptizantur in Chriſto, confeſtìm de aqua aſcendunt: id eſt, proficiunt ad virtutes, & ad dignitatem ſublevantur cœleſtem. Qui enim ingreſſi fuerant in aquam* 73

carnales, & filii Adam peccatoris; confeſtim de aqua aſcendunt ſpirituales, filii Dei facti. Nec abludit à divinâ diſpenſatione, quod ſecundo loco atrulit idem Author; Chriſtum confeſtim aſcendiſſe, feſtinantem ad conflictum cum Diabolo: eò magis, quod impigrè, & cum ſtudio profectus ſit, expellente illum, ut habet Evangeliſta, Spiritu, in deſertum. *Neſcit enim tarda molimina Sp. ſancti gratia.* Sed quod ex aliorum opinione affert, ut ait, Euthymius, dilutum eſt, & parùm è Chriſti dignitate confictum videtur. *Dicunt aliqui*, inquit ille, *quod unumquemque Baptizatorum in aquam ad collum uſque immiſſum detinebat Johannes, quamdiù peccata ſua confeſſus fuerat: & poſt confeſſionem aſcendebat de aqua. Chriſtus autem, cùm peccatum non haberet, non eſt detentus in aqua.* Ridiculè: quaſi à ſingulis confeſsionem exigeret Baptiſta, quod baptiſmum, in tanrâ præſertìm multitudine, rem planè impoſſibilem reddidiſſet. Κεῖσθω quocircà figmentum iſtud. Illa non abhorrent à fidei analogiâ, vel ratione, quæ ſunt ab Origene, & Authore operis imperfecti commemorata.

74 Curioſiùs fortaſſis locum inquiremus, baptiſmo hoc tam celebri conſignatum, cùm taceat Scriptura, nec traditio ad partes ſupplendas accedat. Nihil tamen prohibet è conjecturâ hariolari, modò de fide non ſtatuatur. Et primùm, certum eſt Johannem non eodem ſemper loco baptizâſſe: nam Bethabara, & Enon in hac hiſtoriâ commemorantur diverſa. Secundò, baptizâſſe ubi aquæ abundabant: id enim expreſsè docetur Johannis 1. Tertiò, videtur mihi valdè probabilis Arandæ ſententia, Chriſtum eo loco baptizatum, quo olim, Duce Joſuâ, Iſraelitæ Jordanem tranſierant: ita enim typo antitypus reſpondebat: non procul à Jericho, nec procul à mari mortuo. *In Jordane habetur locus*, ait Turonenſis Gregorius, *in quo Dominus baptizatus eſt. In imo enim reflexu aqua ipſa revolvitur, in qua nunc leproſi mundantur. Cùm enim advenerint, ſæpiùs lavantur in flumine, donec ab infirmitate purgentur. Ipſe quoque Jordanis, ab eo loco, in quinto milliario, mari commixtus mortuo, nomen amittit.* Hæc ille, quæ cur diſplicerent cauſam nullam video. Elevatur fides narratoris Gregorii, quaſi fabularum hamaxarii: ſed hoc eſt con-

convitiari, non refellere. Objicitur Hieronymum hoc tacuiſſe: eſto, non tamen hinc infertur, nihil tale. Neq; enim omnia Hieronymus perſequitur, per Palæſtinam memoratu digna: & fortaſſis alicubi hoc ipſum edixerat. Quidni autem Jordanis aquæ, quæ olim ἐις τύπον, Naamanis Syri lepram mundaverant, poſt ſanctificationem acceptam in baptiſmo Chriſti, eundem morbum & in aliis curaverit: cùm *herba* illa, quam ad ſtatuam Chriſti, in memoriam accepti beneficii à Syrophœniſsâ erectam, pullulâſſe ſcribunt, quaſi πάγχρηστον quoddam medicamentum, morbos curâſſe memoretur. Non enim novum eſt, Chriſto Servatori indultum fuiſſe, quod ſervo Heliſæo concedebatur; cùm nec miracula deſiiſſe edi certum ſit, è Patrum antiquorum teſtimoniis, poſt aliquot etiam ſæcula ab Aſcenſione Chriſti, ἵ' ὡς ὁ λόγος, πάντως δυσωπήσοντος σημείων ἡμᾶς, ait Clemens.

Citat è Chryſoſtomo Exercitator id, quod fibulam debebat calamo indere, ne contra miraculorum ἐνέργειαν, de aquis Jordanis obnuntiaret. *Scribit enim*, ait, *author cum primis locuples, & fide digniſsimus, Johannes Chryſoſtomus, in honorem baptiſmi Jeſu Chriſti, hanc vim manſiſſe in aquis, à Domino tunc ſanctificatis, ut hauſtæ eâ nocte, quâ celebratur in Eccleſiâ ejus baptiſmi memoria, non ſolùm incorruptæ perennent, ſed etiam ad annum alterum, aut tertium durent, nihilo recens hauſtis deteriores.* Credit hoc vir doctiſsimus: nam qui narrat, author imprimis locuples, & fide digniſsimus, ſine miraculo opinor hoc præſtari non potuit: cur non & illud, per miraculum aliud edi, quod à Gregorio Turonenſi commemoratur? præcipuè cùm Jordanis aquæ Chriſti beneficium propinquiores exprimant, quàm de quovis puteo, ubicunque terrarum hauſtæ, & conſervatæ. Eſt hæc nimium moroſitas, in causâ pari. *Hæc eſt illa dies*, ſunt Chryſoſtomi verba, *in qua baptizabatur, & aquarum naturam ſanctificavit. Atque ob hanc ipſam cauſam, concubiâ nocte ſolent paſſim omnes, aquam ſibi utendam haurire, per illud feſtum. Hanc hauſtam ſolent deportare domum, & reponere, & per integrum anni ſpatium conſervare: utpote quod per illum diem ſanctificatæ fuerant omnes aquæ. Fit autem miraculum manifeſtiſsimum: neque enim longo temporis tractu, aquarum illarum natura immuta-* 75

tur: ſed per unius anni ſpatium, duorum interdum, aut etiam trium, quæ per hunc diem hauritur aqua, incorrupta & recens permanet: adeò ut poſt temporis tam longi decurſum ſpatium, cum aquis nuper de puteo hauſtis, de bonitate contendat. Hæc ille, cui fidem libentèr accõmodavero. Conſentiunt in hoc Evangeliſtæ omnes, proximè poſt baptiſmum ſtatuendam eſſe hiſtoriam tentationis: nullam enim aliam interponunt: & clariſſimè Beatus Marcus docet, nullam aliam interſerendam. Ait enim, *ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum.* Poſt illuſtrem illam, licet minùs animadverſam turbis, Beatæ Trinitatis ἐκφανέρωσιν: ubi Pater Filium ὡσθοεὶ agnoſcit, & Spiritus ſpecie columbinâ viſibilitèr conſpicitur. Poſt magnificam Meſſiæ ἀποκήρυξιν, noluit apud Johannem manere Chriſtus, vel apud turbas converſari, ſed ſancti Spiritus ductum, imò impulſum ſecutus, abiit directa in eremum. Nec mirum ſi ſtatim, ſi impulſus: erat enim *Spiritu ſancto plenus*, & ipſius magiſterio ac imperio, non poterat non obtemperare. Et eſt hæc, vel certè debet eſſe conditio baptizatorum: Chriſti enim diſpenſatio, ad noſtram pertinet οἰκονομίαν. Spiritum ſanctum in baptiſmo accipimus. Non hoc ſufficit, niſi nos regendos, ordinandoſque Spiritui ſancto commendemus. *Ut ne enim baptiſmi dono confiſi*, inquit Chryſoſtomus, *vitam ſubſequentem negligentèr agerent, à Spiritu Dei aguntur, feruntur. Quamvis enim baptiſmum acceperint, niſi Spiritu poſteà ducantur, dignitatem datam perdiderunt, & adoptionis prærogativam.* Eſt autem ductus ille, non compulſorius, utcunque dicatur, *expuliſſe, Spiritus.* Trahit Deus, ſed volentem trahit, in *funiculis Adam*, hoc eſt, *ſuavitèr*; non *adamantinis*, hoc eſt, *omnipotentèr*, ut delirant illi, qui nobis Fatum, pluſquam Stoicum, introduxere in Chriſtianiſmum.

Hom. 14. ad Rom.

76 Sed & illud ὠθοῦς, *à veſtigio*, & aliam nobis Dei in ſuis, & cum ſuis, diſpenſationem repræſentat. Nempè, de conſilio divino, *In ſanctificatis nobis*, ut Hilarius loquitur, *maximè Diaboli tentamenta graſſari.* Habet enim fiduciam Tentator, quod influat Jordanis in os ejus: hoc eſt, Chriſti ſacris purgatus & ablutus, aquâ baptiſmali ſanctificatus. Concionatur egregiè Chryſoſtomꝰ ad propoſitũ, Hom. 13. in cap. 4. Matth. Tunc abductus eſt Jeſus, &c.

Tunc

Tunc? quando autem? poſt Spiritus deſcenſum, poſt vocem illam cœlitùs delatam, & clamantẽ, Hic eſt filius meus dilectus, in quo complacui. Eſtq; hoc eò admirabiliùs, quòd à Sp. ſancto ducebatur; ait enim, Spiritũ eò illum deduxiſſe. Certè cùm ſingula ad noſtram informationem & eruditionem cum fecerit, tum viderit, patitur ſe eò deductum iri: certamen vult ſuſcipere contra Diabolum, in eum finem, ut qui baptiſmo regeneratur, ſi poſt ſuceptum majores ſufferat tentationes, nequaquam attonitus perturbetur, ac ſi præter expectationem accideren; ſed duratus obſiſtat, & omnia viriliter ſuſtineat, eò quod ita conſequentèr ſolet fieri. In eum enim finẽ accepiſti arma, non ut otieris, ſed ut pugnes. Quocirca ingruentes non repellit tentationes Deus, idque in eum finem, ut imprimis intelligas multò te factum quàm fueras robuſtiorem. Tùm ut moderationem exerceas, neque efferaris magnitudine donorum: nam coarctant, & in gyrum tentationes redigunt. Tertiò, ut malus ille dæmon, qui hæſit in ambiguo, an defeceris ab ipſius imperio, tentationum exploratione edoctus, ſciat, quòd illum penitùs dereliqueris. Quartò, in eum finem, ut valentior reddaris, & ferro quocunque magis obduratus. Quintò, ut plenâ fide tibi conſtet, quàm ingentes tibi theſauri concredantur.

Actio itaque Chriſti, noſtra inſtitutio eſt: & diſpenſatio capitis, diſpoſitio eſt corporis. Veniſti ad aquam baptiſmatis, iſtud eſt certaminis & pugnæ ſpiritualis initium. Onuſtus incedis auro, & pretioſis margaritis, latro tibi ex inſidiis expectandus: & ſignum eſt te non contemni ut imbellem, cùm componat ſe ex adverſo adverſarius, & ſtudioſè ſolicitet ad certandum. 77

Militia cùm ſit hominis vita ſuper terram, is qui factus eſt in omnibus nobis ſimilis, ſed abſque peccato, huic œconomiæ, pari cum ſuis Sacramento adſcribi voluit, & hinc militandi βαπτισθήματι nomen dedit, cùm à Diabolo, illo omnium palmarũ Pancratiaſtâ, in deſerto tentaretur: cujus rei geſtæ ſeriem, Matthæus & Lucas, quanquam ordine non eodem, deſcripſere. Chriſti igitur Domini, omnium palmarum & adorearum lemniſcis, in illâ ſuâ humanâ ἀναφορῇ illuſtratum, tanquam noſtrum *Epiſtaten, & Aleipten*, in hac ſuâ agoniſticâ profeſſione, ὁ πάσῃ μελέτῃ ἀσκήσῃ, καὶ πείσῃ, ὥστε καὶ ἡμᾶς τελειωθῆναι, in eâdem intueamur, cùm ſuo nobis exemplo viam demonſtraverit, 78

rit, & Spiritu unxerit, ad reſiſtendum in diebus malis. Proponunt ergò nobis Evangeliſtæ, commiſsionem illuſtrem μονομαχίων, hoc eſt, agona, multiplicitèr commendatum. Nam & Agonothetes indicatur, & Agoniſterion, declaratur, & τὸ ἀγώνισμα certamen in ſpecie, & ἀγωνιζομένους, ipſi pugiles, qui & μάχοι, & ἐρίζουσι, & ἐπιδείκνυνται. Accedit poſtremò, ut compleatur ſuis numeris, hoc ἐπιτετηδευμένον, quod & per diætam προπαρασκευάζεται, & incertamine μεμιώνται, & poſt certamen, miniſterio Angelorum procuratur.

79 Divi Pauli apophthegma eſt, 1 ad Corin. cap. 9. ver. 25. πᾶς ὁ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται· Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. *Nempè enim & athletæ*, ait Tertullianus, *ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, ut robori ædificando vacent. Continentur à luxuriâ, à cibis lætioribus, à potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur: quantò plus in exercitationibus laboraverint, tantò plus de victoriâ ſperant.* Quod in commentariis ad Apoſtoli textum, Chryſoſtomus eodem modo explicavit. Sed erat hæc ipſorum ἄσκησις non perpetua, è πολυφαγίᾳ εὐεξίαν ſibi comparare non curabant, ſed εὐσαρκίαν, & εὐρωστίαν per totam vitam. Strictior illa diſciplina, dierum erat ante certamen triginta. Ηλεῖοι τοὺς ἀθλητὰς ἐπιδιδόασι πρὸ Ολύμπια, γυμνάζουσι ἡμερῶν λ. ἐν αὐτῇ τῇ Ηλιδι. *Cùm appropinquent Olympia, Elei,* (apud quos agebantur ludi) *athletas per dies triginta, exercitationibus præparant ad certamen.* Ita Philoſtr. lib. 5. de vitâ Apollonii, cui & Iſacius conſentit in Lycophronem. Huic curæ, & exercitationi præerat is, quem ἔφεδρον appellat Lucianus: ἀλείπτας, Philo περὶ κοσμοπαίδας. Erat illis imprimis familiare *jejunium*: in prandio ſcilicet xerophagiis paſcebantur, *pane* contenti, vel *colyphio*: ad cœnam carnes, ſed ad dimenſum, nec aſſas, ſed elixas comedebant; *jejuniis* frequentioribus aſſueti. Hanc *jejuniorum* præparationem elegantèr appellat προαγῶνα S. Baſilius, in fine prioris homil. de jejunio. Οδὲ ἀγαγὼν ἡμᾶς εἰς παρέλευσιν τοῦ χρόνου κύριος, παράσχοι ἡμῖν, ὅσον ἀγωνιστὰς εἰς προαγῶνας τούτους, τὸ φρόνιμον καὶ ἔντονον τῆς καρτερίας ἐπιδειξαμένους φθάσι, καὶ ἐπὶ τὴν κυρίαν τῆν τεφάρων ἡμέραν. *Dominus autem, qui nos perduxit ad hanc revoluti temporis ſtationem, intelligit autem quadrageſimam, præſtet nobis tanquam*

Athle-

Athletis & luctatoribus, ut qui firmitatem & intentionem in hiſce proagoniſmaſi declaravimus, ad diem illum Domini quo coronas diſtributurus eſt, perveniamus. Aptè, & ſignatè Chriſti Domini jejunium, προαγῶνα vocat; quo ſeſe ad certamen, uti athletæ ſolebant, per dies 40. jejunando, non ξηροφαγία, ſed ἀσιτία comparabat. De quâ illius προπαιδεύσει, ita Baſilius in eâdem oratione. *Porrò, ut quòd omnium quæ dicta ſunt, id quòd caput eſt, adjiciamus, Dominus noſter, non priùs in illâ carne, quam pro nobis aſſumpſit, Diaboli inſultus excepit, quàm eum jejunio communiſſet. Nos in hoc ipſo docens, ut jejuniis noſmet ipſos perungamus, atque tanquam in Palæſtrâ, ad tentationum certamina comparemus, & adverſario, tanquam anſam aggrediendi nos, per indigentiam præbeamus.* Hoc ipſum eodem modo expreſſit Chryſoſt. Quadraginta dies jejunavit, λαβὼ ἀυτῷ παρέχων εἰς τὸ προσέλθειν· ὅτω δὲ καὶ ἀθλήσαι ποιῶσι. Quærit apud Arrianum Epictetus; quid prodeſt athletæ, is qui præparat eum: ὁ προγυμναζόμενος reſpondet: Plurimum prodeſt; *Neque enim idoneus poteſt eſſe miles ad bellum*, inquit Cyprianus de exhort. Martyrii, *qui non exercitatus priùs in campo fuerit: aut qui agoniſticam coronam quærit, adipiſci, in ſtadio coronabitur, niſi uſum & peritiam virium, antè meditetur.* Quocircà, ut cum Baſilio concludam, Chriſtus cum Diabolo in arenam deſcenſurus, condeſcenſione ſe attemperans ad homines, jejunabat: δεικνὺς ὅτι τῷ μέλλοντι πρὸς τὰς ἀγῶνας τῆς πειρασμῶν ἀποδύεσθαι, ἀναγκαῖα ἡ ἄσκησις. *Eò quòd omninò eſt neceſſe, ut qui ſe componere, exutis veſtibus, ad tentationum certamina velit, aſceticâ ſe præparet exercitatione.* Corporis enim maceratio, eſt veluti quædam exercitatio, ad reportandam ex hoſte victoriam.

Iſtarum *proagonum*, & *meletarum* tempus, παρὰ τοῖς ἔξω- 80
θεν, neque brevi tempore, neque unâ vice obſervabatur; diximus per dies 30. exercitos: Sed apud Eleos, poſtquam domo profecti, eò advenerunt, qui de jure erant Hellanodicæ. Domi, in patriâ, apud ſuos, pædotribas & Gymnaſiarchas, exercebantur: παμπόλλας ἡμέρας ἔμπροσθεν ἢ ἀγῶνος, Plato docet. Hoc eſt, ſi P. Fabro in agoniſticis, credimus per 10. minimum menſes, ante juſtum certamen; imò ab ineunte ætate, ad hoc ipſum ſtudioſè ſe comparabant: unde illud Poetæ,

Multa

Multa tulit, fecitque puer, ſudavit & alſit,
Dùm cupit optatam curſu contingere metam,
Abſtinuit Venere ac vino.

Puer etiamnum eo ferebatur animo, & diſciplinæ congruenti, per totum vitæ curriculum aſſuefiebat. Inſtante certaminis, & palmarum die, multò ſtudioſiùs, ſtrictiore diſciplinâ, ἀσκήσει incumbebant. *In palæſtra*, inquit Chryſoſt. Ανδρ. χγ. *Athletis ſemper, ceſſante periculo, exercitatio eſt, & lapſus facilè veniam promerentur: nam ſuis certatur, & magiſtrorum corporibus meditatur. Sed quandò agonis dies, quandò ſtadium aperitur, cùm ſpectatores in ſublimi conſeſſum ierunt: cùm præſentem ſe exhibeat Agonothetes, neceſſe eſt ut ii, qui negligentiùs ſe habuerint, excidant, & pudore ſuffuſi abeant inde: vel ut induſtriâ & ſtudio commendati, coronam & lauream conſequantur. Ita & vobis triginta iſti dies, palæſtræ cujuſdam exercitio aſſimilantur, in quâ ſedulò dant operam palæſtritæ.* Sunt hæc profeſſioni Chriſtianæ convenientiſſima; nullum enim tempus vacare ſtudio, & exercitio pietatis debet. Cùm verò ſtandum eſt in procinctu, & ad certamen nos citet Agonothetes Deus, accuratiore ſtudio, ſtrictiore diſciplinâ, ad coronam & brabeion enitendum eſt. Nervosè, ut omnia, & ἐμπαθέστερον Tertullianus: *Vocati ſumus ad militiam Dei vivi, jam tum cùm in Sacramenti verba reſpondimus* [alludit ad interrogationes in baptiſmo, quas irrident impii Novatores] *nemo miles ad bellum cum delitiis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis, & ſubſtrictis, ubi omnis duritia, & imbonitas, & inſuavitas conſiſtit. Etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati jam ediſcunt, in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem deſiccando; ſudore omnia conſtant, ne corpora atq; animi expaveſcant. De umbrâ ad ſolem, & ſole ad cœlum, de tunicâ ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos, benedicti, quodcunque hoc durum eſt, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate: bonum agonem ſubituri eſtis, in quo Agonothetes Deus vivus eſt; Xyſtarches, Spiritus ſanctus; Corona æternitatis brabium; Angelicæ ſubſtantiæ politia in cœlis, gloria in ſæcula ſæculorum. Itaque Epiſtates noſter Chriſtus Jeſus, qui nos ſpiritu unxit, & ad hoc ſcamma produxit, voluit nos ante diem agonis,*

Ad Marty. cap. 3.

nis, ad duriorem tractationem, à liberiore conditione ſeponere. Quod ſuo nobis exemplo conſignavit, ἄσιτος per dies xl.

Numerum hunc myſticum & ſacrum in Scripturis, multa ſunt quæ docent teſtimonia; & Patrum antiquorum commendat traditio. Cauſam ignoramus, nec ſcrupuloſiùs inquirimus: ſcimus autem cum Aponio, commentar. in Cantic. *Quod multa myſteria comprehenduntur a Sp. ſancto, per numeri rationem in Scripturis.* Fatemur etiam cum Chryſoſt. Homil. 24. in Gen. multa quidem vana, inepta, impia, & Philoſophos olim, imprimis Pythagoricos, & Hæreticos Chriſtianiſmi ἀποστάτας, Gnoſticos præcipuè, fæcem illam & ſentinam impiorum, commentos: Πολλοὶ πολλὰ περὶ τούτων μυθολογοῦσι. Ita nimirum, ut in allegoriis ludentes, & rebus ſacris illudentes. ſunt autem numeri & boni, nam à bono Deo, & magnis interdum myſteriis adhibiti. Certè erat aliquid in causâ, cur diebus continuis xl. apertis cœli catarractis, & abyſsi fontibus reſolutis, invaleſcerent aquæ ſuper terram. Quòd annos quadraginta ex Ægypto redux Iſrael, eremi erroribus diſtinebantur. Hieronymus in Ezech. 29. numerum hunc pœnalem eſſe confirmavit, ad illa verba Prophetæ, *Et non habitabitur quadraginta annis*, inquiens, *qui numerus ſemper afflictionis & pœnæ eſt. Unde & Moyſes, & Elias, & ipſe Servator, quadraginta diebus jejunaverunt & noctibus. Et per xl. annos populus erat in ſolitudine, ut poſteà circumciſus in Galgalis, opprobrio & ignominiâ Ægypti liberetur. In cujus numeri Sacramento, & hic idem Propheta pro tribu Juda, xl. diebus dormit in dextro latere.* Sed non eſt χῳ παντὸς cum veritate conjuncta hæc Hieronymiana obſervatio. Neque enim pœnale fuit Servatori, quod dies xl. myſticè & mirabiliter inter homines verſabatur. Iſaaco datur Rebecca uxor, annos nato xl. niſi forſitan Hieronymus, nuptiis implacatior, & hunc viri ac mulieris συνδυασμὸν, contentioſiùs, ut ſolet, inter pœnas relaturus eſt, & afflictiones. At non poteſt obſtrepere, de conceſſâ poſt Deboram Iſraelitis pace xl. annorum: & judicante Aod bis xl. nempè 80. annorum: victoriosè regnavit David xl. annos: totidem Solomon glorioſiſsime; ut nequaquam per omnia verum ſit quod ille ſtatuit, ubique ſemper numerum eſſe pœnalem. 81

Erat certè diſpenſatorius, & pluries quàm unâ vice, Chriſti Domini actionibus conſecratus. Hîc verò imprimis οἰκονομία fuit, eò quòd & Moyſes Legiſlator, & Elias neglectæ & conculcatæ Legis inſtaurator, uterq; tot diebus & noctibus jejunaverant. Quos hujus diſpenſationis anteambulones, habuit ſecum conjunctos in transfiguratione. Certè fortuitò non fiebat, quod totiès in Scripturis, numerus iſte per Deum conſecrabatur; quamvis certam & definitam rationem non intelligamus. Nam, ut verum ſit, quod veriſimum arbitror, ideò Chriſtum tot dies jejunâſſe, propterea quòd jam olim Moyſes & Elias idem factitarunt: interrogando poſſumus ulteriùs progredi, cur illo numero, & non alio, jejunium illi ſuum terminarunt? Sed neſcire velle, quæ Magiſter maximus docere non vult, erudita eſt inſcitia. Mihi rectè opinatus videtur Auguſtinus, qui numerum quadragenarium, totum præſentis vitæ curſum ſignificare dicebat; tempus nimirum jejuniis, orationibus, pœnitentiæ, peccatorumque expiationi deſtinatum. Et, ſi per Novatores liceret, illud adderem, ut Eccleſiæ Quadrageſimam commendaret. Sed hoc ulteriùs in ſequentibus proſequemur.

82 Erat porrò Chriſti, uti Moyſis ac Eliæ, xl. dierum jejunium, νηστεία verè, & ἀσιτία, non aliqua μονοσιτία, ξηροφαγία, ἀποχή, vel abſtinentia, ut in rebus hodiè Chriſtianorum uſurpatur. Eſt autem νηστεία, jejunium, ἀπὸ νήστεως, *jejuno*, hoc eſt, inteſtino: quod ſic appellatur apud Medicos, quia ſemper inane ſit. Νῆστις ἔντερον φησὶ λεγόμενον, ait Etymologus, ὅτι ἐὰν νοσήσῃ, φθορὰ τὸ κένον τῆς σιτίων· eò quòd vacuum cibis ſit hoc inteſtinum, νῆστις dicebatur, à νὴ particula privativa, & σίτος: atque ita νηστεύειν eſt μὴ ἐσθίειν. Erat ergò Chriſti jejunium ἡ ἀληθῶς ἀξία τῆς εὐαγγελείας, ut Baſilius loquitur, *verum jejunium, & appellatione illa dignum.* Nam ut ῥήτως expreſsit Beatus Lucas, *Nihil comedit in diebus illis.* Erat igitur divina diſpenſatio, & ultra vires humanas planè miraculoſum quid, ἢ πεπαιδευμένους. Nam corpore ſani, & benè compoſiti, ne quinque dierum jejunium ferre poſſunt. Quadraginta ergò diebus, (& *noctibus*, quod additur à Matthæo, ne de nocte eſitâſſe exiſtimet aliquis) Dominus in deſerto jejunavit, ut triumpharet de illo, per quem illi quadraginta annis murmu-

rave-

raverant in deſerto contra Deum. Conſummatique tot à gloriâ victoriæ in Paſsione, & Reſurrectione, xl. diebus cum diſcipulis fuit, antequam cœlorum altitudinem penetraret. Primis quadraginta diebus, tentationem hujus peregrinationis oſtendit; poſterioribus xl. diebus conſolationem quâ conſolandi ſunt in patriâ. Atq; ita cum Primaſii elogio, proagoni & progymnaſmati Jeſu Chriſti Pancratiaſtæ, colophonem imponens, adagoniſtas, ex adverſo compoſitos progredimur. *In 3. ad Heb*

Sunt autem duo. Quocirca τὸ ἀγώνισμα, monomachia fuit, viritim & ſingulari certamine congrediebantur; non catervatim aut confertim. Neque enim ſociis indigebat Jeſus Chriſtus, aut auxiliaribus amicorum armis, quod in duellis ſuis obſervant vitæ ſuæ prodigi, qui ut ille loquitur, *projecere animas*, ut ſecundarios vel tertiarios habeant. Solus enim deſcendit de cœlo, ut redemptionis illud opus, Angelis admirabile, & impoſsibile, ſolus in ſuſceptâ carne adimpleret. Quocircà ait ipſe apud divinum Vatem: *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum; circumſpexi, & non erat auxiliator; quæſivi, & non fuit qui adjuvaret: & ſalvavit me brachium meum; & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. Et calcavi populos in furore meo, & inebriavi eos in indignatione meâ, & detraxi in terram virtutem eorum.* Acceſſerunt ergò Angeli, quaſi abſentes, & miniſtrarunt ei, ſed non niſi tentatione omni conſummatâ, & poſtquam receſſerat Diabolus ab eo. 83 *Eſa. 63. 3.*

Sed & Diabolum ſolum & ſolitarium acceſsiſſe conſtat. Ita enim diſertim Evangeliſtæ. Tentator & Diabolus, non numero multitudinis, ſed ſingulari: ſed nec Diabolus quivis, è Tartareâ illâ fæce; verùm ipſe Princeps, Archiſtrategus impiorum ſpirituum, cum Duce copiarum exercitus Domini compoſitus. Ita viſum eſt Auguſtino, lib. 9. de civit. Dei, cap. 21. *Dubitavit de illo Dæmonum princeps, eumque tentavit, an Chriſtus eſſet. Quocircà & adorari ſe voluit, & omnia regna mundi daturum ſe promittit.* Et eò videtur reſpexiſſe Chriſtus, Johan. 20. *Venit Princeps mundi hujus, & in me non habet quicquam.* Erant ergò, non tantùm ἀντίπαλοι, ex adverſo compoſiti, ſed ἰσόπαλοι, ex æquo commiſsi: fortiſsimus ſcilicet cum 84

fortiſsimo; multarum palmarum gladiator, & omnium bellorum victor, cum novitio quidem; ſed tamen pugnatore ab initio, licet non eo modo & formâ, quibus in præſenti. Neque enim indutus carne fuit, cùm appareret Joſuæ, 5. 14. *Cùm enim eſſet Joſua in agro urbis Jericho, levavit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, evaginatum tenentem gladium: perrexitque ad eum, & ait, Noſter es, an adverſariorum? Qui reſpondet, nequaquam; ſed ſum Princeps exercitus Domini, & nunc venio. Quis*, ait Origenes, *alius eſt Princeps militiæ virtutum Domini, niſi Dominus noſter Jeſus Chriſtus? Ipſe enim*, cum Tertulliano loquor, *ad humana ſemper colloquia deſcendit, quia ſcilicet*, ut in ſequentibus adjungit, *omnis ordo divinæ diſpenſationis per filium decurrebat.* Eſt hoc, tantùm non dogma fidei; certè perpetuâ catholicæ Eccleſiæ traditione firmatum: quod refinxerunt Jeſuitæ, nuper in ſcholis dominantes, ut ſuam nobis Angelolatriam, vendibiliorem commendarent. Nam Principem illum militiæ, adoravit Joſua. Sed fruantur illi novitatibus ſuis; nobis, ſcilicet Novatoribus, ſufficit conſenſus Catholicorum. Atque ita rectè cum illo, hoc elogio, compoſitum, & commiſſum Luciferum ipſum arbitramur: ut iſtorum duorum eventus oſtendat, utra gens melior, uter *eſſe* deberet, ac *imperaret*.

Con. prax. cap. 16.

85 Sequitur ἀγωνιστήριον, palæſtra, vel arena huic monomachiæ deſtinata. *Ductus eſt*, inquit, *in Eremum, ut tentaretur à Diabolo*: nimirum modo quodam inſigniori, ſtudio & impetu vehementiori. Neque enim dubium eſt, quin illum, ut cæteros omnes, etiam anteà, in puerili & juvenili ætate conſtitutum, tentaverit. Eſt enim hoc illi ἔργον perpetuum, neminem non tentat in omni ætate. Imprimis juſtos, ſanctos, ὑλαβεῖς, ſecundùm rectam rationem & civilem & divinam viventes, maximè infeſtat. *Eſcam electam*, ut Scriptura loquitur, *deglutire cupiens*. Cùm igitur Jeſus Dominus, puerilem ætatem & adoleſcentiam, ſanctiſsimis moribus & inſtitutis, omniq; virtutum genere excultam, palàm tranſigeret; omninò certum eſt, fuiſſe illum à Diabolo impetitum. Sed novo nunc modo, novo tentationis genere, aggreditur. Non cogitationes ſuggerendo; non in animum irrependo; ſed formâ viſibili aſſumptâ (Monachi nimirum, aut Eremitæ

mitæ picturæ volunt parietinæ) ἀλλοπροσώπως ſollicitat ad tranſgreſſionem: quomodò & Evam ab initio ſupplantaverat. Novo igitur certamini, novus locus deſignatus, ab omni hominum frequentiâ remotus; idque divino conſilio factum, ut majori confidentiâ Tentator, ſolum, ſolitarium, & quaſi deſtitutum aggrederetur. Ita viſum Chryſoſtomo, nec eſt improbabile: ἐπειδὴ γὰρ ὁ Διάβολον ἐπιζήσασθαι ἐβούλετο, οὐ ἀφ' ὧν πάντας μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀφ' ὧν τόπων λάβοι ἀφορμὴν αὐτῷ λαβεῖν. Quò faciliùs Diabolum ad certamen eliceret, anſam illi voluit conſerendi prælium exhibere, non modò per eſuriem, ſed & à loco. Tunc enim aggreditur violentiùs Diabolus, ex inſidiis, & quaſi loco ſuperiore, cùm ſolitarios viderit, & ſecum ſolos homines. Ita enim ab initio mulierem aggreſſus eſt, ſolam eam inveniens, & viri conſortio carentem. Cùm autem aliis conjunctos & copulatos viderit, non eâdem audaciâ ſolet aggredi.

Deſertum autem illud, planè erat deſertum, locus ſo- 86
litarius, incultus, remotus, paucorum aut nullius ſolio tritus, incultus, infructuoſus, etiam animalium domeſticorum frequentiâ vacuus. Erat μετὰ θηρίων: cum beſtiis, feris, truculentis, eremicolis, verſabatur. Plures per Judæam, Palæſtinam, & adjacentes regionis eremi, & deſerta, ſacris literis commemorantur: ſed non erant illi loci ἄβατοι, ἀοίκητοι, ἀνοικίαστοι. Montana reſpectu vallium eremi dicebantur: κατ' ἐξοχὴν verò deſertum illud, quod magnum nominabatur, fuit, per quod Iſraelitæ in Canaan tranſierunt. Ridiculè & falsò, locum neſcio quem, *Quarantanam* appellatam, ab hac Chriſti 40. dierum ἀναχωρήσει, nobis commendant Commentatores & Hiſtorici, Terræ ſanctæ ſecuti exploratores, Adrichomium, Burchardum, Arandam, alios. Adrichomius in deſcriptione Tribus Benjamin, Num. 97. inquit: *Quarantanam appellari montem, in quo Chriſtus jejunavit, deſertum propinquum, quod inter Jericho & Jeruſalem interjacet.* Aranda, duobus tantùm milliaribus à Jericho diſtare docet. Burchardus penè conſentit, qui ad dimidiam leucam narrat. At in hoc monte non poterat verſari μετὰ τῶν θηρίων. Quocirca, miſsis poſtillatorum, & otioſorum hominum malè feriatis nugis, locum certamini deſtinatum, *Deſertum*

mag-

magnum ſtatuimus. Illud nimirùm, in quo Iſraelitæ, per annos quadraginta peregrinabantur, tentantes Deum, & murmurantes contra ipſius diſpenſationem ſanctam. Illius autem, illam partem, nempè montem Horeb, ubi Moyſes priùs & Elias, ἐις τύπον, mirabilitèr, per dies xl jejunaverant. Hanc ego judico ſimpliciſsimam ſententiam, & ordini divino accommodatiſsimam: atque ita de palæſtrâ horum Athletarum ſtatutum eſto.

87 De Agonothete, vel Aleiptâ, jam diximus; Spiritum nempè fuiſſe ſanctum: quo ductore, & nobis fidendum, atque innitendum. Neque enim cum Diabolo certamen inire res eſt levicula; quocircà nec motu proprio obeunda. Nam & Martyres, vetuſti Eccleſiæ Patres, ut μὴ δειλιῶντας, hoc eſt, intrepidos & impavidos, admirabantur & collaudabant: ita ῥιψοκινδύνους improbabant; qui temerè ſe, & ex impetu potiùs quàm conſilio, periculis objicerent. Diabolum Chriſtus non provocavit; ad certamen deſcendit, movente, ducente, impellente Spiritu. Hoſtem non miſso programmate provocat, ſed ſponte accedentem confidenter excipit, & gloriosè devictum, & caſtigatum dimittit. Audacia eſt, non fortitudo, vel potiùs φρονοβλαβεία, ultrò caput periculis objectare. οὐκ ὀπτιτέον ἀρχῆ, ἀλλ' ἐλκομένους ἐξαίνης γενομένους: proſilire non debemus ad certamen, ſed eò deducti, debemus fortiter obſiſtere, & animosè. Nec Gigas in campum ſolus procedit: armiger enim, inquit, ejus antecedebat illum: ita & Jonathan Saulis, cùm Philiſtæorum turmas profligaret, armigero comitatus, rem aggrediebatur: Væ enim ei qui ſolus eſt.

88 Poſtremò ſequitur ipſa concertatio, ſeu ἀγώνισμα, productis in arenam, ut moris erat, luctatoribus: quam paulò fuſiùs & particulariùs, (nam Marcus ſilet) Matthæus & Lucas, iiſdem penè verbis, licet ordine non eodem, deſcripſere. *Accedens Tentator*, ait Matthæus, *dixit ei, ſi filius Dei es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Qui reſpondens, dixit, *Scriptum eſt, Non in ſolo pane vivet homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Lucas ita refert, *Dixit illi Diabolus, ſi filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat:* Reſponſio Jeſu eadem eſt cum Matthæi. Non conſtat, ait Maldonatus, utro modo dixerit Tentator, Dic ut lapides, an

Dic

Dic ut lapis hic. Ineptè, ne quid graviùs dicam: quaſi Sp. ſanctus, tùm in rem præſentem etiam *Aliptes*, & *Agonothetes*, ignoraret, quomodò protuliſſet illa Diabolus: atque ideò relinqueret, ὡς ἐν μέσῳ χάμδνον, ac incertum: utrumque Tentator proloquebatur, Dic ut lapides fiant, quorum magna in eo loco copia fuerat, panes. Quaſi non ſufficeret unus lapis, & unus panis, vult in ſuperfluis ut offendat. Quod ſi autem id nimium eſt, dic ſaltem ut iſte lapis, unum aliquem ſingularem oſtendens manu arreptum, panis fiat. Hæc eſt Theophylacti interpretatio, & nodum illum diſſecat, quem nobis conſtrinxit Maldonatus.

Secundus Satanæ inſultus à Matthæo narratur. *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi, & dixit ei, ſi filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim, quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus ſuis tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Jeſus, rurſum ſcriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum.* Hanc totidem verbis retulit, cum reſponſione Beatus Lucas, ſed non eo ordine quo Matthæus. Nam tertio & ultimo apud eum loco commemoratur. Certè Evangeliſtæ Annales non ſcribebant, vel acta per Ephemerias diſponebant, ut ubique ſollicitè obſervent rerum geſtarum ἀκολουθίαν; tamen nec ἀμέθοδοι adeò ſunt, ut in rebus ſimul geſtis ordinem confundant, atque ita narrationibus ſuis vel tenebras offundant, vel incertitudinem ſubintroducant. Matthæi ordo naturalis eſt: tentat primò per diffidentiam; cùm non ſuccederet, ad contrarium aufugit, & conatur perſuadere præſumptionem. Tertiò, poſt tentationem de adoratione, vel idololatriâ committendâ, jubetur recedere, & receſſit Diabolus: ut omninò neceſſe fuerit, hanc tentationem fuiſſe poſtremam: atque ita ordinem apud Lucam inverſum eſſe, vitio quorundam exſcriptorum, qui ſatis oſcitanter olim hæc deſcripſerunt. Quod videtur eò probabiliùs, quod Beatus Ambroſius ſuper Lucam commentariis, eo ordine & referat & exponat has tentationes, quo deſcribuntur à Matthæo, & non apud Lucam, in noſtris hodiè libris. Et vir fide dignus, atque eruditus, Faber Stapulenſis teſtatur, vidiſſe ſe quædam exemplaria, 89

plaria, in quibus apud Lucam eadem eſt ſeries, idem ordo, qui habetur apud Matthæum.

90 Mutat ergò locum in ſecundo conflictu Tentator, quaſi cœlum mutans, aut ſolum, animum etiam mutaret. Stultè, non minùs quam Syri olim, devicto rege Syriæ ab Iſraelitis & Ahabo, dixerunt: *Dii montium, ſunt Dii eorum, ideò ſuperaverunt nos: ſed meliùs eſt ut pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos. Credidit Rex conſilio eorum, & fecit ita.* Succeſſu eodem Syri & Diabolus mutarunt loca: nam uterque, ut priùs, victi ſuccubuere. Locus Diabolo deſtinatus, ſancta dicitur civitas, hoc eſt Jeruſalem, locus à Deo ſeparatus, ſacratus, ſanctificatus, atque ita ſanctus ex omnibus tribubus Iſrael, in quo nomen ſuum, ut ait, poſuerat: hoc eſt, cultum ſui nominis divinum ſtatuerat. In quo Templum, Arca fœderis, Sanctuarium, Sacrificia, Sacerdotes verſabantur; quæ, ut Templum aurum poſtibus illitum, locum ipſum ſanctificabant. Hinc mons ſanctus Sion, Templum ſanctum, ædes ſancta, civitas ſancta, &c. apud vetuſtiores Prophetas: non aliam ſcilicet ob cauſam, quàm quòd Sanctus Iſrael, ſanctè in illâ colebatur civitate. Nondum advenerat conſummatio, neque populum illum Deus, & religionis cultum abjecerat actu in æternum. Quocirca nec titulos, aut elogium ei invidet Spir. ſanctus, quibus olim inſigniebatur, quamvis locus ipſe ſentina eſſet impuritatum, ſpelunca latronum, impuriſſimorum hominum habitatio. Certis quibuſdam titulis & elogiis, homines ὅτι βαθμὸν conſtitutos, ab omni retrò antiquitate, viri prudentes etiam & religioſi, honorarunt: iſtos honorum lemniſcos, non eſt cujuſvis convellere, conculcare; ſed nec palam reprehendere, aut iiſdem derogare. Id quod ſolent παντοσφομαχίγες Puritani. Piaculum eſt vivi comburio expiandum, ſi quis Epiſcopum Dominum ſalutet, vel reverendum; ſi quis ſanctum compellat, aut ſacratum caput. Pontificem verò Romanum, *ſuam ſanctitatem* indigitare, certiſsimus eſt character Antichriſtianiſmi. *Non tibi, ſed religioni*, dicebat olim Iſidis adorator, cùm aſinus portans myſteria, ſe putaret veneratum. Honorem pari modo, non Paulo aliquo quarto, Alexandro ſexto, Urbano ſexto, Johanni duodecimo, cœteris, ſi

qui

qui ſunt, prodigia & propudia honeſtatis; ſed religioni exhibendum contendimus: hoc eſt, eminenti dignitati, quâ ultra alios in Eccleſiâ Dei præditi ſunt. Nam ita Chriſtiani olim Heroes, Tyrannos, impios, improbos, carcinomata mera, tantùm quia cum purpurâ, & diademate, illuſtribus elogiis, etiam divinis compellabant: & ἱερὸν συγκλητον Romanum Senatum, Juſtinus Martyr ſanctiſsimus nominavit. Sed eſt hæc phreneſis, hominum ſolummodò fanaticorum, quibus omnia diſplicent, niſi quæ de ſuo ſibi cerebro confinxerunt: quanquam nec illa placere diu poſſunt.

Sanctam ergò civitatem, Jeruſalem ſcilicet, deduxit Servatorem, Tentator Satanas: ἤγαγεν enim, ait Lucas, hoc eſt, præeundo, manu deduxit: παραλαμβάνει, inquit Matthæus, hoc eſt, ad ſe aſſumptum portat. Voces utræque ſunt genericæ, nec modum vel hæc, vel illa explicat. Ita in varias ſententias probabilitèr abiere. Rectè autem ſtatuunt omnes, invitum, reluctantem, non conſentientem, nequaquam vel deduxiſſe, vel arripuiſſe Diabolum Servatorem. Neque enim accedere audebat, niſi admiſſus, & increpitus, receſsit è veſtigio. Volentem ergò, & admittentem, hoc eſt, ſemet ipſum exinanientem, in ſanctam civitatem portat, revera, actu, locali motu. Quocirca in illorum ſententiam non concedimus, qui hæc omnia arbitrantur in viſione facta, quemadmodum Prophetis quibuſdam contigiſſe ſcimus. Ita Jeremias 13.4. profectus dicitur ad Euphraten. Et Ezech.4.5. dicitur ille dormiviſſe in uno latere per dies ccc. & xc. ſed longè recedebant ab hac, per inſomnia, repræſentatione, quæ de Chriſto commemorantur. 91

Nec erant fictiones, vel viſiones, non magis quam tentatio ipſamet viſio: multò minùs per præſtigias, quod ſentiunt alii, illuſit Diabolus Chriſto, ita ut ſe putaret circumduci, & ad Templum deferri, cùm revera locum non mutaſſet. Sunt hæc indigna, non tantùm majeſtate patientis, ſed etiam exinanitione humiliati. Neque enim in animam, vel vitam Jobi, poteſtatem acceperat olim ὁ πειράζων: nedum in animum, & animi facultates Jeſu Chriſti, ſed tantùm in corpus, & exteriora. Et certè fallaciæ fuiſſent, non realitates, Hæreticis Docitis deſtinæ, 92

& ſufflamina, qui & incarnationem non realem, ſed κατ' δόκησιν blaſphemabant, ſi per viſiones, vel opinionem, & præſtigias objectas hæc contigiſſent. Prophetæ de ſeipſis loquuntur ipſi, quod in *viſione*, ea quæ narrant, objecta ut ſint & repræſentata. At non ita referunt Evangeliſtæ, ſed tanquam rem geſtam verbis explicant. Deinde, quæ fuerat illa tentatio, ut per fantaſiam ad προσκύνημα induceretur, aut ut per ſomnium adoraret, aut putatitie ſe de Templo præcipitaret: ut opinione, non facto ruentem, & præcipitatum, Angeli cuſtodirent. Sunt hæc ipſis viſionibus leviora.

93 Reverà, quòd dicitur, gerebatur, & hoc fixum in cauſâ manere debet: ſed an viſibilitèr, aut inviſibilitèr hæc contigerint, non ita conſtat. An iterum, terreſtri itinere ductum, in Templi pinnaculo ſtatuerit: aut per aerem deportatum. Author Cardinalium operum Jeſu Chriſti, ad fantaſiam converſus & viſionem: *Eo modo circumduxit*, inquiens, *Tentatoris aſtutia, vel circumduci ſe paſſa eſt patientia Salvatoris, quomodò Ezechiel, cùm ſuper flumen Chebar ſederet, Hieroſolymam raptus in ſpiritu, civitatem ædificat & metitur, & muros ac Templum inſtaurat. Hoc modo ſuper culmen Templi Chriſtus erat in ſpiritu.* Vult ergò inviſibilitèr ita factum, quia κατ' δόκησιν, non revera. Sed ut erat localis hæc tranſlatio, ita erat inviſibilis, nemine conſcio, ſive pedibus profectus, ſeu per aerem tranſlatus, eò venerit. Et quidem tranſlatum ego exiſtimaverim, quo modo Abacuc de Judæâ delatus eſt in Chaldæam; & Philippus ab occurſu Eunuchi, poſtquam catechizatum baptizarat, traductus fuit Azotum. Nec impedit quod objicitur ab Authore Cardinalium operum: *Videtur inconveniens, quòd corporalitèr eum Diabolus tulerit, quòd humeris ejus, Salvator inſederit, & pro vehiculo uſus ſit eo, quem præcipitatorem ſciebat, vel ei ferendum ſe commiſerit, cujus inſidias agnoſcebat.* Hæc ſunt puerilia & jocularia. Neque enim neceſſe fuit, ut Diabolo inſederit tanquam equo: modis multis, miris, nobis incognitis, tranſlatio fieri potuit, utcunque, non curru Diabolo uteretur. Nam quis modum mihi explicuerit, quo Spiritus Domini Philippum abreptum tranſtulerit Azotum. *Quid autem mirum*, ait Gregor. *ſi ſe permiſit à Diabolo*

abolo in montem duci, qui ſe pertulit à membris ejus crucifigi. Verba Evangeliſtarum eludi non poſſunt, *Aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam civitatem*; & deduxit illum dæmon: non ergò pedibus anteambulonem Diabolum ſequebatur, quod Euthymius opinabatur cum Maldonato: qui fruſtrà vim vocum eludere conatur, quibus rem geſtam narrant Hiſtorici ſacri: nec enim ſimplicitèr ἤλαβεν ait, ſed παρέλαβεν, ad ſe arreptum: nec contentus dicere ἤγαγεν, duxit, expreſſiùs addidit, ἀναγαγὼν, hoc eſt ἄνω, ſurſùm & in ſublimi portans.

Jeruſalem adductum, quocunque tandem modo, 94
ſuper Templi pinnam, πτερύγιον vocant græcè, conſtitutum, ad Deum præſumptuosè tentandum impellit; nimirùm, ut præcipitem ſe de loco illo excelſo dejicere velit. Neque enim fieri poſſe, ut lumbifragium faceret, aut metueret, cùm Dei filius, atque ideò chariſſimus, habeatur: & de Sanctis, nedum Filio, ſcriptum ſit in Pſalmis; *Angelis ſuis mandavit de te, ut in manibus tollant te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Improbè Tentator Scripturas citat: Neque enim ἀπολύτως ita ſcriptum legitur, ut manibus ſuis attollant, vel cuſtodiant te: ſed ut *In viis tuis te cuſtodiant*: hoc eſt, quas determinavit tibi Deus, ut in iis ambules; non autem extra vias illas ut te cuſtodiant. Viam autem regiam, ambulando, & peregrinando deſtinatam deſerit, qui Deum in minimè neceſſariis, aut ſuperfluis tentat: & cùm mediis à Deo conſtitutis uti poſſit & debeat, malit ſe in potentem omnipotentis dexteram conjicere, & de cœlo immediatam liberationem expectare. Neque enim quia dixit Dominus, *Invoca me in die tribulationis, & eximam te, & glorificabis me*, propterea non debuit fugere Apoſtolus, & per murum in ſportâ ſubmitti, ut manus evaderet perſequentium; ſed expectare potiùs ut comprehenderetur, & eum, ſicut tres pueros de mediis ignibus, liberaret. Et ratio eſt, quoniam periculum quod caveri poteſt, qui non cavet, magis tentat Deum, quàm ſperat in Deum. Auguſt. de Civ. Dei, lib. 16. cap. 19. Tentant ergò Deum, qui miracula vel advocant, vel expectant, aut etiam præ ſe ferunt, ubi non eſt opus. Sed non eſt hæc ſola tentatio Dei, per præſumptionem, de ſapientiâ, po-

tentiâ, voluntate extraordinariâ, confidere plus quàm oportet: ſed è Diametro, tentatur Deus, cùm iiſdem diffiditur, revelatis, ac ſtipulatione adhibitâ, confirmatis. Quomodò in deſerto, plerumque veteres illi Iſraelitæ, tentabant Deum, qui, ut loquitur Tertullianus, *poſt Mannæ eſcatilem pluviam, poſt petræ aquatilem ſequelam, deſperant de Domino, tridui ſitim non ferendo.* Non ſunt præſumptio & diffidentia viæ noſtræ, hoc eſt, nobis à Deo commendatæ, per elogium illud, *State de viis antiquis, interrogate de viâ bonâ, & in illâ ambulate.* Si per iſtos anfractus, & devia incedamus, de cuſtodiâ Angelicâ ne cogitemus. Mentitur ille mendax ab initio, & Scripturarum æruſcator, qui, ut inducat ad tentationem Dei, de cuſtodiâ Angelicâ in viis comminiſcitur, quæ non niſi viis tuis addicebatur. Falſi ergò poſtulatus, & convictus à veritate, ad alium, alius generis conflictum confert, audaciſſimus in eo Ardelio, ſed & adverſarius vehementior.

95 Iterum enim aſſumpſit eum Diabolus; *in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me.* Addit Lucas, intuliſſe inſuper Diabolum, *Quia mihi tradita ſunt, & cui volo, do illa.* Loquitur autem è Propriis, hoc eſt, mentitur, mendax ab initio, & pater mendaciorum. Quis enim? Quando, illi ea tradidit? qui trangreſsione primævâ, & in Deum Dominum inſolentiâ, etiam Donata, & Collata foris ferit de Cœlo in Infernum παραπωθεὶς? ſed profecto, id quod erat neceſſe, Diabolus intulit. Neque enim dare poterat, niſi ſua. *Quocirca, ſicut in principio Diabolus mentitus eſt,* ait Irenæus, Lib. 5. ca. 24. *ita & in fine mentiebatur dicens, Hæc omnia mihi tradita ſunt, & cui volo, illa do. Non enim ipſe ſed Deus* determinavit hujus ſæculi regna. Regis enim cor in manu Dei. Et per Salomonem autem ait verbum, *Per me reges regnant, & poteſtates tenent juſtitiam. Per me Principes exaltantur, & Tyranni terræ.* Et Paulus Apoſtolus hoc ipſum ait: *Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubjecti eſtote. Non eſt enim poteſtas niſi a Deo. Quæ autem ſunt, a Deo diſpoſitæ ſunt.* Et iterum de ipſis ait, *Non enim ſine cauſa gladium portat. Dei enim miniſter*

niſter eſt. Quoniam hæc autem, non de Angelicis poteſtatibus, nec de inviſibilibus Principibus dixit, quomodo quidam audent exponere: ſed de his, quæ ſunt ſecundum homines poteſtates. Et poſt alia manifeſtum eſt, quoniam mentitur Diabolus dicens, Mihi tradita ſunt, & cui volo, do ea: cujus enim juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & reges conſtituuntur, apti his qui ab illis in illo tempore regantur. Quidam illorum ad correctionem & utilitatem ſubjectorum dantur, & conſervationem juſtitiæ. Quidam ad timorem, & pœnam, & increpationem. Quidam ad illuſionem, & contumeliam, & ſuperbiam. juſto Dei judicio in omnibus, æqualiter ſuperveniente. Diabolus autem, quippe Apoſtata Angelus exiſtens, hoc tantum poteſt, quod egit in principio, ſeducere, & abſtrahere mentem hominis ad tranſgredienda præcepta Dei: & paullatim obcæcare corda illorum qui conarentur ſervire ei: & ad oblivi-
ſcendum quidem verum Deum, ipſum autem, quaſi Deum, adorare. Hæc & plura explicando huic loco, antiquiſſimus pater Irenæus a quo cæteri patres non diſſentiunt.

Hic autem, ut prius παραλαμβάνει, & ἀνάγει, ad ſe ſuſceptum vel adductum ſurſùm ducit. id enim neceſſe fuit, ſi in *montem*, magis ſi in *excelſum montem* & plus adhuc, ſi in *Montem excelſum valde*, ὄρος ὑψηλὸν λίαν ut Matthæus habet. Quis verò, & ubi terrarum ſitus ille mons fuerit, diſputatur. Author *Operis imperfecti*, *montem* totius univerſi exlcelſiſimum eſſe opinatur; ita ut Chriſtum Diabolus, Hieroſolymis abductum, in Teneriffam Canariorum ſuſtulerit, aut ſi quis alius alicubi mons excelſior illo. Ridiculè. Non hoc volebat Beatus Matthæus, cùm *montem excelſum valdè* deſignet: licet & ſciamus è Jobo, & Apoſtolo, erronem eſſe & circumforaneum Diabolum; ſed ſimplicitèr, *valdè excelſum*: & relativè, excelſiorem quàm cæteri, per deſertum aut illos tractus, montes. Ludunt hîc Abulenſis, & terræ ſanctæ plerique exploratores, qui *Quarentanam* nobis deſertum commentitium ingerentes, in illo deſerto montem hunc deſignant, non multùm à Jericho diſtantem. Sed ut *deſertum* illud, Chriſti ἐρημικὸν, *magnum* illud fuit, verè *deſertum*, in quo Iſrael per annos xl. peregrinabatur: ita mons ille excelſus valdè, è montibus aliquis putandus eſt, qui per illas ſolitudines aſſurgebant: Nimirùm, vel Horeb, quod e- 96

go

go arbitror, Moſaicâ, & Heliacâ *ſcleragogiâ* celebris: vel quod Beuxamis opinatur, non alius quàm undè Moyſes morituriens, Domino oſtendente, proſpectum petiit latè, terræ promiſſionis. *Hic mons*, ait ille, *eſt in deſerto, à latere montis Nebo eminentiſsimus: ut loci celſitudine, Chriſtum ad elationem animi excitaret, & faciliùs hinc regiones orbis conſpiceret.* Non abſurdè.

97 Non modò falſum illud de excelſiſſimo monte τῆς ὀικουμένης, ſed & frivolum commentum fuit. Quorſum enim illum montem vel exquireret Tentator, vel adiret? cùm certum ſit, & demonſtrabile, nullum eſſe montem, vel eſſe poſſe, tantâ porrectum altitudine, ut de illius vertice, ſingula terrarum regna & regiones contemplari poſſint. Neq; enim vel illæ in oculos incurrere poterint; nec ad illarũ fines & extremitates, oculorum acies penetrare. Quocircà quæſitum eſt, non tam de *monte*, quis, aut ubi terrarum fuerit, quàm de ratione repræſentationis: Quomodò Diabolus ἐν στιγμῇ χρόνου, omnia mundi regna, & gloriam eorundem, ſub Chriſti aſpectu potuit diſponere. Eſt quidem στιγμὴ, *punctum*, vel *apex*, de Grammaticæ ſcientiâ mutuatum; ſignificat autem pro modulo ſuo brevitatem, atomum, temporis ſtatum velut imperceptibilem: quod alitèr dicitur in *ictu oculi*. Subitò igitur, & in momento temporis, regna mundi Satanas repræſentat, vel tanquam in tabellâ depicta & diſpoſita; vel potiùs per viſionem, modo quodam peculiari, objiciens ejus oculis, quos non tamen decepit, vel eluſit, nedum animo imagines impreſsit, per ſpecies à ſe formatas in aere, quod illi facile factu fuerat: in eum finem, quod conſtat è tentatione, ut ambitione & avaritiâ abreptus, in idololatriam conſentiret. Quam ſollicitationem cum indignatione rejecit Chriſtus, *Vade*, inquiens, *Satana*: qui juſſui obtemperans, finem tentationi impoſuit, & abſceſſit. Sic *Author operis imperfecti*: *Quandò Diabolus Dei ſibi præſumpſit honorem, iratus Chriſtus increpavit eum, & repulit: ut nos ipſius exemplo diſcamus, noſtras quidem injurias magnanimitèr ſuſtinere; Dei autem injurias, & contemptum, nec uſque ad auditum ſufferre.*

Receſsit: ſed ut in proverbio habetur, ὁ φεύγων πάλιν μαχήσεται. Ita & Diabolus victus videtur pugnam inſtauraſſe

râſſe. *Receſsit enim*, ait Lucas, *ad Tempus*. Neſcitur quodnam tempus indicet: vulgò opinantur uſque ad Paſsionem: & certè videtur id innuere Chriſtus, qui ait, *Nunc autem eſt Tempus, & hora Tenebrarum*: & iterum, *Venit autem Princeps Mundi, & in me non habet quicquam*. Quanquam Chryſoſtomus, ad totum οἰκονομίαν in carne tempus, retulerit, quando Diabolus non per ſe, ſed ſua Inſtrumenta pugnavit. Atque ita conſummatâ omni tentatione (ubi Tria ſunt omnia) in ſuâ ipſius propriâ perſonâ, Diabolo recedente, acceſſerunt Angeli, ſpectatores certaminis; & de loco ſuperiori, ut in Hieronicis, illi applaudentes: non ante finitum certamen, ne veniſſe viderentur in auxilium. Acceſſerunt autem *miniſtrantes*: (*ſunt enim Spiritus miniſtratorii*) In quibus miniſtrabant certò neſcimus: in cæteris proculdubiò, quæ conveniebant illi exinanitionis, & Triumphi conditioni: imprimis autem, cibum potumq; eſurienti, ſuppeditando. Atque ita hoc Jeſu Chriſti principale ἀνδραγάθημα, quo de Principe Dæmoniorum devicto triumphavit, narrationibus Evangeliſticis finem imponit, quæ per annum baptiſmalem memorantur contigiſſe. Quò, poſt hoc certamen finitum, ſe contulerit è deſerto, ſcriptura tacet: ſunt qui ſtatim reverſum aiunt ad *Baptiſtam*; ſed rerum ſeries, ut videbimus in loco, repugnat: & potiùs latere par erat adhuc, quàm deprædicari hoc κατόρθωμα. Potiùs arbitrarer, reverſum ad maternas ædes in Galilæam, atque ibi, ut priùs, rem curâſſe familiarem: ita tamen, ut privatim docendo, ſed nulla miracula edendo, paullatim inciperet innoteſcere. Atque ita primi anni terminus & finis eſto, Chriſto baptizato.

FINIS.

Ad Lectorem Postscript.

Το μέγα βιβλίον, ἴσον τῷ μεγάλῳ κακῷ, dicebat Callimachus, apud Athenæum. Ne igitur in immensam nimis molem, & magnitudinem excresceret iste Tomus, si uno quasi ambitu, universalem, de Christi Domini συγκαταβάσει, & in carne susceptâ ἀναστροφῇ, complecteretur historiam; visum est in duas divisum partes separatim edere: ut Lectoris tædio, Emptoris compendio, Typographi lucello consuleretur. Habe igitur, Lector, quod præsentiâ offerrimus: residuum expecta, cum bono Deo, Vale.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 11. lin. 29. ἐπιτόπιος. p. 12. l. 11. *discere.* p. 15. l. 23. L. Scipioni, p. 18. l. 9. 10. *feciſſent locum otio liberalitèr, &c.* p. 22. l. 35. (*augustiorem.* p. 24. l. 11. *subsequitur.* p. 30. l. 3. *audebit dicere.* p. 37. l. 7. *annos mille.* p. 39. l. 1. Menologia. l. 10. Menologiæ. p. 40. χειροδυναμεία. p. 43. l. 14. *multo.* p. 47. l. 6. *metcenarii.* p. 51. l. 29. ἄγει. p. 54. l. 11. *varii.* p. 55. l. 32. Laicos. p. 56. l. 35. *mur-* p. 61. l. 23. *adhibebatur.* p. 65. l. 16. *nanos.* p. 78. l. 17. *vernaculus quàm alienigena.* p. 82. l. 11. *omisiſſet.* p. 83. l. 38. *incepit.* p. 100. l. 11. χρόας. p. 102. l. 22. *Atergatis.* l. 35. *Mercy-on-high.* p. 104. l. 39. Domini. p. 116. l. 15. *Hajah.* p. 129. l. 18. Trullano, 23. *tolli.* p. 130. l. 25. *quia.* l. 26. *judicem.* p. 131. l. 12. *quia.* p. 133. l. 19. *omni.* p. 138. Singulis. ἐν δοῖν. p. 139. l. 21. *seu quo loco.* p. 140. l. 24. *quoad vestes,* p. 142. l. 6. Ἀλέξιος Τρᾶλλις, p. 146. l. 7. *confisus,* p. 148. l. 34. *injuriosissima*: p. 149. l. 2. *Gentilitium.* p. 153. l. 25. *reverterent*: p. 157. l. 31. *observaretur,* 32. *Hunc ego.* p. 161. l. 13. *Castrium sequor.* p. 167. 18. ἐπιχείσεως. p. 171. l. 16. ὁλοσίων. p. 174. l. 13. *Interpretes.* p. 175. l. 9. *Omne genus,* p. 179. l. 22. *Ascetic.* m. p. 181. l. 11. *ignorare.* 34. *processisse.* p. 182. marg. *malefici.* 22. *Damascum.* 32. ἐσχυλατιδίοι. p. 185. l. 23. πᾶς δεσμὸς κακίας. p. 198. 6. *Quos nos.* 29. *optimos.* p. 201. 26. ἐυφημίστης. p. 202. 21. *eorum.* 29. *nihil efficeret,* p. 213. l. 22. ὑπήχθη. p. 215. l. 4. *& inde.* p. 222. l. 19. *una gradiebatur.*

(1) 508, (2) P.

Johannis Hacket

RICHARDI MONTACUTII,

EPISCOPI

CISSACESTRIENSIS,

DE

ORIGINIBUS ECCLESIASTICIS

COMMENTATIONUM

TOMUS PRIMUS.



LONDINI,

Impress. per MILONEM FLESHER, & ROBERTUM YOUNG.

cIↃ. IↃ. C. xxxvi.

antequam exurgeret, & mundum ſuo lumine diffuſo, colluſtraret, Divinitatis ſuæ radios, ſed velut à longè, volebat patefacere, & ſpecimen præbere futuræ aliquandò diſpenſationis: in eum finem, ut quod in nativitate Johannis Baptiſtæ dicebant vicini, uſurparent audientes, & videntes Judæi, *Qualis nam futurus eſt iſte puer?* Noluit de repentè ad officium proſilire adimplendum, inexercitatus, ignotus, ne non tam fidem & obedientiam procurâſſe populi, quàm ſibi applauſum & admirationem voluiſſe videretur. Sed & hoc ejus ſtudium & deſiderium, per Judæorum impietatem incaſsùm cecidit. Nam quaſi nihil de illo vidiſſent, aut cognitum habuiſſent, per contemptum quærunt: *Unde huic ſapientia hæc, & virtutes?* Mat.13.54. *Quomodò hic literas novit, cùm non didicerit?* Joh.7.15. Ita facilè, ſcilicet, in illorum deſcendimus, per ſummam incuriam, oblivionem, quæ divina bonitas non rarò tanquam præludia, proœmia, & prognoſtica futuræ offerendæ ſalutis ſolet ſuggerere.

13 *Cur anno xii. inclarescere capit.*

Sed nec illud fortè extra divinam quandam peculiarem diſpenſationem contingebat; quòd nec priùs, nec poſteriùs aliquod ſuæ divinitatis, miniſterii, aut ἀναφορᾶς ſpecimen ediderit, ſed anno tantum duodecimo. Quid autem vel myſterii, vel ſecretioris alicujus diſpenſationis in eo lateret, conjectari licet, certò ſtatuere non licet. *A duodecimo anno*, Ambroſius loquitur, *ut legimus, Dominicæ ſumitur diſputationis exordium. Hic enim prædicandæ fidei Evangelizantium debebatur numerus.* Hoc eſt, quod in officii olim exequendi munere obeundo, totidem numero Apoſtolos erat ſelecturus, & cum ſummâ authoritate, quaſi Legatos, in mundum emiſſurus. Et certè hic numerus celebris eſt in Apoſtolis xii. præfiguratus in xii. Patriarchis, filiis Jacob, per quos illa domus, ſecundum carnem, Iſraelis, exædificabatur: xii. fundamenta, xii. portæ, xii. feneſtræ cœleſtis Jeruſalem, hoc eſt, Eccleſiæ viventis Dei. Vel potiùs hoc anno duodecimo fiebat, quòd id ætatis cùm ſint pueri, quaſi confirmatiores incipiant eſſe, & ingenio ad diſcendum, obſervandum, exequendum eſſe aptiori. Sed cùm annus xiiii. apud Medicos & Juriſconſultos, initium virilitatis conſtituat,

ſtituat, cùm ab hoc *ſuffuſior & veſtiſior ſexus*, quemadmodùm loquitur Tertullianus cap. 18. de animâ : cumque fœminas à xii. annis, maſculos à duobus ampliùs ad negotia mittant, ut ab eodem dicitur, de veland virg. cap xi. Non eſt mirum ſi tempus illud, paſsìm ſecundùm naturam in aliis omnibus uſurpatum, ipſe aliquantulùm anticipaverit, & xii. non xiiii. ſe tranſmiſerit ad negotia. Sicut igitur in Sampſone, qui liberaturus erat Iſraelem, & in hoc, ut & aliis, typum gerebat Jeſu Chriſti, adhuc puero, vel vix egreſſo ex ephebis, Spiritus Dei tyrocinium edidit peculiare, & illuſtre in caſtris Dan, Judic. 13. 25. Ita Liberator ille ſummus aliquandò futurus, in pueritiâ ſpecimen edidit divinæ in ipſo reſidentis, ſapientiæ & virtutis.

Sed cur inſciis parentibus ſe ſubduxit, & remanſit in Jeruſalem ? Reſpondet Beda, hoc feciſſe ut oſtenderet alium ſe habere patrem, cujus intendere debebat voluntati, & rebus inſiſtere procurandis, ipſis non conſultis, non concedentibus, etiam vel invitis. Et certè hanc ob cauſam ſe ſubduxit, ſubſtitit, & remanſit: Id enim diſertis verbis docet ipſe; An neſciebatis oportere me in rebus patris mei eſſe? τῆς ὑποταγῆς quocirca, hæc cauſa fuit quòd remanſit, non autem quòd illis inconſultis remanſit. Rectiùs iccircò, meo animo, reſpondent alii, clàm parentibus remanſiſſe, ne ſi id illis indicâſſet, aut ab ipſis impediretur, aut reditum illorum interpellâſſet, aut in cognatorum & vicinorum, deditâ fama deſcenderet, aut ſi parentes haud annuiſſent, parùm pius aut obediens videretur. Origenes ideò, inſciis parentibus, ait remanſiſſe, quòd ſe velut abſconderet, & inviſibilem reddiderit; atque hanc ob cauſam, illos non animadvertiſſe quid de illo factum fuerat. Rectè meus Græcus Scholiaſtes, eum remanſiſſe ait, κατὰ θείαν οἰκονομίαν, ἵνα μὴ κωλύσωσιν αὐτὸν, ὡς παῖδα, καὶ ἀγράμματον. *Per divinam fiebat diſpenſationem, ne illum illi impedirent, utpote qui puer eſſet, & illiteratus.* 14 *Cur inſciis parentibus remanſit.*

Et non cognoverunt parentes ejus, nimirum Hieroſolymis ſubſtitiſſe, ſed putâſſe illum fuiſſe apud cognatos in comitatu & vicinos. Eâ enim indole fuerat φιλάνθρωπος ille puer, ut nullâ αὐθαδείᾳ, vel moroſitate, 15

aut morum tetricitate laboraret: sed illâ fuit dulci affabilitate, & erga familiares suavi conversatione, ut facilè & libentèr apud ipsos versari vellet. Hoc cùm agnoscerent parentes ipsius, quid mirùm si existimaverint illum apud illos egisse, potiùs quàm remansisse Hierosolymis.

Judæorum mos ascendēdi ad festum.

Atque hinc imprimis, saltem probabilitèr, colligi potest, turmatìm, & non sigillatìm, solitos olim fuisse Judæos, de vicis & urbibus suis se conferre Hierosolymas; maximè propter Samaritanos infensos, per cujus regionem transeundum ipsis fuerat; & propter latrones ac sicarios, qui frequentèr vias insidere solebant, & ascendentes spoliare. Nec audiendi Beda & Lyranus, qui in more Judæis fuisse positum volunt, ut non turmatìm ascenderent & redirent, sed ut separatìm mulieres, separatìm viri proficiscerentur; scilicet, ne virorum contubernio polluerentur, qui ad Festum mundati ascendebant: ac etiam ut per sese pueri, aliud velut agmen conficerent. Probabiliùs est, pueros impuberes potuisse, & solitos fuisse, vel cum alterutro parentum, vel in turmâ communi, & ἀναμίξ versari, ut facilè fuerit Divino puero, se, quod fecit, subducere à comitatu.

16 *B. Virgo non incusanda de neglectu.*

Nec propterea Beata Mater incusari debuit; aut, quod temerè factum per nonnullos, de gravi crimine, & tantùm non scelere admisso, postulari: quasi per summam incuriam, & supinam negligentiam, Filii curam habuisset suspiciè dequè. Sed nec è contrario, ita efferenda ultrà sensum humanum & conditionem, quasi minimè ignorâsset, aut ignorare potuisset, Christum fuisse in comitatu. Volunt enim Mariam, Adamo atque Evæ in statu innocentiæ æquiparatam. Illos autem, adhuc ante lapsum, labi, errare, decipi in aliquo, non potuisse. Quocircà neque Virginem ignorâsse, quòd Christus remansérat Hierosolymis. Perperàm Rupertus 1. in Cantica ita scripsit; Virginem revera intellexisse, ubi tunc temporis versabatur Christus, neque reipsâ illum existimâsse fuisse in comitatu. Verùm repugnat hoc apertis Scripturæ verbis. Neque id asserere necesse est, si velimus tueri, non potuisse decipi Beatam Virginem: Nam, quod rectè notatum eruditis, Non decipitur is, aut decipi dicendus est, qui probabilibus argumentis quibusdam inductus,

ductus, & rationibus, aliquid opinatur probabile eſſe, abſque firmo tamen aſſenſu ſuo. Atque ita judicavit Beata Virgo, neutiquàm ergò dicenda aberrâſſe, vel deceptam fuiſſe. Libentèr ego exiſtimem cum Maldonato, Evangeliſtam ea propter addidiſſe, *Exiſtimantes eum eſſe in comitatu*, ut omnem negligentiæ & incuriæ ſuſpicionem à ſanctis parentibus removeret. Non enim per neglectum & incuriam, ſed credentes eum eſſe in comitatu, unius diei iter profecti ſunt: hoc eſt, ad noctem uſque ſine ullâ ſuſpicione, aut diſquiſitione, gradiebantur. Cùm verò ad cœnam adeſſe minimè viderent, tùm demùm cognito non eſſe illum apud comitatum, cœperunt de relicto Hieroſolymis cogitare: atque ita regreſſi ſunt in Jeruſalem, illum requirentes.

Chriſtophorus à Caſtro cap. xiii. Hiſtoriæ ſuæ, de Deiparâ Virgine, manifeſtè videtur Evangelio repugnare. Cùm enim Textus ſacer rem ita narret, quòd ſubſtiterit, vel remanſerit Hieroſolymis, ille rem alitèr narrat; & egreſſum vult ex urbe, cum parentibus & cognatis, Jeſum; ſed deinceps, de viâ declinantem, regreſſum in urbem. *Receſſuri, præmiſerunt puerum, cum cognatis & notis, ac cætero comitatu, aliquantulò poſt celeritèr ſecuturi.* Non ergò puer Jeſus, ſed Joſeph & Maria parentes, Hieroſolymis remanſerunt. Caſtrione credetis, an Evangeliſtæ? Explicat autem ulteriùs. *Sed puer, cum illis paululùm progreſſus, cùm vel loco ſtetiſſet, quaſi parentes expectaturus, vel ad illos rediturus, hoſpitium versùs tenderet, iter aliò flexit: atque ita, inſciis omnibus cognatis & notis, ipſiſq; parentibus, ſubduxit ſeſe, ac Hieroſolymis remanſit.* Aut, quod dicere debuit, reverſus eſt Hieroſolymas. Hanc porrò unam eſſe ex veriſimilioribus cauſis, quæ poſſint aſſignari, quare ſe ſubduxerit à parentibus Jeſus, conſtare poteſt. Primò, quia quùm tradunt quidam, quòd viri à mulieribus diſtincti redirent, & ita apud alterutros, exiſtimâſſe utrumque parentum, eſſe puerum Jeſum, quod putavit Beda in 2. Lucæ, & Haimo, eum ſecutus, vera non eſt; quia Lucas ait, exiſtimâſſe parentes puerum eſſe in comitatu, inter cognatos & notos, non autem *apud alterutros* ipſorum. Secundò, quia è verbis Lucæ colligitur, jam in ipſo regreſſu remanſiſſe puerum, parentibus neſcien-

17 *Caſtrii ſententia.*

neſcientibus, ſed exiſtimantibus illum eſſe in *comitatu*: ergò illum ſecum non ducebant; ſed à principio præmiſerunt cum *comitatu*: ac ita non erant ſoliciti, donec emenſo primo die, cùm in hoſpitio quærerent puerum inter cognatos & notos, nec invenirent, rediere Hieroſolymam. Hæc Caſtrius. Ita in tantâ ſententiarum varietate, non eſt quod unitatem diſſolvamus.

18 *Quid interim egerit.*

Operoſo tumultu, & magnâ vehementiâ differitur à multis, quid interea per illud triduum, quo aberat à parentibus, egerit puer Jeſus, ubi verſatus fuerit, quo in loco, apud quem vel quos hoſpitabatur, unde victum & alimenta ſuppeditaverit. Imprimis autem quæritur, & hanc imprimis quæſtionem moviſſe videntur, & affirmativam præfractè tenuiſſe, Mendicantes Fratres: An mendicaverit interim oſtiatìm: quod multi vehementiùs impugnavere. Abulenſis in Mat. 17. qu. 194. *Chriſtus*, inquit, *oſtiatìm nunquam mendicabat, quoniam mendicandi apud Judæos conſuetudo non erat.* Nam Deuter. xv. hoc Dei præceptum extat, Et omninò indigens, & mendicus non erit inter vos. Sed hæc ratio Abulenſis futilis eſt: neque enim propter præceptum, aut interdictum, rem minimè factitatam concludi poteſt. Contrarium potiùs: nam quod ait vetus illud verbum, *Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata.* Judæi imprimis gens cervicoſa, & qui ſemper reſtitiſſe Spiritui ſancto dicuntur, Dei mandata, de pietate & charitate, facillimè conculcabant. Et certè, non obſtante hoc præcepto, conſtat per hæc tempora, multos paſsìm apud Judæos mendicâſſe. De cæco quodam qui in triviis mendicabat, diſertìm mentio habetur apud Evangeliſtas. De claudo mendicante, & ſtipem rogante, apud portam Templi ſpecioſam, hiſtoria refertur in Apoſtolicis Actis. Sed utcunque non perſuadet Abulenſis ratio; dignitas perſonæ, rei inhoneſta conditio, divina diſpenſatio, quæ nîhil fruſtra facit, abundè mihi perſuadent, Chriſtum non mendicâſſe per illud triduum. Nec admittere poſſum piam Barradii meditationem, quam vocat Waldenſis ac Pighii opinionem. Catherini vehementem contentionem Divi Thomæ, 2ª. 2ᵉ. qu. 187. art. 5. Conceſſione de Chriſto mendico. Abſurda ſunt quæ Cajetanus

Non mendicavit.

tanus habet ad locum illum D. Thomæ. *Ex iis quæ in Evangelio ſcripta ſunt, apertè intelligi poteſt, quòd Dominus Jeſus non eſt dedignatus, etiam in propriâ ſuâ perſonâ, mendicare. Nam mendicavit locum, ubi Paſcha cum Diſcipulis celebravit: mendicavit aſellum; & a Zachæo hoſpitium.* Hæc partìm falſa, partìm frivola, frigida, & inepta ſunt.

Nec illud adjuvat, quod adjungit. *Pauperem petere neceſſarium ad victum, eſt mendicare.* Certè eſt, *ſi mendicato paſcitur ille cibo,* & non alitèr. Sed quis ſano ſincipite præditus, Chriſtum dixerit à Zachæo prandium mendicâſſe: niſi & Nobiles interdum, & Reges, eodem tenore Mendicos habeat: qui ſolent interdum apud vicinos, ſubditos, inferiores, de condicto hoſpitare, aut prandere. Rectiùs alibi Cajetanus, in v. nempè Matth. ſcribebat, Chriſtum non fuiſſe mendicum: προσαιτην: quia nunquam legitur petiiſſe, niſi à Samaritanâ potum: At ridiculus homo eſſet, qui mendicum diceret ob eam cauſam: niſi & Siſaram mendicum, & Eleaſarum Damaſcenum, Abrahami Oeconomum, mendicâſſe velit, qui potum petebant à mulieribus. Sed nec Elias mendicus fuerat, qui tamen inopiâ premebatur, cùm & potum & cibum, viduam rogaret Sareptanam. Certè *infames* mendici, quia *impudentes* plerumque, otioſi, ignavi, ſeditioſi; res ipſa turpis & indecora; & quanquam alitèr, progrediente tempore, & iniquitate, obtinuerit apud Judæos, quod vidimus, præcepto prohibitum negativo. Abſit ergò, ut in mentem animumque Chriſtianorum νεωτερων, ſubeat illa cogitatio, Dominum Jeſum, per triduanam à parentibus abſentiam, oſtiatìm mendicâſſe. Indigna prorſùs Chriſti diſpenſatione commentatio. 19

Quòd ſi nolimus Divinam extraordinariam οἰκονομίαν, in rem præſentem advocare: quidni dicere, nec improbabilitèr poſſimus, illum intereà victum ſibi neceſſarium, numeratâ in manum pecuniâ, à propolis comparâſſe? Sed unde ſuppeteret puero pecunia? Certè quidni à parentibus depoſita, vel ab amicis & agnatis, ut non rarò fieri ſolet pueris, præſertìm bonæ indolis, ſuaviſſimis moribus, honeſtâ imbutis diſciplinâ, condonata & impertita. Quidni apud hoſpitium, in quod diverterat 20 *Variis modis interim refici potuit.*

cum

cum parentibus, victũ ſibi tempore opportuno, & lectũ apparari jubere poterat? Non hoc impediet, quod dicitur ab Evangeliſtâ, invenire eos illũ, qui quærebant, parentes non potuiſſe. Cùm enim illum quærerent in hoſpitio, abeſſe poterat, qui tamen paulò ante præſens ibidem fuerat. Sed ut hæc mittamus ordinaria; quid impedit quò minùs Angeli cibum, ſecretò, & in receſſu miniſtraverint; aut ut intereà temporis nec ederit, nec biberit, neque tamen eſuriret? Nam quod objici poteſt, nullum ab eo miraculum editum, ante illud apud Canam Galileæ, agnoſco verum: ſed miraculum duplicitèr intelligi poteſt. Primùm, de aliquo publicè patrato, in conſpectu multorum, ad confirmationem divinæ poteſtatis: vel miraculum quoad ſubſtantiam operis, aut operandi modum, non manifeſtò, ſed clam & ſecretò peractum. De priori genere verum eſt, illud Cananæum fuiſſe omnium ſimplicitèr primum, non tamen omninò primum. Secundò, reſponderi poteſt, miracula dici poſſe, vel per eum, vel in eo, aut circa eum edita. Illa, pertinent ad locum Johannis ſola, non autem iſta. Nam profectò ante illud, priùs miraculum in eo, vel etiam per eum, ſed ſecretò, clam, & privatìm edebatur; illud nimirum ingens, quo totos dies quadraginta, ἄσιτος & impaſtus in eremo perdurabat. Quidni igitur ad eundem modum, per divinam παντοδυναμίαν, triduanum jejunium benè tolerare poterat Divinus puer, nemine conſcio? Atque ita minimè fuit opus inepturire homines malè feriatos, & parùm honorificè, ne dicam ridiculè, de mendicatione commentari.

Primum miraculum.

21 Nec bonus Bernardus hîc audiendus, qui religioſè, & ut ſolet, devotè, ſed parùm hiſtoricè, meditatur, quemadmodum è Barradio tranſcripſit Salianus. *Per illud itaque triduum*, inquiens, *ubi eras bone Jeſu? quis cibum aut potum miniſtrabat? quis detraxit calceamenta? Quid dicam Deus meus? an ut te per omnia noſtræ conformares paupertati, & in te humanæ naturæ calamitates ſuſciperes, quaſi unus è turbâ pauperum ſtipem per oſtia mendicabas? Quis dabit mihi, buccellarum illarum, ſic mendicatarum, fieri participem? vel ſaltem divini illius edulii reliquiis ſaginari?* Sed nec amplectenda Majoris ſententia, quam ex eodem Barradio

Barradio ſuo idem tranſcripſit Salianus, videri Jeſum, à viris eruditis & Doctoribus, qui ſtupebant ſuper prudentiâ & reſponſis ejus, ad menſam invitatum. Quod verum eſſe potuit, ſi conſtaret illum ſtatim è viâ, aut diverticulo ad conſeſſum Doctorum ſe tranſtuliſſe, cùm videatur conſtare per Evangeliſtam, non niſi tertio demùm die, in illo conſeſſu à parentibus adinventum, nec quotidiè de Lege vel interrogâſſe, vel reſpondiſſe, Doctores. Nam de pueris ad menſam invitatis, non abnuerim in more poſitum eſſe potuiſſe; licet fortaſſe potiùs pecuniolâ datâ remunerare conſueverant, & domum ad ſuos dimittere. Sed hæc nec temerè ponenda ſunt, nec perversè abneganda: ſunt autem humanæ cujuſdam curioſitatis circa Dei ſecreta, licet non ſemper illicitè ſatagentis ἀποκυήματα. Lucas addit.

Et factum eſt, poſt triduum invenerunt illum in Templo, 22
ſedentem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantem. Ubi non hoc vult neceſſariò, poſt finitum & decurſum tridui ſpatium: quarto demùm die illum inventum, aut repertum potiùs à parentibus, ſed ipſo die tertio nondum decurſo. Ita enim loqui ſolet ſacra Scriptura, Mar. 8. 31. Poſt tres dies, Chriſtus ſe reſurrecturum affirmat, qui tamen non quarto die, ſed in tertio, idque λίαν ὄρθρου, reſurgebat. Idem enim eſt ac ſi diceret, *Poſt, in die tertio invenerunt illum.* Ad figuras hîc convertit ſe Beatus Ambroſius: *Poſt triduum*, inquiens, *reperitur in Templo, ut eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis illius paſſionis, in ſede cœleſti, & honore divino, fidei noſtræ ſe reſurrectus offerret, qui mortuus credebatur.* Vult ergò abſentiam illam triduanam, referri τυπικῶς ad illam alteram à ſuis abſentiam, cùm ſub imperio mortis, licet *liber inter mortuos*, hoc eſt, à communi mortuorum lege ſolutus, ut & Paradiſum, & Infernum, & ſiqua erant præter ea animarum promptuaria & receptacula, inviſeret, per tridui ſpatium verſaretur. Quod non abhorret ab analogiâ fidei, & ſatis congruit divinæ diſpenſationi. Cùm ergò Parentes illum, multâ cum curâ & ſolicitudine, ad tertium uſque diem, inter notos, ignotoſque quæſiverant, eo demùm tertio die repererunt in Templo, in medio Doctorum, hoc eſt, in conſeſſu Academi-

co, inter Doctores in ſcholis ſuis, *audientem illos*, nimirum docentes, & *interrogantem illos* quæſtiones. Nec hoc in privati alicujus Peripato, intra domeſticos Scholæ parietes, ſed in loco publico: Sed illi exercitio deſtinato, in Templo nimirum, in frequenti multorũ Panegyri, ubi de more, plures convenerant ad diſputandum de Divinâ Lege, & quæſtiones è Sacris Scripturis ventilandas.

23 *Judæorum ſchola.*

Erat enim hoc in more poſitum apud Judæos, ut cùm in Templo, tùm in Synagogis, ad diſſerendum, & inter ſe conferendum, de divinâ lege convenirent: ubi è cathedris aut ſubſelliis diſſerebant. Et ſeniores quique, ac dignitate eminentiores, è cathedris, quæ ſigillatim erant, & ordine diſpoſitæ: cœteri, minoris ætatis, ac inferioris ordinis, in ſubſelliis conſidebant: noviſſimi autem, in pavimento, ſuper mattas, aut quædam ῥαιφώματα: pueri, ac auditores juvenes, ad pedes docentium diſponebantur. Hinc Paulus ait, ſe *ad pedes Gamalielis*, hoc eſt, in ejus ſcholâ educatum. Audiebant autem, non ut Pythagoriſtæ, per quinquenniũ ἐχέμυθοι, ſed interrogabant & interrogati reſpondebant. Neque phraſis illa, apud Evangeliſtam uſurpata, in medio Doctorum, Chriſtum ſubindicat loco motum, quòd Chemnitius autumat, propter excellentem ingenii bonitatem, & ſingularem in quæſtionibus & reſponſionibus dexteritatem: ſed tantùm hoc vult, inter illos, in illo conſeſſu, illum locum, utpote pueris deſtinatum, capeſſiviſſe. Et de iſtâ porrò Judæorum conſuetudine capiendus D. Paulus, Act. 24. *Neque in Templo inverunt me cum aliquo diſputantem*, vel concurſum facientem turbæ, aut in Synagogis. Et Mat. 23. 6. *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis*. Mar. etiam 13. 26. Luc. 11. 43. & 20. 46.

24 *Templum quid.*

Cùm verò dicitur, reperiſſe eum in Templo, intelligenda non ſunt interiora Templi: nam eò pauci, & quidem rarò commeabant: ſed nec Atria Sacerdotum, aut mundorum. Arias autem Montanus in Apparatu, ad Templi portam Orientalem, locum fuiſſe indicat, in quo ſummi Legis Magiſtri, & Scribæ populi, vel Interpretes docebant. Omnia autem loca circa Templum, nomine Templi deſignabantur. Porrò autem, Scholarchæ

chæ hîc, & Magiſtri diſſerebant de Lege, eamque interpretabantur. Auditores, qui legentibus & exponentibus aderant, ſi quid ipſis occurrebat dubium, vel difficile, ſolutioneque nodus dignus, interrogabant Doctorem, & explicationem deſiderabant. Et vice versâ, Prælector, ſive Doctor, de difficilioribus interrogabat, & reſpondebant interrogati. Dubitari non debet (ait Caſtrius, verè quod opinor) puerum Jeſum ſuis interrogationibus dedi ſſe occaſionem Sacerdotibus, Scribis, & cæteris in illâ coronâ præſentibus, de Meſſiâ, quem pleriq; jam tum per illa tempora venturũ expectabant, loquendi. Atque ita de eâ re ſubortum tunc ſermonem: tùm, quia ipſe ſuæ Matri dicebat, *Nonne in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe?* tùm, quia deinceps natu major, & miniſterio initiatus, quoties aliquam Synagogam ingrederetur, vel Templum, de nullâ aliâ re, quàm de hâc, ſermonem frequentiùs inſtituebat. Cùm ergò hoc unicum fuerit negotium, illi à Patre ſuo commendatum, & in his, quæ Patris erant oportuerit illum eſſe: Certè non eſt à veritate alienum, eum hâc ipsâ de re ſermonem in Templo inſtituiſſe, & Doctores interrogatum. In hanc ſententiam deſcendit Barradus, σύμφημι χαίρω: Nec probare poſſum Neotericorum quorundam ſententiam, qui de re quâvis interlocutoriâ, vel ὡς ἔτυχεν incidente, velut confabulantes, & tantùm non garrientes Doctores, & cum iis Jeſum Chriſtum ſubintroducunt.

In hunc autem finem & proceſſum optimè congruit 25
Gregorii obſervatio in Paſtorali. *Vigilanti conſideratione* 3ª. par. ca.
penſandum eſt, quod cùm Jeſus annorum duodecim, dicitur in 26.
medio Doctorum ſedens, non docens tamen, ſed interrogans invenitur. Quo exemplo, ſcilicet, oſtenditur, ne infirmus docere quis audeat. Si ille puer doceri interrogando voluit, qui per Divinitatis potentiam, verbum ſcientiæ ipſis Doctoribus miniſtravit. Optimè ille, inquam, & ad noſtros mores informandos, & reformandos, accommodatè, apud quos, *ad præproperam praxin, è præpoſterâ lexi*, quotidiè prodeunt: vix ἐπ χαίοντες ἰάλας, ad declamitandum de ambone, pulpito, loco ſuperiori. Oratores novi, ſtulti fortaſſis, certè adoleſcentuli, qui ἐν τῇ πόλῳ, quòd dicitur,

τὴν κεφαλείαν, non ante in Ceramico, μανθάνουσι. *Pudore ſuffuſus ſum*, ait in Apologetico Nazianzenus, *in multis, qui cum cæteris nihilo ſint meliores, imò præclarè cum illis agitur, ſi non multò ſint deteriores, illotis ſe, quòd dicitur, manibus, & profanis, nec initiatis mentibus, rebus ſacris ingerunt: & antequã digni ſint qui Templa adeant, thronũ ambiunt Epiſcopalem. Trudunt, obtrudunt, & impellunt ſe ad mensã ſacrã, ac ſi perſuaſum haberent, eſſe hunc ordinem, non virtutis typũ, ſed ad victũ comparatam rationem: nec miniſteriũ rationi reddendæ obnoxiũ, ſed imperiũ abſolutũ, nec ſubjectũ ratiocinio, ſuntq; ferè numero plures, quàm ſint quibus præficiantur. Quoad pietatem, miſeri; quoad claritudinem, infœlices: adeò ut quòd mihi videtur, progreſſu temporis & augeſcente malo, nemo planè relinquatur quib, præeſſe poſsint, cùm ſinguli doceant, ſinguli prophetent, ita ut etiam Saul inter Prophetas habeatur.*

Ἠχυθλιῶ δ', ὑπὲρ τῆς πολλῶν, ὅτι μηδὲν τῆς ἄλλων βελτίους ὄντες, μέγα μυδῶ ἂν, εἰ μὴ πολλῷ χείρους, ἀνίπποις χερσὶν, ὁ δὲ λέγεται, καὶ ἀμυήτοις ψυχαῖς τοῖς ἁγίοις ἑαυτοὺς παρεισάγουσι. καὶ πρὶν ἄξιοι γενέσθαι παρεστάναι τοῖς ἱεροῖς, μεταπιῶν) δ' βήματος. Θλίβονται τε, καὶ ὠθοῦν) θρόνον τὴν ἁγίαν τράπεζαν, ὥσπερ οὐκ ἀρετῆς τύπον, ἀλλ' ἀφορμὴν βίου, τὴν τάξιν ταύτην εἰ) νομίζοντες, οὐδὲ λειτουργίαν ὑπεύθυνον, ἀλλ' ἀρχὴν ἀνεξέταστον. Ἐ εἰσι κεδόν τι πλείους ἀριθμὸν, ἢ ὅσων ἄρχουσι). λεπταῖοι τῆς εὐσεβείας, καὶ ἄθλιοι τῆς λαμπρότητος, ὥστε ἔμοιγε δοκεῖν, παρόντος δ' λόγου, καὶ δ' κακοῦ μηδὲ ἔχειν λοιπὸν, ὧν ἄρξωσι, πάντων διδασκόντων, καὶ πάντων προφητευόντων, ὥστε καὶ εἰ) Σαοὺλ ἐν τοῖς Προφήταις.

26 Hæc ille, & multò quidem plura in eandem ſententiam: noſtrorum hominum prædicantium προπέτειαν & temeritatem, veluti κατ' ἀποροσμὸν τηλιτούων. De quorum plerumque audaciâ, ſtultitiâ, & temeritate in diſpendium, ſi non in ruinam theologiæ graſſantium atque ambitione intolerabili, non minus licebit obſtupeſcere, quam Doctores tunc Judæorum ſtupebant ſuper prudentia & reſponſis ejus. ſed quid facerent? Non eſt alia magis, ad infulas, & honores ratio compendiaria, quam titivillitia de ambone vænum dare.

Et dixit mater ejus ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? Hoc eſt cur, à noſtro conſortio, nobis inſciis & inconſultis receſſiſti. Non opinor hæc profatur B. Mater expoſtulando, nedum objurgando: tantum verò ſciſcitando, quaſi diceret, Et ubinam fuiſti? Atque ita videtur innue-

re

re per reſponſum ſuum Jeſus: Neſciebatis quòd oportet me Patris mei negotia procurare? ſed & illud εὐσεβὲς ἀ ἀνλαβὲς, à quibuſdam legitur annotatum: Beatam Matrem hoc ipſum non ſtatim protuliſſe, in illâ coronâ, & confeſſu frequenti tum præſentium, coram omnibus, ſed poſtquam, finitâ diſputatione, & cætu dimiſſo, inde ſeceſſerant, tum privatim interrogaſſe, *Cur feciſti nobis ſic? Pater*, inquit, *& Ego, dolentes, quærebamus te.* Joſephum adſcribit curæ & ſollicitudini, & quidem, quæ ipſius erat humilitas, priore loco nominatum, Pater & Ego, non Ego & Pater, cum tamen non eſſet Joſepho genitus. Et eſt hæc ab Auguſtino profecta ſententia: Chriſtum peperierat, Angelus ad eam venerat, & dixerat ei, *Ecce, concipies in utero tuo, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.* Mariæ erat parere filium altiſſimi, quæ erat humillima: nec ſe Marito, ne in ordine quidem nominis præferebat, ut diceret, Ego & Pater tuus, ſed Pater tuus & Ego, dolentes, quærebamus te. Vir juſtus Joſeph, licet de ſe genitum non fuiſſe ſciret, tamen non aliter quàm genuinum germanum diligebat: & ob eam cauſam Patrem eum appellat Beata Mater. Nec ob eam ſolam cauſam, ſed honoris habendi gratiâ; quod nutritius eſſet, quod vulgo pater putabatur. Ita enim ſe, Scriptores ſacri, ad morem vulgi non infrequenter ſolent accommodare. Dolebat uterque verè vehementer de amiſſo; ſed Mater proculdubio magis: non quòd timeret illum in manus Archelai tum incidiſſe, quòd putabat Antoninus: non quòd ſubdubitaret, ne fortaſsis in Cœlum ſublatus, tranſlatus fuerat, quod ridiculè opinabatur Origines: neque propter ſuam incuriam & negligentiam, quam novitii quidam protervè ſolent hic & petulanter, ne dicam impiè παιδαγωγεῖν, & vehementer exaggerare: ſed ex affectu materno, & illâ ſtorge, quam vocant naturali, qua parentes complecti ſolent liberos, imprimis primogenitos, & unigenitos; propter ejus abſentiam, quem multis nominibus dilectum habebat, angebatur. Quocircà, nec reprehendit Dominus maternum hunc affectum, licet ſtylo videatur uti reprehenſorio: *Quid erat quod me quærebatis? An neſcitis? &c.* Nec Calvinum hic audire vel poſſum

poſſum vel debeo æquo animo, ſemper iniquior in beatam Virginem cum ſit, & hic ſcribat, meritò à Chriſto reprehenſam. Ignorans enim nemo peccat, nedum gravitèr, per facti, ut vocant, ignorantiam. Nec maternus affectus in prolem ſuam, qui non modum exceſſerit, & menſuram, vituperari debet, ſed laudari potiùs. Neſciebat certè abſentiæ cauſam, & ignorantiâ igitur laborabat, non tamen defectus alicujus, ſed puræ & meræ negationis, quæ culpabilis non erat.

27 Finito hoc colloquio, poſt inventum in Templo puerum, ſtatim Hieroſolymis exeunt, & deſcendit cum iis, inquit Evangeliſta, & venit Nazareth, & erat ſubditus illis: Hoc eſt, apud eos, in ipſorum ædibus verſabatur, uſque dum revelabatur Iſraeli. Ubi illi vitæ ſtudio, & ὑποταγῇ deditus agebat, quibus Joſephus utebatur. Nec deinceps, uſque ad manifeſtationem ſuam Iſraeli, ulterius aliquod ſpecimen Divini ſui officii dabat. Hâc porrò breviſſimâ perioche Scriptor ille divinus, & θεοφορούμενος, totam deinceps vitam, & vivendi rationem, uſque ad illam ἀναφανήρωσιν, comprehendit. Si ergò ſciſcitari quis & ſcire velit, quid agebat Dominus anno decimo tertio, decimo quarto, & ſequentibus, uſque ad triceſimum inchoatum, hoc reſpondere licet, & hoc tantùm verè; *Erat ſubditus parentibus ſuis*: utrique ſcilicet parenti obſequentiſſimus. Illud enim quod in Actis ait Beatus Lucas, *Cepit facere & docere*, ut priùs agendi exemplo præiverit, quàm præcepto obſtrinxerit ad obediendum. Hoc etiam ab infantiâ, & ipſis incunabulis locum habet: *Vixit enim Chriſtus ut obediret*, Auguſtinus inquit, *vivendo docuit ut obediret, in vitâ paſſus ut obediret, morte paſsiones conſummavit, & ſic perfectè obedivit.* Et eſt hæc quidem forma, & ἐκτύπωσις totius perfecti Chriſtianiſmi. *Optimus enim miniſter tuus eſt Domine, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipſe voluerit, ſed potiùs hoc velle quod à te audierit.* Ambroſii de hâc re commentatio illuſtris eſt. *Quid magiſter virtutis, niſi officium pietatis ut adimpleret: Et miramur ſi Patri defert cœleſti, qui ſubditur matri? Non utique infirmitatis, ſed pietatis iſta ſubjectio fuit.* Et iterum paulò poſt. *Diſce potiùs tuæ utilitatis præcepta, & exemplar agnoſce pietatis. Diſce quid*

parenti-

parentibus tuis debeas, cùm leges à patre filium, non voluntate, non opere, non tempore diſcrepare. Tu matri debes pudoris initium, virginitatis diſpendium, partus periculum: matri, longa faſtidia, longa diſcrimina, cui miſeræ, in ipſis votorum fructibus majus periculum eſt: & cùm ediderit quod optavit, partu ſolvitur, non timore. Quid anxios patres loquar, pro filiorum profectu? quid multiplicatos alienis uſibus cenſus? jactaque agricolæ ſemina, poſterorum ætatibus profutura? Nonne pro his obſequia ſaltem oportet rependi? Hæc ille: ante quem & Origenes præclarè meditabatur. *Diſcamus filii ſubjecti eſſe parentibus noſtris, major enim hîc minori ſubjicitur. Nam quia majorem Joſephum ætate videbat, propterea eum parentis honore colvit; omnibus omnium liberis exemplo præiens, ut obſequium præſtent parentibus ſuis. Quòd ſi patres illis in vivis non exiſtant, ſubjiciantur illis qui patrum ætatem habent. Quid loquor de parentibus & filiis? ſi Jeſus, filius Dei, ſubjicitur Joſeph & Mariæ, ego non ſubjectus ero Epiſcopo, qui mihi à Deo conſtitutus eſt pater? Non ero ſubditus presbytero, qui mihi à Deo conſtitutus eſt Pater, & Domini dignatione præpoſitus eſt? Puto quod intelligebat Joſeph, quia major quàm ipſe fuit Jeſus, qui tamen ipſi ſubdebatur: & ſciens majorem eſſe ſubjectum, trepidus imperium moderabatur. Videat ergò unuſquiſque, quod ſæpè accidit, ut ipſe melioribus præponatur, cùm ſit inferior. Et nonnunquam accidat, ut ille qui ſubjectus eſt, melior ſit eo qui ſibi videtur præpoſitus eſſe. Hoc cùm intellexerit dignitate ſublimior, non elevabitur ſuperbiâ, ex eo quod major eſt; ſed ſciat, ita ſibi meliorem eſſe ſubjectum, quomodò & Jeſus ſubjectus fuit Joſepho.* Hoc loco Ariani abutebantur, ut & plurimis aliis ad oppugnandam Chriſti Divinitatem. Sed cum πάντα διπλᾶ πρὸς τὸν κύριον, improbè & inſulsè ad Divinitatem ea referebant, quæ de carne ſcripta prædicantur.

Subjectionem porrò iſtam ad fabrilem pertinere diſ- 28
penſationem volunt, per quam ſe Chriſtus in nutricii & educatoris ſui Joſephi arte & profeſſione exercebat, unde victum & veſtitum ſibi, exinanitus in ſervi formâ conquirebat. Quod ſatis videtur conſtare ex evangelio. Imprimis illud ſtatuendum eſt, ut cum pietate & honore Chriſti conjunctum, nequaquam vixiſſe otioſè, ſed

nec

nec contemplationi, quam vocant, totum ſe dabat, aut vitam Aſceticam, vel Anachoreticam, aliis curis vacuus, ſectabatur, quod quibuſdam aliquandò videbatur. Filius enim hominis venit edens & bibens, hoc eſt, more quodam communi & uſitato, inter homines verſabatur. Quod utcunque propriè atque primariò, de tempore miniſterii ſuſcepti & exerciti intelligatur, tamen & ad ſuperiorem etiam ἀναφοράν, ab ineunte ætate referri poteſt: eóque magis, quòd parùm videri poſſet, cum ſuperioris vitæ conſuetudine, aut rectâ etiam ratione conjunctum, tam ſubitò à meraciſſimâ Theoriâ, ἀσκήσεως, & ἀναχωρήσεως, ut volunt, ad popularem vivendi modum tranſire. Certè parentibus ſuis ſubditus erat, in ipſorum ædibus Nazarethanis inquilinus, non alicujus eremi, aut cellæ anachoriticæ incola.

29 Quocirca ridiculè, ſi non impiè, Paulus Burgenſis addit. 1. in Marc. 6. cenſuit: Cùm Chriſtus ſummum gradum contemplationis attigerit, nullo modo dici potuit otioſus, etſi ab omni actione, ſeu exercitio corporali ceſſaſſet. Hoc enim pertinet ad vitam contemplativam, otiari, & ab omni externâ actione ceſſare: & ideò irrationabile eſt, inquit, attribuere Chriſto exercitationem in artibus mechanicis, ad removendam ab eo otioſitatem. Neque ex hoc, quod illi de Nazareth ipſum fabrum vocabant, concluditur ipſum fuiſſe fabrum, ſed fabrum eum dicebant, ad vilipendendam ejus doctrinam: vel dicendum, ſecundum Auguſtinum, quòd fabrum Chriſtũ dicebant, quaſi fabri filium. Sed nec ipſummet Auguſtinum audio, De conſenſu Evangeliſtarum, lib. 2. cap. 42. ſi & ille ſentiebat, ita ſentiebat Chriſtum fabrum appellatum, non quòd eſſet faber, aut illam artem exerceret, ſed tantùm quòd fabri filius putabatur. Utramque adhibent Evangeliſtæ interpretationem, ut eò diſtinctiùs, illum minimè otio indulſiſſe, ſed artem excoluiſſe indicarent. Miror autem Barradium in ſtultam illam Pauli Burgenſis, ſi non impiam opinionem, dixiſſe ſe propendere: nempè, Quòd inſtar religioſi viri, veroſimile ſit vitam duxiſſe Dominum: & orationibus, jejuniis, ſpiritualibuſque rebus, potiùs quàm fabrili arti vacâſſe. Illas ipſius ἀσκήσεις, libentèr concedimus ab ipſo frequentatas;

tatas; at non eſt neceſſe ut propter jejunia, orationes, & omnimodam, ſi velint, σχληρωγίαν, atque ἄσκησιν, ab omni arte & exercitio eum amoveamus, & otiò torpentem blaſphememus. Stultum eſt & ridiculum, quod affert Barradas. *Quis dixerit Dominum, ut ſolent fabri, per alienas ædes opera fabrilia exercuiſſe? conſcendiſſe tecta, ligna cum aliis fabris dolâſſe.* Reſpondeo. Ego ita dixerim; & nemo non hoc dixerit & crediderit, qui non de Marcionis Scholâ, aut Docitarum, hominis formam, humanam converſationem, & illam in carne humanâ divinam, ſtupendam οἰκονομίαν, Deo indigna fuiſſe judicaverit, atque ideò negaverit incarnationem. Quid enim magis indignum Domino, neque adhuc manifeſtato, per alienas ædes & urbes victitaſſe: operas fabriles exercuiſſe; in illâ ſuâ exinanitione, quàm in & per functionem ſuam obitam, apud menſas aliorum, in alienis ædibus ſuſceptam, comediſſe: quàm mulieres habuiſſe ſectatrices, quæ de ſuis facultatibus, ipſius miniſtrarent neceſſitatibus. Nec aliquid juvant quæ adtexuit Barradas: neque enim habemus illa neceſſe admittere: *Ita fabulis eum, ac ſermonibus indecoris affuiſſe*, ſtultum eſt, ut cœtera, & ridiculum. Ita enim nec verſatus eſſet inter homines; cùm exire de vitâ neceſſe ſit illum, qui nolit ea interdum, quæ profana ſunt & impia audire. Non intereſſe hujuſcemodi ſpurcitiis, ſed cum aſſenſu & delectatione intereſſe improborum conſortio, vel ſodalitatibus, vituperandum. Exeundum eſt, ut dixi, de mundo, illi, qui cum improbis verſari nolit: ſed ei qui cum ipſis verſatur, non eſt neceſſe ut adſit, vel aſſiſtat, approbando. Itaque planè deſipiunt Novatores: ſolidiùs Chriſtophorus à Caſtro. Si Chriſtus in diſcendis literis non occupabatur, proculdubiò in arte aliquâ exercebatur; & in quâ certiùs quàm in eâ, in quâ ſe Joſephus exercebat, hoc eſt, fabrili.

Eſt hæc communis veterum ſententia, & recentiorum quoque non νεοτερίζόντων. Juſtinus ὁ πάνυ, cum Judæo Tryphone διαλεγιζόμενος, ait. *Cúmque veniſſet Jeſus ad Jordanem, ut tunc putabatur, Joſephi materiarii fabri filius, ipſe quoque obſcurus, ut Scripturæ prædixerant, & profabro habitus: ſolebat enim dum inter* 30

homines ageret, aratra fabricare atque juga; ut per has figuras justitiam doceret, & reipsâ fugam otii. Et aliâ vice in eodem libro ait: *Cùm fabri quoque lignarii filius haberetur, informis scilicet, quemadmodum Scripturæ annunciaverant, apparens, faberque & ipse putaretur esse, fabrilia namque, cum in hominibus esset, faciebat opera, aratra, & juga boum conficiens.* Ita & Ambros. serm. 16. de Natali Dom. *Faber, pater dicitur Christi: & planè faber, pater Deus, qui totius mundi opera fabricatus est: Et planè faber, sed qui in diluvio Noe arcam fabricare disposuit: Faber, inquam, est, qui ordinavit Moysis Tabernaculum, Arcam testimonii instituit, Templum Salomonis erexit. Hic autem Faber circa arbores curvo utitur ferramento, sicut in Evangelio legimus, dicente Johanne, Jam securis ad radices arborum posita est. Hoc etiam agit totum, ut utiles cœlestis fabricæ arbores in futuro componat, infructuosas retro evulsas radicitùs, flammarum consumat incendio.* Hæc ille persequutus per allegoriam; sed tamen quæ necessariò fundantur in illâ opinione, Fabrilia fabrum tractavisse Christum. Quomodò etiam allegorisat, Author operis in Matthæum imperfecti: sed *ut per omnia, filii, paternæ nativitatis paternum imitarentur exemplum: ideò & Maria desponsata erat fabro lignario, quoniam & Christus, Sponsus Ecclesiæ, omnem salutem hominum, & omne opus suum, per lignum crucis fuerat operaturus.* Quam quidem fuisse receptam communiter sententiam, docet Sozomeno narrata historia, lib. 6. cap. 2. quam latiùs & expressiùs commemorat Theodoretus, lib. 3. cap. 23. Antiochiæ vir quidam probus & honestus, qui longo tempore pueris informandis operam impenderat utilem, cùm esset doctrinâ paulò instructior, quàm vulgus esse solet Pædagogorum, familiarissimè utebatur principe, illius ætatis, sophistarum Libanio: qui cùm esset à Christianâ religione alienior, & futuræ, ut rebatur, Juliani Imperatoris de Persis victoriæ, spem conceperat: quærit de bono illo viro Pædagogo, per sarcasmum, Quid rerum tunc ageret fabri filius. Ast ille, repletus divinâ gratiâ, & id quod paulo post eventurum erat prædicens, respondet, Sandapilam tunc concinnare, totius hujus mundi fabricatorem (is quem tu, inquit, Sophista, fabri filium

filium nominaſti,eſt) tuo Imperatori foràs deportando. Conſentiunt autem de fabrili arte, Hilarius, & Petrus Chryſologus: ille Can.14. in Matth. hic ſerm.48. licet diſſentiant de ſubjecto artis, & fabrum fuiſſe ferrarium Joſephum, non autem lignarium arbitrentur. *Non credunt hoc in homine Deum agere, quin & patrem ipſius, matrem, fratreſque nuncupant, & paternæ artis quodam opprobrio laceſſunt. Sed planè hic fabri erat filius, ferrum igne vincentis, omnem ſæculi virtutem judicio decoquentis, maſſamque formantis, in omne opus humanæ vitæ.* Et Chryſologus. *Dicebant, hic eſt fabri filius, ſed cujus fabri filius, non dicebant. Dicebant, fabri filius, ut arte vili ars lateret authoris, & Deitatis nomen fabrile nomen abſconderet. Chriſtus erat fabri filius, ſed ejus qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto: qui elementorum membra, non ingenio, ſed juſſione compegit: qui maſſam ſæculi authoritate conflavit, non carbone: qui ſolem, non terreno igne, ſed ſuperno calore ſuccendit: qui lunam, tenebras, noctem formavit, & tempora: qui ſtellas variatâ luce diſtinxit: qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit, ô homo, tibi, ut opificem, operis æſtimatione penſares. Sed tu Judæe, hujus fabri filium nôras, cui, pro tantis beneficiis repenſare vicem deberes in filium.*

Concludam autem hunc locum de ſubjectione, teſti- 31
monio Baſilii in Aſcet. *Cum primâ ſuâ ætate parentum imperio eſſet ſubjectus, & labores corporis omnes, æquo cum illis animo, ipſis obediens toleraret; veriſimile eſt eum, cum homines illi eſſent, & juſtitiæ & pietatis cultores, tenues tamen, ſolitos eos, in aſſiduis corporis laboribus verſari, & hâc ratione quotidianum ſibi victum quæritare. Porrò, Jeſus cum his, ut divinæ literæ prædicant, ſubjectus eſſet, ſine dubio, in perferendis, unà cum ipſis, laboribus, morigeram declarabat ſuam obedientiam:* Multò rectiùs id ſcilicet ſtatuit Baſilius, quàm quod ridiculè, & parùm piè & honorificè, quod ſpectat Servatorem, de otio, vel contemplatione, otioſi homines, aut malè feriati, comminiſcuntur.

Hactenus de puero Jeſu, ſacrati hiſtorici, nec ulterius 32
aliquid enarrant, ab eo geſtum, uſque ad inceptum, ineunte anno triceſimo, miniſterium. Hoc eſt vitam, &

vivendi ipſius rationem per annos octodecim ſilentio tranſmiſere. Lucas, illam totam tot annorũ ἀναστροφὴν, hiſce duobus capitibus abſolvit; quòd deſcendens cum parentibus Hieroſolymis Nazaretham, ibi habitaret; & quòd iiſdem parentibus ſubjiciebatur. Et ſecundò, quod plenus erat, in illa ætate, & illa vivendi ratione, ſpiritu atque gratiâ, cùm apud homines, tùm apud Deum: ætate proficiens, more, ſcilicet, aliorum hominum: tantum ſine peccato: & modo quodam ſibi peculiari. Ait enim προέκοπτε, hoc eſt, progreſſum fecit, & profectum magnum. Profecit ἡλικίᾳ, hoc eſt, ætate, vertit vetus Interpres, & rectè. Eſt autem ætas, medicorum aiunt filii, Annorum decurſus, corporis immutans temperamentum. Quod autem in anno tempus, hoc, in hominis vitâ, ætas eſt, non eâdem ſemper temperie prædita. Quocirca, dici poſſit, fortaſsis non immeritò, vocem ἡλικίαν, hoc in loco, corporis ſtaturam denotare: uti Mat. 6. 27. & Luc. 19. 3. Ad modum igitur & menſuram naturalem, augebatur ipſi quotidie corporis moles: quemadmodum ab ipſo utero, & incunabilis, ad ipſam uſque ἀκμὴν, & convenientem temperamento conſtitutionem. Hoc eſt, quod prius dicebat Evangeliſta, ηὔξανε, augmentum capiebat. Qui enim tentatus fuit, inquit Gregorius Nyſſenus, per omnia ad ſimilitudinem noſtram, abſque peccato, voluit etiam, διὰ τῆς ἡλικιῶν προϊέναι τὴν φύσιν, procedere per ſingulas ætates nobis connaturales. Et quomodo cum eſſet Infans, infantilem accepit ætatem, butyrum & mel comedens: ita etiam cum proceſsiſſet ad adoleſcentiam, non recuſavit id quod huic ætati erat congruens & conveniens: futurus omni ſæculo exemplum modeſtiæ. Atque ita de hoc corporis profectu non moventur lites.

Orat. in hoc dictum.

33 Quod verò dicitur profeciſſe ſapientiâ atque gratiâ apud Deum & homines, de eo non perinde conſentiunt. Ebionitæ imprimis vetuſtiſſimi Hæretici, qui merum fuiſſe hominem blaſphemabant Dominum Jeſum, de Joſepho & Mariâ, humano more modoque progeneratum; ſimul etiam affirmabant, ipſam Divinitatem ſibi communicatam, cum tùm primùm accepiſſe, cùm Spiritus ſanctus in figurâ columbæ, ſuper ipſum in Jordane bapti-

baptizatum deſcenderet: qui nullo priùs Spiritu, neq; Spiritus donis imbuebatur.

Sed impii & blaſphemi nebulones, indigni refutatione, abeant quò digni ſunt, Infernum rectà. Videndum quid de hoc profectu ſtatuant alii. Imprimis autem, quis demùm, & qualis erat hic profectus? ille non ad divinam, ſed humanam tantummodò naturam pertinebat. Deitas etenim, in æterno ſibi connaturali, tota eſt & perfecta ſimul ſui poſſeſſio. Divinitati augmentum vel profectum adſcribere, blaſphemum eſt: Sed & de humanâ naturâ, ὑποστατικῶς & ἀδιαλύτως Divinæ unitâ, quæſtio eſſe poteſt: & certè quæritur; cùm ab ineunte ætate, imò ab ipſo utero, & conceptione, Spiritu, ſapientiâ & gratiâ plenus fuiſſe credatur & repletus. Nec ita plenus, quemadmodum Johannes, aut etiam ipſa Beata Virgo fuiſſe plena dicitur gratiâ: aut ut Stephanus, ac alii repleti dicuntur: ſed plenus ſuo modo proprio & peculiari. Cum τὸ habere, vel poſsidere, ſequatur modum & conditionem τοῦ εἶναι, & cùm quicquid recipitur, ad modum recipientis recipiatur. Eſt quædam gratiæ plenitudo omnibus Sanctis communis: eſt alia, ſingulis κατὰ μέτρον particularitèr commenſurata: hoc eſt, quæ ſufficiat ipſis. Et eſt communis, menſura ſufficientiæ; peculiaris autem, quorundam prærogativa: &, quæ Chriſti hominis ac capitis propria eſt, ſuperabundantiæ. Nam ὑπερπερισσεύει quicquid in illum divinitùs confertur. Opus erat illi tantâ, tali gratiæ menſurâ, non tantùm ſubjectivè, hoc eſt, reſpectu perſonæ gratiâ prædítæ, θεανθρώπου exiſtentis: ſed & objectivè, eò quòd de ipſius illâ plenitudine, Sancti omnes replendi, & conſummandi fuerant. Hanc menſuram ille, non gradatim, & per novas ſubinde acceſsiones communicatam habuit: ſed quaſi σωρηδὸν accumulatam, & infuſam à momento conceptionis. Illud autem, ſi ita fuerit, quomodò dicitur incrementum accepiſſe apud Deum atque homines? Plenus fuit ſapientiâ ad annum duodecimum, docente Lucâ. Plenus gratiâ, Joh. 1.14. & gloriâ, quandò verbum caro factum eſt: πῶς δὲ τοῦτο; 34

Veteres olim Patres, cùm Retiarii Hæretici Ariani hiſce caſsibus irretitos conſtrictoſque tenere ſatagerent 35

Orthodoxos, ita ſe conabantur expedire, ut dicerent, ipſum profeciſſe: non quòd proceſſu ætatis, plenitudini illi primigeniæ, aliquid acceſſerit ulteriùs gratiæ vel ſapientiæ: ſed ita dictum per Spiritum ſanctum, quoad nos, & noſtram apprehenſionem, ſecundùm quoſdam effectus gratiæ, οἰκονομικῶς, & paulatìm ſe exerentes. Cùm juxta menſuram ætatis corporeæ, quod Cyrillus affert, Natura Divina ſapientiam propriam, humanitati communicatam, revelaret: hoc eſt, per convenientem diſpenſationem, quemadmodum & potentiam deinceps omnipotentem, in officii & muneris ſui executione. Præditus erat, vel ab ipſo ortu, potentiâ miracula operandi; & non minore potentiâ præditus, quàm cùm Lazarum à mortuis ſuſcitaret: Illâ tamen per xxx-annos non utebatur, cùm in nuptiis Canæ, aquam in vinum commutaret. A quo miraculo, ad illud de Lazaro, dici rectè potuit, propter plurima intermedia, in miraculis edendis profeciſſe. Sententiam porrò illam antiquitatis, dum reſpondent Arianis, ſi ſequantur Lutherani, & Calviniani, quos notat Maldonatus, non eſt cur debeant accuſari.

Nam nec pugnat hæc ſententia cum illâ recentiorum, quam mutuantur à D. Thomâ, de ſcientiâ experimentali. Eſt enim illa experimentalis ſcientia, ſi ulla ſit omninò, vel eadem prorſus cum iſtâ habituali, & penitùs animæ infusâ, ſed quæ diſpenſativè & οἰκονομικῶς, prout viſum Deitati, ſeſe exerebat: vel certè non minùs adverſatur plenitudini illius primigeniæ, quàm illa altera expoſitio. Me quod attinet, non ego libentèr receſſerim ab antiquis viis, nec à ſententiâ vetuſtiorum, præcipuè in re tam magni momenti, cùm illi, per hanc ſuam interpetationem, Ariomaniam ſubverterint. Eſt hoc, meo animo, telum valdè penetrabile, de manibus Athletarum, & ὑποβολιμαίων Divinitatis Jeſu Chriſti, excutere. Quod cùm ſoleant in multis Calvini expoſitionibus, & interdùm haùd injuriâ, reprehendere; non deberent ipſimet impingere ad eundem ſcopulum, ne & ipſi dicantur fidei feciſſe naufragium. Sed hæc potiùs ad ſcholas quam Annales ſpectant, quanquàm rem illuſtrent annaliſticam.

Con-

Concludam ῥῆσιν, ſed longiore, Gregorii Nyſſeni. *Quoniam in aliis quibuſvis hominibus, imperfecta habetur iſtarum rerum intelligentia, & opus erat juventuti, ut deduceretur per perfectiora, ad id quod eſt melius; propterea quod natus erat duodecim annos, matri ſubjicitur: ut oſtenderet, quòd id quod per profectum perficitur, priuſquam venit ad perfectionem, rectè dicitur ſuſcipere ſubjectionem, utpote quæ ad bonum deducat. Qui eſt autem ſemper perfectus in omni bono, & neque profectum, neque diminutionem ex ſe poteſt ſuſcipere, propterea quod non ſit indigens ejus natura, neque poſſit minui, cur nam ſubjicitur? Nam quod eo tempore, quo in carne, cum humanâ verſabatur Natura, in ætate puerili, per ea quæ agebat, quaſi lege, juventuti obedientiam ſanciebat. Hinc patet, quòd ad perfectam ætatem progreſſus, jam non ampliùs à matris poteſtate pendebat. Illâ enim ipſum hortante, in Canâ Galileæ, ut ſuam oſtenderet potentiam, in nuptiali epulo, & uſum vini largiretur convivio, egentibus quidem non recuſavit gratificari: maternum autem conſilium, ut quod minimè opportunum adhiberetur, rejecit, dicens, Quid mihi tecum negotii eſt mulier? Nunquid etiam hanc meam ætatem regere vis? an nondum mea venit hora, quæ præbet ætati, ut imperet & ſit ſui juris? Si ergò in vitâ quæ eſt in carne, juſtus & competens ætatis modus genetricis excutit ſubjectionem, quem locum habeat ſubjectio in vitâ illius, qui in virtute ſuâ ſæculo dominatur, nemo dicere poſsit. Proprium enim eſt, ac peculiare Divinæ atque beatæ vitæ, in eodem ſemper manere, nec admittere mutationem, quæ fit ex alteratione. Cùm ergò quod erat in principio, Verbum, Unigenitus Dei filius, alienus, ab omni profectu & alteratione ſit, quomodò fiet ibi poſtea, quod non eſt nunc? Non enim hoc dicit Apoſtolus, quòd filius ſemper ſit ſubjectus, ſed quòd in fine conſummationis univerſitatis, ſubjectus ſit futurus. Atqui ſi bonum eſt ſubjectio, & res digna quæ de Deo dicatur, quomodò illud à Deo nunc abeſt bonum? eſt enim ex æquo ambobus bonum, & Filio qui ſubjicitur, & Patri, qui filii ſuſcipit ſubjectionem.* Hactenus ille Πατρῶν πατὴρ, Nyſſenus. Atque ita expeditum eſto, quòd rectè dici poteſt, de vitâ & diſpenſatione Jeſu Chriſti, ab exceſſu ex Ægypto, poſt Herodis interitum, ad annum uſque ætatis ſuæ triceſimum, cùm publicò initiatus per Spiritus San- 36

cti

ἔτι ὑπῆρχεν, illud inchoaret. Neque enim ulteriùs mentionem alicujus rei geſtæ, ſed nec nomen invenimus uſurpatum Jeſu Chriſti, ab hac Hieroſolymitanâ profectione, & Andragathemate pueri duodenarii, uſque ad initium Evangelii Jeſu Chriſti, ut cum Beato Marco loquar; cùm ad Johannem baptizandus adveniret ad Jordanem. Sunt tamen alia, per illorum temporum ſeries, in Judæorum monumentis, non reticenda: eò quòd ad populum illum ſpectabant, Judæos ſcilicet, quorum partes in hac admirabili θεανθρώπου Jeſu Chriſti diſpenſatione, & οἰκονομίᾳ agebantur. Quorum ſaltem præcipua attingemus, ab Archelai exorſi deportatione, cujus, in regreſſu Salvatoris ex Ægypto, mentio habetur, Matth. 2.

37 Conſulatum Romæ gerebant M. Æmylius Lepidus, & T. Statilius Taurus, anno Urbis conditæ 764. Cæſaris Auguſti 54. ab Actiacâ victoriâ, 42. Jeſu Servatoris xiii. inchoante, cùm Archelaus, Judeæ Ethnarcha, apud Augùſtum, per Judæorum & Samaritanorum primates, accuſatus, relegatur Viennam, & regno deturbatur. Rem ita narrat in Originibus Joſephus. *Ad annum Archelai decimum, Principes Judæorum & Samaritanorum, cùm ferre non poſſent crudelitatem ejus & tyrannidem, apud Cæſarem accuſant: eò magis inducti, quòd probè ſcirent, ipſum contempſiſſe quæ dederat in mandatis Cæſar, ut populo præeſſet cum humanitate. Cæſar, auditâ accuſatione, iratus, accerſivit ipſius Procuratorem, Romæ agentem, qui & ipſe Archelaus vocabatur: Et tu, inquit, (nam literis illum evocare dedignabatur) conſcensâ navi, age eum adeas, & omni remotâ excuſatione, huc adducas. Ille profectus ſine morâ, Judæam petit, & Archelaum epulantem cum ſuis invenit: Cui cùm mandata Cæſaris expoſuerat, ad maturandam profectionem hortabatur. Cùm verò Romam adveniſſet, auditis accuſationibus, & ipſius ad eaſdem reſponſionibus, Cæſar, in exilium mittit, Viennam Galliarum urbem: facultates in fiſcum redegit. Priuſquàm verò Romam accerſiretur, tale ſuis familiaribus inſomnium ſibi viſum narrat. Nempè, decem frumento plenas ariſtas videbatur intueri, à bobus deglutitas. Excitatus è ſomno, Divinatores adhibet, eò quòd ad ſeipſum ſpectare hoc inſomnium arbitraretur. Quo narrato, Interpretes in varias ſententias diſtrahebantur: At Simon quidam,*

Lib. 17. *cap.* 15.

dam, ſectâ Eſſenus, veniam priùs deprecatus, ſi quod verum arbitrabatur enunciaret: ait, ſibi videri hoc inſomnio, rerum mutationem Archelai ſubindicari, nec aliquid boni portendere. Boves etenim, laborem & ærumnas ſignificare, propterea quòd ſit animal miſeriæ aſſuetum. Mutationem verò, ob eam cauſam denotari, eò quòd tellus, boum labore arata, & convulſa, ſtatu in eodem conſiſtere nequeat. Ariſtas, numero decẽ, tot annos intimare, cùm ſingulis annis per ætatem demittantur: atq; ita decem annos regni Archelao terminatos: Atque ille ad hunc modum illud viſum interpretabatur. Quinto autem die, poſtquam hoc inſomnium viderat Archelaus Rex, ille alter Archelaus, Cæſaris juſſu, appulit in Judæam, eum Romam, ad cauſam dicendam, adducturus. Hæc ipſa referuntur ab eodem Joſepho, per omnia, in 2. de bello, cap. xi. niſi quòd anno nono contigiſſe hanc deportationem, & novem ariſtas vidiſſe illum narret, non decem.

Non hæc diſſentiunt inter ſe, quod & fatetur Salianus; alioquin in Joſephum ſemper iniquior. Quod enim negotium anno nono inceptum, & decimo tranſactum dicitur, vel iſti, vel illi anno non incommodè adſcribi poteſt. Triplex in Italiam de Judæâ, aut de Judæâ in Italiam navigatio inſtituta commemoratur. Accuſatorum una, Procuratoris altera, tertia ipſius Archelai: ut cum veritate ſit conjunctum, illum non niſi decimo anno currente regno pulſum, atque ita Joſephum ſecum conſentire. Calumnia eſt igitur Baroniana, ad annum Chriſti xvi. Joſephum ſibi parùm conſentire: Error autem ejuſdem planè portentoſus, quo illum relegatum ſcribit, duobus Nepotibus, Pompeio & Apuleio Conſulibus: hoc eſt, anno Auguſti ultimo, vel forſitan poſt exceſſum Auguſti, ſub Tiberio. Sed ita illum deſipere neceſſe fuit, qui vitam Herodis primi, contra omnem fidem, hiſtoriam, rationem, probabilitatem, ad annum Jeſu Chriſti octavum produxerat, quod Baronius fecit, novo & inaudito, quòd fatetur ipſe, auſu. Rectè autem Dio, quem & eundem reprehendit, ipſe omnimodo reprehendendus, Joſephum ſecutus & veritatem, Archelai deportationem Viennenſem, in Conſulatum retulit Lepidi & Arruntii, quo nos illam, Dionem ſecuti, contra novationes aliorum, conſtituimus. Errat tertiò, 38

ex eodem fonte Baronius, quòd ſect. iii. ait, Joſephum noluiſſe Bethleemum adire reducem ex Ægypto, eò quòd Archelai tyrannis omnibus erat nota. Nam vergente ad finem Ethnarchiâ Archelai, reditum ille ſtatuit ex Ægypto: Non enim mores, ſed regnum reſpiciebat Joſephus, quanquam & mores illius, ante regnum, erant omnibus ſatis explorati. In Galilæâ Antipas gubernabat, ſed erat ille mitiori ingenio: non Rex, ſed Tetrarcha: ad quem regnum Judæorum, Chriſti titulus, non pertinebat, qui tamen ſpectabat ad Archelaum, & Regem, & in Judæâ Regem: quem jure merito, ob hoc ipſum Joſephus formidabat, cùm non improbabilitèr exiſtimaret, veteres illos rumores, de Rege Judæorum nato, & jam reverſo, renovandos. Et hæc eſt, meo animo, veriſſima ſeceſſionis in Galilæam cauſa, quam nec attingunt Analiſtæ, vel Interpretes.

39 Redacto in ordinem Archelao, & Viennam Galliæ relegato, venit in Syriam & Judæam, jam iterum provinciam factam, præſes Româ miſſus, P. Sulpitius Quirinius. Idem ille qui ante annos xiii. dum naſceretur Jeſus Chriſtus Bethleemi, eaſdem in regiones venerat, ab eodem Imperatore Auguſto miſſus, ſed non cum eâdem authoritate. Tunc enim venerat tantùm ἀπογραφόμενος provincialium nomina, origines, facultates, tributum minimè exactans. Advenit hac vice, cum ordinariâ præſidis authoritate, poteſtatem vitæ neciſque ſortitus, cenſus agendi, tributum exigendi à provincialibus, & quod tunc temporis occaſio ſuggerebat, res Archelai damnati, de more, redigendi in Imperatoris fiſcum. In hac, de Quirinio, illiuſque ἀπογραφῇ & ἀποτιμήσει, mirum in modum luſit induſtria, & hæſit ad metas judicium & eruditio, quòd oſtendimus, Baroniana. Diverſa erant etenim tempora, quæ confudit: actiones non eædem, cauſæ diverſæ, eventus & conſequentiæ diſparatæ. Ibant enim tum, & profitebantur ſponte, ſine querelâ: at poſt Archelaum relegatum, per Judam & Simonem Galilæos, turbæ & ſeditiones concitatæ: ſed turbas illas, anno inſequenti contigiſſe putamus, compoſitis in provinciâ rebus per Quirinium ordinariis.

40 Annus Jeſu Chriſti xiv. decurrebat, ſub Conſulatu T. Julii

Julii Germanici, & Fonteii Cæpionis, cùm propter cenſus actos, & tributum exactum, in Judæâ tumultuatum eſſet; Duce & Signifero quodã Judâ Gaulonite, Galileâ oriundo. Meminit iſtius ſeditionis flabelli, Gamaliel in Actis Apoſtolicis, cap. 5. 37. *Poſt hunc extitit Judas Galilæus, in diebus profeſſionis, & avertit populum poſt ſe: & ipſe periit, & omnes quotquot ei conſenſerunt diſperſi ſunt.* Rem narrat Joſephus in xviii. Antiquit. cap. i. Et breviùs in 2. ἁλωσ. cap. xii. Ἐπὶ τούτου, τὶς ἀνὴρ Γαλιλαῖος, Ἰούδας ὄνομα, εἰς ἀποστασιν ὤτρυνε τοὺς ὑπηκόους, κακίζων, εἰ φόρον τε Ῥωμαίοις τελεῖν ὑπομενοῦσι, καὶ μετὰ τὸν Θεὸν, ἀνθρώπους θνητοὺς δεσπότας. *Illo Præſide,* (niſi legamus ὑπὲ τούτοις, deinceps) *Vir quidam ortu Galilæus, cui nomen erat Judas, ad defectionem indigenas induxit faciendam, ignaviam illis objectans, & legis tranſgreſſionem: vel etiam maledictis inceſſens, ſi Romanis tributum pendere, vel quoſvis mortales Dominos agnoſcere, præter Deum ſuſtinerent.* Ambigua vox eſt illa κακίζων, videtur autem, quod in verſione expreſſimus, cùm officium in Deum, tùm animi magnitudinem reſpicere, proditum à ſolventibus teloneum. Hoc enim illa volunt, in eadem narratione, in 18. Antiquitat. 1. Τιμὴν δὲ κλέος ποιήσεσθαι δεῖ μεγαλόφρονος, καὶ τὸ θεῖον, οὐκ ἄλλως ἢ ὑπὲ συμφράξει τῆς βουλευμάτων, εἰς τὸ κατορθοῦν συμπεφυκέναι μᾶλλον, &c. Totum locum habemus latinè expreſſum, in primo annal. Baron. anni primi, ſect. 59. *Extitit quidam Judas Gaulonites, ortus ex oppido Gamala, qui adjuncto ſibi Phariſæo Sadoch, ſolicitavit ad defectionem populos, cenſum nihil aliud eſſe, quàm manifeſtam ſervitutis profeſſionem dictitans, & univerſam gentem ad tuendam libertatem adhortans. Fore enim ut re benè geſtâ, fortunis ſuis fruantur felicitèr, & confirmati in earum poſſeſſione, laudem ſibi quoque parent fortitudinis: nec ſperandum auxilium cœleſtis numinis, niſi quoque ipſi ſuis rebus conſulant.*

Illuſtriſſimus Baronius hanc Joſephi narrationem ſic 41
accipit & interpretatur, quaſi Signifer ille ſeditionis, ſub prætextu divinæ legis in tributi ſolutione violatæ, populos ad arma impulerit capeſſenda. Nec abluditur à verò conjectura. Religionem enim, juſtitiam, bonum publicum, & quæ ſunt ejus generis, præclaros titulos libertatis aſſerendæ, vel potiùs exercendæ tyran-